**Observationes anatomicae Jo. Dominici Santorini.**

**Contributors**

Santorini, Giovanni Domenico, 1681-1737.

**Publication/Creation**

Venetiis : Apud Jo. Baptistam Recurti, 1724.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/nsdz5hvc

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

46032/C/1

D I P
18

J-XXXI-4-

AEW 3/2/54

A2 X

XVI

I: First edition. Choulant-Frank p. 262/3.

«Santorini's anatomical observations, which relate to the muscles of the face, the brain, and several of the nerves, the ducts of the lacrymal gland, the nose and its cavities, the larynx, the viscera of the chest and belly, and the organs of generation in the two sexes, furnish beautiful models of essays, distinguished for perspicuity, precision, and novelty, above anything which had then appeared. These observations, indeed, which bear the impress of accurate observation and clear conception, may be safely compared with any anatomical writings which have appeared since. Those on the brain are particularly interesting.» (Enc. Brit.)

«In this unique book, the most subtle of dissectors sets forth many new discoveries. In these observations Santorini showed himself an indefatigable anatomist, most skilful in extricating the most difficult parts, and almost too penetrating, if indeed, there is just ground for such a criticism in this, since many of the muscles detected by this man have not been seen with equal distinctness by any of the more recent investigators.» (Haller.)

«The book is dedicated to Czar Peter I and is, on account of the wealth of material it presents, even today of great value both for the history of anatomic discoveries, and to the professional anatomist. The text treats of widely different organs of the human body. The first plate represents a complete view of the facial muscles, the face seen from the front. The second and third plates show representations of the external ear and its muscles, the larynx and genitals of both sexes, among the latter a representation of a tubal pregnancy. The plates of this first edition are done by Marco Galli, the engravings by Carlo Orsolini of Venice (1710—1780), at least, the second plate shows a signature in Latin to this effect.» (Choulant-Frank.)

AA 30

# JO: DOMINICI
# SANTORINI
# OBSERVATIONES
# ANATOMICÆ.

51875

# OBSERVATIONES ANATOMICÆ

JO: DOMINICI SANTORINI.

*Supremi* MAGISTRATUS *ſalutis Venet: Protomedici, & in Veneto* LYCEO *Anatomes Profeſſoris.*

## PETRO I. MAGNO IMPERATORI,

Totiuſque Magnæ, Parvæ, & Albæ Ruſsiæ AUTOCRATORI, Magno DUCI Moſchoviæ, Chioviæ, Uladimiriæ, Novogradiæ, CZARO Caſani, &c.

*D. D. D.*

VENETIIS,

Apud Jo: BAPTISTAM RECURTI, MDCCXXIV.

*SUPERIORUM PERMISU.*

Ex Libris Antonii Cajetani Bujati Patavini Physici.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

# PETRO I. MAGNO
## IMPERATORI,

Totiusque Magnæ, Parvæ, & Albæ Ruſſiæ AUTOCRATORI, Magno DUCI Moſchoviæ, Chioviæ, Uladimiriæ, Novogradiæ, CZARO Caſani, CZARO Aſtracani, CZARO Sibiriæ, Magno DUCI Pleſcoviæ, Smolenſciæ, Tueriæ, Jughoriæ, Permiæ, ViatKiæ, Bulgariæ, Magno DUCI Novogradiæ inferioris terræ, Zernigoviæ, Rezaniæ, Roſtoviæ, Jaroslaviæ, BielocerKuæ, Udoriæ, Obdoriæ, Condiniæ, ac totius Septentrionalis plagæ IMPERATORI, DOMINO Iberiæ, Cartalinenſium, & Gruſinenſium Czarorum, Cabardiniæ, CerKaſſiorum, & Gorienſium Ducum, aliorumque multorum Dominiorum, terrarumque Orientalium, Occidentalium, ac Septentrionalium PATRONO, AVITOQUE HÆREDI, SUCCESSORI, DOMINO, & DOMINATORI.

Joannes Dominicus Santorini perennem Incolumitatem.

BENE *ac ſapienter inſtitutum à Majoribus morem accepimus, ut, qui in publicum commodum aliquid*

*elaboravimus ; quod in commendationem , & patrocinium operis eſset , ſimul venerationem , & obſequium noſtrum teſtata faceret : ei potiſſimum laborem ipſum nuncuparemus , cui ea diſciplina , quam nos excoluerimus , quàm plurimum deberet. Tuo igitur magno , & immortali Nomini FELICISSIME IMPERATOR meum hunc de re Anatomica Libellum meo quodam jure devovendum deſtinavi. Obſtare videbatur dedicationi proxima hæc temporis conditio , quæ te occupatum in apparatu maximi diuturnique belli ab pacis artibus , & ab re litteraria alienatum facilè diverteret : niſi compertum nobis fuiſſet , tuam Animi magnitudinem parem eſſe regendis reſpiciendiſque non diverſis modo , ſed adverſiſſimis rebus ; eodemque tempore Librorum , Regnorumque tutelam facilè ſuſcepturum eum Principem , qui ſe ſimul Bellorum IMPERATOREM Fortiſſimum , & Imperii CONDITOREM Sapientiſſimum , & Diſciplinarum MÆCENATEM Munificentiſſimum certiſſimo experimento jamdiu præſtiterit . Imperatoriæ laudis jam inde ab Adoleſcentia tua documenta accepimus , quando celeriore fere virtutis , quam ætatis uſu voluiſti gregarii Militis priùs exercitationem ſubire , & ante ſub aliorum diſciplina experiri quidquid laborioſiſſimum eſset , quam ad imperandum accederes . Confirmato adverſus laborem , & luxuriam corpore , prudentiæ , fortitudinis , alacritatis , cæterarumque militarium virtutum edito ſpecimine : ex Perfecto Milite tum demum te Imperatorem feciſti . Quæ deinde ſunt à te continuæ , incredibiles , utiliſſimæ relatæ Victoriæ minùs eas certe admirati ſumus ; quamquam eſt in iis tanta magnitudo , propter quam Annalium fides pene laboret : propterea quod Militem Imperatoris exemplo concitatum erectumque ; Imperatorem militaris diſciplinæ Tirocinio poſito cuncta ſub armorum arbitrio habere credebamus . Nihil videor in hac parte tuorum decorum velle memorare , quam quæ propria militum ſunt , ſatis tenui fortaſſe laudationis genere : Sed enim Regium animum cum ipſis imperandi*

*vir-*

*virtutibus natum eductumque, accedente militiæ uſu, poſt multa diuturna bella feliciſſime confecta propoſui, & ſummum quoddam genus ſecutus ſum; & tamen fateor multo vulgariſſimam hanc mihi de Fortitudine tua orationem contigiſſe. Dicam itaque, quod mihi jam pridem in mentem venit, nullam ſatis æquam neque in hac parte, neque in reliquis virtutibus tuis laudem reperiri poſſe: ita infinitum propemodum quoddam de te admirabimur, & taciti ſuſpiciemus, quod ingenii culpa dicendo comminutum certe depreſſumque feciſſemus. Si quod neceſſarium eſt monumentum, unde Poſterorum memoria in perpetuam tuam laudem excitari poſſit: amplificatum dilatatumque Imperium tuum certiſſimam recordationem Fortitudinis tuæ immortalem faciet. Idem autem hoc Imperium in pulcherrimam formam revocatum ſui te Conditorem futuris Principibus prædicabit. Neque enim ſilebunt inſtructiſſimi egregiaque diſciplina comparati exercitus, ornatiſſimæ exædificatæ claßes, erectæ arces munitiſſimæ, & ampliſſima Civitas ad invidiam conſummatæ veterum Urbium pulchritudinis condita: non excitati celeberrimi Portus, non Fluvii immenſis opibus ita producti, ut maria maribus conſociaverint; quod utrumque incredibili emolumento publico privatoque à te inceptum, perfectumque eſt: non pulſæ ſolitudines, non Tuorum denique, quorum commodis, & gloriæ in immenſum conſuluiſti, recens cultus, & compoſiti mores, Fides, Obſequium, Humanitas, uſus omnium Civilium Studiorum, quibus ſe jam ſupra cæteras nationes prope extulerunt. Hic erit concentus tot tantorumque munimentorum perpetuus. HANC FORMAM PETRO MAGNO DEBEMUS. In his præcipua erit Artium, Scientiarumque, & plus reliquis ſonora vox. Illæ ab tanto Mæcenate, & invitatæ præmiis, & exceptæ cum ingenti ſpe nunc primùm in tuis ditionibus receptæ ſunt. Earum Cultores non modo frequenti adſpectu tuo recreas, ſed etiam, ſi quid opus, conſilio juvas. Imo in hac parte extraordinarium, & quoddam incredibile præſtas. Optimarum quarumcumque Artium exactam*

*ſcien-*

*ſcientiam concupiſti, tenes, omnia omnium opera ſolus arbitraris, quod quidem Regium eſt: quod vero plus quam Regale eſt; Manum ſceptro, atque armis habilem operibus non ita raro adjungis. Inter cæteras Diſciplinas quanto Anatomes Studio incenſus ſis, ſatis cognovimus ex apparatu Anatomico in Urbe tua regia munificentia comparato, ex invitatis, exceptiſque excellentibus Proſectoribus, ex tua Anatomicarum rerum cognitione. Jure igitur meo tibi MAGNE IMPERATOR, cui tantum Anatome debet, qui te Anatomicum re, & nomine profiteri non es dedignatus, noſtrum Libellum dedicavi. Satis eſt, ſi reſpicias, tuumque patrocinium pollicearis. Nihil eſt, quod te amplius morer. Feliciſſimis auſpiciis proficiſcere ad bellum, & fracto hoſtium impetu fac omnes intelligant, quam fortiter illis patrocineris, qui ſe in tutelam tuam commiſerunt.*

*Viro*

*Viro Clariſſimo Doctiſſimoque*

# D. JO: ARUNTIO AZZARITI
## Anatomes Profeſſori Petroburgi.

*JO: DOMINICUS SANTORINI S.P.D.*

ANatomicas noſtras Obſervationes, quas ferè circa hoc tempus nos eſſe prolaturos frequentiſſimis Ornatiſſimis Auditoribus ſuperiore anno polliciti ſumus, & quas ipſe, cum jucundiſſima neceſſitudine præſens nobis adeſſes, non modo comparari cum voluptate intuebare, verùm etiam tua quandoque collata opera provehi cupiebas, tandem aliquando exhibemus. Non ſumus omnino ignari, quæ ſint incurſuræ tempora, quæ criteria ſubituræ: ſed fides erat liberanda. Neque cum homine publicis, privatiſque officiis occupato duriùs agendum eſſe exiſtimarem: ſiquidem ſubciſivis temporibus curatum opus, neque omni ex parte abſolutum, neque politæ orationis in tanta celeritate ex anguſtiis temporis poterat contingere. In Anatomicæ veritatis ſtudium præ reliquo ornatu, quantum licuit, nervos omnes intendi, & frequentiſſimis accuratis diſſectionibus id perficere ſum conatus, ut quantò hæc pars præter cæteras præſtantior eſt, tantò magis exculta aliarum ſuppleret incommoda. Quam numeroſam autem Cadaverum Anatomen in his, aut colligendis, aut corrigendis, aut confirmandis uſurpaverim, ſupervacaneum puto narrare tibi, cui & noſtrum diſſecandi morem, & ſtudium, & voluntatem, & eorumdem copiam (ex qua tibi quoque cum ſumma commendatione diſſecandi facultas olim ſæpe per nos data eſt) ſatis nota eſſe ſcio. Certè non infra centenas inciſiones recenſere poſſunt vel Petrus Bianchi, vel Joannes Baptiſta Trivellatus M.

DD.

DD. uterque multa ingenii, & ſtudiorum laude, vel cæteri mihi Cariſſimi optimæ ſpei Adoleſcentes, quos diurno, nocturnoque Anatomico labore exercitatos, & ſtudioſiſſime adeſſe diſsectionibus, & ſingula diligenter mecum recognoſcere gaudebam. Tametſi ex his plurima, quæ nunc primum in lucem prodeunt, non noſtris tantummodo in ædibus aut explorata fuerunt, aut commonſtrata, verùm etiam in frequentiſſimo Theatro nobis docentibus ex oblatis publicè diſsectionibus ſingillatim, ac nominatim exhibita fuerunt ab tui, meique amiciſſimo Jo: Baptiſta Grandio, qui commiſso ſibi Proſectoris munere ornatiſſimè fungitur: nihilo tamen minus, ut omnia omnibus probentur, multùm vereor. Erunt qui plura levia, erunt qui plurima incomperta exiſtimabunt, aliis unam rerum molem expectantibus, admirantibuſque; aliis ignavia, & obtrectatione impotentibus. Conſpicua quęque jampridem occupata ſunt, atque ad hanc tempeſtatem illa dumtaxat reſervata ſunt, quæ ab inquirentium penè innumerum Anatomicorum acie ſeſe ſubduxerunt. Quamobrem multæ mollis eſſe non poſſunt, quæ aliorum ſedulitate defatigata in noſtras manus inciderunt. Atque eò magis quidem, quòd inter eos verſamur, qui ſuſque deque humanum corpus contrectantes, ne fibrillam quidem, quin penitùs fuerint ſcrutati, prætermiſiſſe videntur. Qualia porro noſtra hæc ſint quantæque ſedulitatis, ac laboris opus, tuum tuique ſimilium exercitatorum ſcilicet, proborumque hominum judicium facio, quibus vel numero, vel difficultate, vel novitate, qualiacumque ſint, commendata fore confido. Neque verò id noſtra ſcribendi ratione non ſumus promeriti, propterea quòd nulli data opera convicium fecimus, & ſi ſumus alicujus ſententiæ adverſati, nominis ſanè obtrectationi pepercimus rati, nullius quidem pudore cariorem futuram veritatem. Senſus hos noſtros atque una Librum ad te dedimus: ubi acceperis, qua ſingulari polles

diſſe-

diſſecandi peritia, in ea, quæ plurima tibi eſt, cadaverum copia diligenter ſingula perquires (niſi ex his aliqua diligentia tua jam præcepiſti), & cognitis, ſi non indigna videbuntur, MAGNO tuo Principi commendabis: itaque illius patrocinio multum ei gratiæ, & auctoritatis adjiciemus. Nos interea ab aſſiduis, intentiſque lucubrationibus, quibus valetudini aliquod incommodum cooriri ſentimus, pauliſper feriari decrevimus: donec aliquatenus recreati rurſum ad ea, quæ in Anatome multò ſunt graviora, & utiliora, ſi Deus Opt: Max: vitam dederit, animum de integro adjiciamus.

Venetiis III. Idus Januarii MDCCXXIV.

NOI

# NOI REFORMATORI
## Dello Studio di Padoa.

AVendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. F. *Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore* nel Libro Intitolato *Obſervationes Anatomicæ Jo: Dominici Santorini &c.*, non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Secretario Noſtro; niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à *Gio: Battiſta Recurti Stampatore*, che poſſi eſſer Stampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite Copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 30. Decembre 1723.

(
( *Alviſe Piſani Kav: Proc: Reform:*
( *Zan Piero Paſqualigo Reform:*

*Agoſtin Gadaldini Segretario.*

OB-

# OBSERVATIONES ANATOMICÆ JO: DOMINICI SANTORINI.

## CAPUT I.

### *De Muſculis Faciei.*

§. I. QUemadmodum ſupra cæteras humani corporis partes Faciei forma excellentior eſt; ita & ejus Anatome viſa ſit, arbitramur, multò difficicilior: quandoquidem hanc pauciſſimi, iique minùs ſtudioſè, ſive partium exiguitate, & implexu, ſive earumdem varietate & inconſtantia deterriti, excolluerint. Horum neutro nos aut pulſi aut reſtincti, etſi id opus perficere omnino diffidimus; aggredi tamen & experiri minimè dubitamus. Dedecet enim vultum præſtantem hominis particulam, cujuſque animi imaginem, ac divinorum operum compendium, vel fuſiùs non explicare, vel certè non exquirere accuratiùs. De muſculis itaque, qui in humana facie ſunt, quorum motus ſive ad neceſſitatem & commodum comparati ex arbitrio pendent; ſive ad perturbationes ſignificandas, & ab animo ſubitò excitantur, noſtras ſingillatim obſervationes continuò proferemus, ubi nonnulla priùs de cutis colore, qui in Æthiopibus eſt, produxerimus.

Nondum inter Anatomicos celeberrimos licet atque exercitatiſſimos de Æthiopum nigroris ſede conſenſus eſt; Pars etenim in ſumma dumtaxat Cute, ſeu Epidermide conſiſtere eum judicat; alii in reticulari corpore, alba utrinque illud complectente & cute & cuticula; ac tandem cutem ipſam aliquo nigrore infectam alii exiſtimant. Sive ſententiarum diſcrepantiæ à diverſa diſquirendi ratione, ſive ab hujuſmodi ſubjectorum paucitate proficiſcantur; id propterea nec ſemel molitus ſum, nec ea potiſſimùm curavi ratione, qua poſſem aliquando in dubium, ac erroris ſuſpicionem induci. Detractam igitur Æthiopis cutem per plures dies aquæ indidi; quoad maceratione laxatis tenuiſſimis nectentibus fibrillis, nulla vi ac labore poſſet a ſubjecta cute epidermis, illique innexum reticulare corpus abſcedere: Quibus aquæ potiùs motione, ac levi vaſis inclinatione, quàm ulla manus ope diſſociatis Cutis protinus utroque tegmine nudata candida apparuit; ſi quid verò nigroris ſupererat in aliqua ejuſdem particula; id, vel reticularis corporis fruſtulum adhuc inhærens erat, vel diffuſa nigri liquoris guttula, qui abſtergi facilè, ac purgari poterat, alba utique cutis facie remanente. Reſoluta hac igitur ratione cuticula, pariterque ſubjecto reticulari corpore, eo maximè loci, quo reticuli fruſtulum aderat: nigra ea luculentiſſimè deprehendebatur; quam etiamſi per plures hebdomadas omni reticulo liberam atque ſpoliatam aquæ tradidi macerandam, utrum illa tandem eo ſeſe nigrore exueret, an aquam aliquatenus inficeret, perſpecturus; neutrum aſſequi datum eſt; aquam etenim nec infectam unquam, nec albam effici epidermidem obſervavi. Cæterùm reticulare corpus, quod & facillimè ab adnexa epidermide dignoſcebatur; & tum nulla ferè ope poterat ab illa eximi: multò cuticula nigrius ſeſe viſendum dabat; quod poſt brevem macerationem, vel leviter contrectatum ſic ſolvebatur, ut penè diffluerer; cujus nigrore non ſubjecta cutis modò; verum etiam manus & ſcalpelli acies facilè inficiebantur. Quod quum non mihi dumtaxat, ſed & mecum meis conſpicientibus Alumnis conſtiterit evidentiſſimè, vehementer miratus ſum, quì factum fuerit, ut exercitatiſſimo Anatomico Litrio, adnotante experimentum, eique adſtituplante Clariſſimo Fantono „ nullo pacto contige-

*De Æthiopum Cutis nigrore.*

*Æthiopum Cutis alba.*

*Cuticula Nigra.*

*Corpus reticulare multò cuticula nigrius.*

„ rit à Cute Æthiopis, quæ cum aqua, vel cum vini ſpiri-
„ tu ebulliit tingi liquores„. Quæ quum ita ſint, ut nos luculenter obſervavimus, & aliis viſendi copiam fecimus, atque eadem rurſum in præſentia exoptantibus oſtendere ſumus paratiſſimi, quandoquidem aſſervamus adhuc ejuſdem portiunculam aptam demonſtrationi; manifeſtum eſſe videtur, præcipuam nigroris ſedem corpus eſſe reticulare: cujus quum diluto magis nigrore penitiſſimè cuticula inficiatur, fibræ eam compingentes non cuti dumtaxat referendæ videntur; ſed & reticulari corpori, cui maximè in avulſione cohæreſcit.

Anat. Corp. Hum. diſ. 2. *Litrii experimentū noſtris obſervationib. non reſpondet.*

§. II. Quamquam inſtituti noſtri non eſt, unde color ille aut illuc afferatur, aut quo ſecernatur artificio, diſquirere; quædam tamen producenda eſſe cenſeo, quæ aliquantum ad hujuſce rei inveſtigationem conferre probabile eſt. Tria ex his maximè proponam, quorum duo ad hujuſce humoris fontem; tertium verò ad ejuſdem generationis modum pertinere poſſe videntur: Hoc priùs attingam, poſt de iis loquuturus. Primum fortè accidit in noſtratium manuum decoctione, quorum quum geminas ſeorſum in æreis vaſculis, alteram ex marina, alteram ex puteali aqua decoxiſſem: non utramque eodem colore infectam inde exemi; verùm ex puteali immutato omnino colore, qualem nos; ex marina autem, qualem prorſus gerunt Æthiopes, eadem planè coloris varietate: quum nigriorem hunc multò, quàm vola, dorſum ejus præbuiſſet; ut ſimiliter in Indis Meridionalibus obſervatur. An id autem ex adjecto dumtaxat Sale contigerit, quadantenus ſuadere videtur ſextum præ cæteris circa albedinem & Nigredinem experimentum allatum ab Illuſtriſſimo Naturæ Scrutatore Roberto Boylæo. Quodnam autem viſcus ſit hujuſce humoris ſecretioni dicatum, quiſve ex plurimis ſecretus humor; vix proponere, ne dum conſtituere auſim: Ea tamen recenſebo, quorum alterum paſſim in homine; alterum in Mullo ſatis cognito piſce animadvertere obvium eſt. In regio igitur morbo luteum modò, modò atrum inſeri Cuti colorem, palam eſt, atque iis tum vel lutea magis, vel atra bilis in cyſti reperitur; In Chloroſi verò aut ejuſcemodi morbo laborantibus pallidoque ſuffuſis colore, pallentem etiam, diſſectis, bilem invenimus. Reſtat poſtremò, ut ea quæ de

*Varietas colorum ex aquæ diverſitate.*

Oper. Omn. Tom. I. pag. 926.

*Bilis atra cyſtis in regio morbo pallida in chloroſi.*

*Mulli piſcis cutis rubra, hepar ſimiliter rubrum valde.*

Cutis Mulli rubedine comperimus, adjiciantur: Ejus itaque cutem purpureo infici colore, manifeſtum eſt; cujus quum explorarem originem, hepar ſimiliter animadverti ita rubrum, ut eumdem Cutis colorem referret, hac omnino ratione, ut ſi ea dilutum, id rubellum, ſin autem ea coccineum, illud quoque maximè vividum præſeferret; qualem nec muſculi, nec Cor, nec cætera præſtarent viſcera. Dum autem felleam cyſtim exquirerem, ex cujus præcipuè humoris colore, vel ſubeuntem poſſem opinionem prorsùs elidere, vel tueri firmiùs; nullam præter plerorumque omnium morem, in eo bilis cyſtim inveni: Rationabiliter tamen ratus rubrum eum hepatis colorem, qui non ſimiliter cæteris partibus datus eſt, ex una ſortaſſe ibidem congeſta bile eſſe repetendum. Num autem ex ea, quemadmodum luteus Ićtericorum, cæterorumque pallens color habeatur, ſic in Mullo rubedo, & nigredo in Æthiope germinet, ſolertioribus diudicandum relinquimus.

§. III. Quum ab ea, de qua modò diſſerui, exteriore partium cutis ſcilicet affećtione ad interiora opus ſit me traducam, ut propoſitas proſequar obſervationes: a Faciei muſculis mihi foret exordiendum, quum de iis primùm, plurimùmque agere conſtituerim; verùm ne interturbetur dicendorum ordo; ab iis, qui in ſummo capite ſunt, ſermonem inſtituam; ad cæteros poſtea eundem dedućturus. Quoniam autem de pleriſque omnibus aćturus ſum, ſingillatim quædam ſubjiciam contraćta aut fuſa oratione, prout aut rerum difficultas requirere, aut novitas videbitur. Occipitalium muſculorum primum detećtorem ſe fecit Exercitatiſſimus Anatomicus Gabriel Falloppius Mutinenſis, qui ea hos ſedulitate propoſuit, ut nequicquam poſteris ferè adjiciendum reliquerit. Quum tamen bini iidem muſculi utpote „ adhuc in lucem revocan- „ di, ab aliis negligentia præteriti, quos in Capitis poſterio- „ re parte licet animadvertere, qua Lambdoidea Sutura ſupra „ mamillares proceſſus oriuntur „ diſertè addućtis verbis a Realdo Columbo celeberrimo tum temporis Anatomico in Opere de Re Anatomica, l. v. c. vii. expoſiti fuerint, quod quidem Opus prodiit Venetiis anno 1559. tribus circiter annis ante primam, ni fallor, Anatomicarum Falloppiio bſervationum editionem, quæ 1562. Venetiis itidem habita fuit, ſuſpicari

*Obſerv. Anatom.*

*Muſculi Occipitales an primò detecti, ſint a Falloppio?*

*Hos typis priùs produxerat Realdus Columbus.*

picari

picari poſſe videmur, haud primum fuiſſe detectorem Fallopium, quum is potiſſimùm ſuas inter obſervationes de ejuſdem Columbi Sententiis aliquando meminerit. Eos porrò muſculos omnino ſiluiſſe aut Archangelum Piccolhominum, aut Gaſparum Bavhinum inter ejus ævi celebriores minùs mirandum eſt; quum Adrianus Spigelius diligentiſſimus alioqui, & Joannes Veslingius, quorum uterque fuit in eadem Anatomica Exedra Falloppio Succeſſor, de iis ne ullum quidem verbum protulerint. Circa ea tamen Falloppii ac Columbi tempora eos etiam noviſſe proſectorem Celeberrimum Bartholamęum Euſtachium ſatis intelleximus ex ejuſdem æreis Tabulis, quæ multò poſt, Illuſtriſſimi Viri Joannis Mariæ Lanciſii Archiatri Pontificii de Re Medica optimè meriti mira ſedulitate ex latibulis erutæ, prodiere; quamquam tamen in iis non ea exhibentur figura & magnitudine, quam aut deſcripſit Falloppius, aut nos detegere ac monſtare conſuevimus; Quos etiamſi Falloppius idem tum aliquando deeſſe, tum rectà ſurſum fibris protendi tradidit, utrumque nobis contigit ſecus obſervandum, quum perpetuò eos adeſſe, eorumque fibras in adverſum latus leniter inclinatas obſervaverimus. Horum igitur carnea moles non quadrilatera eſt, rectis utrinque lineis terminata; ſed longior, inæqualis, & curvilinea: Longior quidem ſeu latior, ut cum Falloppio loquar, quæ quatuor latos digitos ſæpe ſuperat, inæqualis autem, quorum utraque extrema ferè in acutum deſinunt; media verò pollicem æquant; Tum infra, quà ſupra binis circa medium concurrentibus lineis ſic terminatur, ut edita eorumdem pars utrinque convexa, ima verò utrinque concava perpetuò nobis apparuerit. Tenuis horum ac latus tendo non copulat tantummodò auriculæ Superiorem, & Frontis muſculum; verùm circa verticem alterius occurrentibus fibris decuſſatur; Atque unà cum reliquis implexus & gracileſcens, firmatis inter ſe ſe invicem extremis, neque in cranium, neque in pericranium inſertus, quamdam velut tendineam Galeam calvariæ compingit.

*Eos novit & pinxit Bartholomeus Euſtachius.*

*Eorumdem noſtra deſcriptio.*

*Unde ſit tendinea Calvariæ galea.*

§. IV. Infra hoſce Occipitales, ac ſupra Maſtoidei ac Trapezii muſculorum in Occipitium inſertionem unus utrinque, interdum geminus, mihi occurrit muſculus. Teres horum

rum

*Novi paris muſculorum ſitus & deſcriptio.*

rum figura eſt, utraque extrema tendinea, carneus venter tumidior calami ſæpe ſcriptorii magnitudine: tres circiter latos digitos æquat longitudo: infra auriculæ poſteriores muſculos communibus tegumentis, quibus validè adhęrent, tranſverſim interſeruntur. Hos ſæpius quæſitos in aptis potiſſimùm cadaveribus ſemper reperi, qui ubi utrinque gemini adſunt, exteriores horum tendines ad acutum angulum concurrentes coeunt, oppoſiti verò medium occiput occupantes, diducuntur. Horum aliquod munus eſſe quiſque fateatur, neceſſe eſt, quidnam tamen illud ſit, neque conſtituimus adhuc, nec audemus niſi dubitanter proponere. Dum ii in contractionem veniunt, ob firmam ſcilicet cuti inhæſionem, ea tranſverſim quodammodò corrugari poſſe videtur, quod dum fit, & Auriculæ concha quadantenus deducatur, eos non ineptè quis cenſere poterit, poſteriorum Auriculæ muſculorum infirmitati ſuccenturiari, quos idcirco aut poſticos corrugatores, aut teretes ac minores Occipitales nominabo.

*Poſtici Corrugatores, ſeu Occipitales minores Novi.*

§. V. Frontalium muſculorum notitiam neminem inter Anatomicos non habuiſſe, quocumque tamen eos nomine, ſive muſculi, ſive panniculi carnoſi deſignaverint, ex eorumdem liquet monumentis; Quænam verò aut figura, aut fibrarum inceſſus horum ſit, non conſentiunt inter ſe omnes. Ex eorum enim iconibus triplicem illis tribui figuram, cerno: Nam ex Tabulis ſummi Viri ac Anatomes Inſtauratoris Andreæ Veſalii, Vidi Vidii, Spigelii, Veslingii, Verheyenii, CoWperi, BroWnii, & ſi rectè memini, ac dignoſcere potui, Drakii, rectà protenſas fibras, & ferè ſemicirculari linea circumſcriptas animadverti: Thomas autem Bartholinus leviter inclinatas exhibet, at circa ſuperiora æqualiter ſingulas omnes productas, ac recta linea comprehenſas; His verò multò magis inclinatas, ac circa tempora in acutum angulum productas deſignant Euſtachii Tabulæ & Caſſerii: Cum ex his nemine noſtræ faciunt obſervationes; Non quidem cum prioribus, quum nec ea omnes rectitudine donatas, nec ea curva linea ſuperiùs terminatas obſervaverimus; neque tandem in eam latitudinem deductas, ut utrumque oculi angulum teneant; Nec cum Bartholino, qui eas omnes repræſentat, æquè productas, & recta linea ſuperiùs finitas. Neque demum cum Euſta-

*Muſculorum Frontaliũ varia ab Anatomicis exhibita figura.*

De Human. Corp Fab. l. 2. T. 3.
De Anatom. Corp Hum. l.4. T. 31. F. 1
De Human. Corp. Fab. l. 4. T. 1. F. 4
Sint An. c. 13. T. 13. F. 1.
Anat. Corp. Hum. l. 4 T. 27 F. 1. Myot. Ref. F. 1.
Theat. Anat. To 1. Tab. 5.

*A ſingulis noſtra diſentiunt obſervationes.*

De Naſi Fabric. Tab. 11 F. 1. L C

Euſtachio, aut Caſſerio; quum is medias breviores multò, atque inclinatas nimiò plus, quam par eſt, totamque orbitam occupantes, delineaverit. Ab Euſtachio verò pluribus de cauſis diſſentire cogor; licet ejuſdem lateralis acutus terminus cum Anatome maximè convenit; cùm ob earundem fibrarum poſitum, tum terminum; mediæ ſiquidem ejuſdem fibræ rectà ferè omnino provehuntur, lateralium autem non tanta unquam inclinatio habetur. neque enim infra oculi canthum demittuntur, neque aut diductæ, ut in Tab. XXXV. aut in acutum angulum cohærent ut in Tabulis XXVIII. XXX. XXXII. & XLI. Fig. 1. Frontalis enim terminus, ſeu unicus, ſeu potiùs geminus muſculus ſit, non ultra Naſi jugum juxta frequentes noſtras obſervationes haberi videtur; licet Euſtachianæ productionis & termini ratio facilè, & hallucinationis deprehendetur ex uno dumtaxat intuitu noſtræ primæ Tabulæ, & ex iis quæ ſumus deinceps dicturi. Superior hujuſce tendo qui ex fuſis tenuibus fibris compingitur, non Occipitalis tendini continuatur, quemadmodum indicare videtur Clariſſimus Anatomicus CoWperus, qui utrumque velut digaſtricum credi poſſe arbitratur, quum Frontalium fibræ ab Occipitalibus prorſus diverſæ eorumdem tendinibus primò imponuntur, deinde, ut ante diximus, implicantur.

*Cur Euſtachii Figura Frontalium potiſſimum partis inferioris vario exhibeatur.*

Tab. 1. L. A

*Frontales non continui ſunt Occipitalibus.*

An. of the H. B. Ap. T. 4.

§. VI. In Orbicularis verò oculorum muſculi examine noſtræ nos ab reliquis omnibus abducunt obſervationes; Nec id minimum eſt per quod diſſentimus; ſed tanti illud ducimus, quò per hujuſce diverſum poſitum ea faciliùs intelligantur, quæ minus antea, aut perperam percipiebantur. Non omnes igitur Orbicularis fibræ Frontalem muſculum ſuperſcandunt, quemadmodum omnium, prout novimus, ſolertiſſimorum Anatomicorum Tabulæ exhibuere, quos inter præſtantiores, Veſalius, Euſtachius, Bucretius, CoWperus, BroWnius; verùm exterior ac ſuperior earum pars, ubi ad Frontalem pertingit, ſub eodem ad interiorem oculi angulum proficiſcitur, quæ quidem fibræ in oculi canthum minimè perveniunt, ſed majorem nactæ molem, atque in tumentiores lacertulos quadantenus diſcretos conformatæ, partim mediæ ſuperciliorum ſedi, partim inferiùs ſub eorumdem principio inſeruntur, ac per earumdem contractionem ea fit ſuperciliorum adductio, quam

Tab. eadem L. C D.

Tab. eadem L. I

*Pars orbicularis Frõtali imponitur, pars ſubjicitur.*

*Superciliorum adductio ab corrugatore fit.*

quam dicunt Anatomici corrugationem. Hanc autem ab hoc uno fieri muſculo ſatis compertum cenſeo, tum ex earum fibrarum poſitu, & validitate, quà ex eademmet cute eo in motu ſic tracta, fibrarumque ductui obſecundante, ut luculenter ex eo conſtet, quarum ea fibrarum actio & directio ſit. Ei quidem muneri an Frontalium fibræ quidquam præſtare poſſint, haud ſatis intelligo: tum ob nonnulla, quæ hìc recenſenda non duco, tum maximè ob quamdam mediæ & imæ Frontis corrugationem, quam ſi quis ſedulò curet, atque id ſe ſe molientem in ſpeculum inſpiciat, adductis etiam ſuperciliis effici poſſe, percipiet. Hanc igitur Orbicularis partem multò potiori jure, quàm reliquam aliam, dicendam eſſe Corrugatorem ſuperciliorum muſculum, nemo fortaſſe poſthac repugnabit; quum alter Orbicularis faſciculus inferior ac gracilior Frontalis fibris ſuperpoſitus non hoc ſit donandus nomine, quemadmodum minùs rectè eum nonnulli antehac nominare conſueverunt. Dum autem hæ corrugatoris fibræ è Frontali emergunt, multò quidem tenujores ſunt, quàm circa priorem earumdem partem, non ita tamen ab reliquis inferiùs conſitis diſſitæ atque abſciſſæ, quales Tabula I. Lit. F exhibere videtur: Quum id ſit data opera conſtitutum, ut ſingulæ magis, atque à ſubjectis dignoſcerentur. Porrò harum productio non ad minorem uſque angulum habetur tantummodò, ſed ad alterum interiorem, Oculum inferiùs circumeuntes, lato termino inſeruntur. Non omnes quippe velut in punctum cohærent, ſed per lati digiti ſpatium tum ad eumdem majorem angulum, tum ad Orbitæ crepidinem, quæ lacrymalis ſacci canali præfigitur, tenues ac tendineæ applicantur; minùs idcircò cum Anatome congruere videntur eæ Spigelii ex Bucretio Tabulæ quæ fibras haſce ad minorem angulum perductas in quamdam tendinis imaginem, velut eo loci terminatas, mutari ſignificant. Si exercitatiſſimus alioquì & Cl: Anatomicus CoWperus, qualem Nos hunc, detexiſſet corrugatorem, minùs fortaſſe, puto, tum ab hujus clara actione & munere, tum a nomine etiam abhorruiſſet; quum is ab eo ſe jure diſſentientem præbeat, quem tamquam corrugatorem poponit Volcherus Coiter. Quantum præterea corrugator noſter ab ea Clar: Heiſteri deſcriptione differat,

Tab. 1. L. L

Tab. 1. F. 1. L. B c. 2. 4.

Myotom. Reform. c. 6. Comp. Anat. n. 314.

differat, vel ex iis deprehenditur, quæ illius originem, ac poſitum deſignant; Quum noſter non ab Naſi radice, & jugo oriatur, ſed ſuperiùs ab ea èxtante frontis parte, quæ ſuperciliorum ſedes eſt, eum nempe, ſeu corrugatorem, licet nobis corrugatores dicendi ſunt, „ partem quaſi frontalium videri „ ; quod quantum ab noſtra Tabula diſcrepat, tantumdem cum Icone à Cl: BroWnio propoſito conſentire videtur. Hic enim in ejus Tabulæ, quæ ab Cl: Jacobo Mangeto X. edita fuit, Figura II. eam Corrugatoris imaginem intueor, quæ quum Heiſteri ſententiæ favere plurimùm videatur, ab noſtra quàm maximè diſtat. Ab ea ſiquidem non uno, ſed quadruplici nomine, prout noſtræ obtulere obſervationes, diſſentimus. Primum ergo quòd noſtri Corrugatores non frontalibus ſuperponantur, ſed ſubjiciantur quidem, quum à BroWnio frontalibus ſupernatus exhibeatur; Deinde quòd ſublimis eorum origo eſt, ac ferè ad perpendiculum poſitus, quum noſtrorum ex infera parte principium ſit, nec rectà, ſed obliquè provehantur: Tum quia pluribus noſtri conſtant lacertis, uno tantummodò ille contentus: Ac denique quòd non acuto noſtri ordiantur principio, latoque deſinant termino, ſed oppoſitum maximè, quum tumentes noſtrorum fibræ ad tempora inclinatæ, ſic extenuentur, & graciléſcant, quæ Orbicularis partem à frontali ſolutam conſtituant.

*Diverſus omninò Corrugator noſter ab quocumque.*

Theat. An.

*Quadruplex diverſitatis ratio.*

§. VII. Neque Orbicularem hunc unum eumdemque muſculum eſſe exiſtimo, qui utrique palpebræ potiſſimùm datus, iiſdem occludendis famulatur: Hic ſiquidem non tantùm mole diſcernitur, & fibrarum tenuitate ab Orbiculari modò deſcripto, ſed diverſo earumdem inceſſu ac termino; quem priuſquam exponere aſſumo, id adnotabo quod perpetuò, non ſine Naturæ conſilio, in Orbicularis exterioris inferioribus fibris comperi. Ab hoc igitur abſcedit non tenuis fibrarum faſciculus, qui aliquando infra cæteras omnes, aliquando ſupra imas fibras, eaſque ſubiens, obliquè ad inferiora, cum inciſorio pariter muſculo, ſeu Labri Elevatore proprio, fertur; quique ab corrugatoris noſtri fibris decedere videtur, quem attollendis magis labiis comparatum, quàm cæteris partibus exiſtimo.

Tab. 1. Lit. E F.

*Perpetuus lacertulus ab imo Orbiculari.*

Tab. 1. L. o

§. VIII. Interiorem verò Orbicularem, qui palpebris

B ſubten-

ſubtenditur, ſeu rectiùs potiorem palpebrarum partem conſtituit, non aut unus ego, aut primus ab exteriori orbiculari diſcerno, quum præ cæteris Eximius Anatomicus Joannes Riolanus in triplicem fuerit partitus, cujus tamen diviſionis ratio ab eo potiùs ex conjectura deduci quàm ex Anatome videtur, quum à nervorum multiplicibus propaginibus, quarum ſingulæ ſingulis muſculis proſpicere debeant, tum ab inferioris palpebræ paralyſi, ſuperſtite ſuperioris motu, id colligat; Qua tamen in re nec me ſecum hac de cauſa ſentientem habet, neque Cl. Dominici de Marchettis declinare cenſuram potuit; Præterea hìc alium quemdam orbicularem omitto, ab eodem cum eorum temporum Anatomicis, ciliarem dictum, quem nuſquam eſſe, quacumque inſtituta diſquiſiſtione comperi. Ut verò rem dilucidiùs explicem, præmonendum duco; nullam Orbicularis partem, quæ utrique palpebræ ſubtenditur non fibris in orbem ductis compingi, quemadmodum exterior reliqua pars, de qua ſupra actum eſt; ſed ſuis ſibique propriis utramque palpebram inſtrui, quarum ſemicircularis figura eſt, quum harum utrumque extremum quod plurimùm immobile eſt, in utrumque oculi angulum terminetur. Quod ut ampliùs innoteſcat, tria eſſe animadvertenda, exiſtimo; Primum ſcilicet fibras quæ tarſo ſeu ciliis ſunt proximiores, rectas propemodum & horizontales eſſe quum eæ quæ remotiores ſunt, ad arcus ſeu ſemiciruli figuram propriùs accedant; Alterum verò, quòd eædem circa minorem exterioremque angulum non in orbem contiuuantur, ſed quadam intenta acie inſpectanda decuſsatione, quaſi ad terminum perductæ implicantur, prout in ſiniſtro oculo Tabulæ I. delineatum proponitur: Tertium tandem, quòd circa utrumque angulum validior ad eam orbitæ oram habetur palpebrarum nexus, qui ſi ſedulò examini ſubiiciatur non æquè ſanè, ac circumſitis cæteris partibus firmus deprehenditur, ſed quamdam tendinis ſpeciem ab iiſdem concurrentibus productiſque fibris pręſtare videtur; latior multò eſt tendineus ille nexus qui in minore cantho reperitur, quàm qui in majore altero ab Cl. Jo: Baptiſtæ Bianchi ſedulitate detectus fuit atque propoſitus. Duplicem igitur cuiquè palpebræ ſuum muſculum eſſe cenſeo, non orbicularibus fibris utramque palpebram circumeuntibus compactum,

*Palpebrarum orbicularis a ſuperiore diverſus eſt.*

Antr. l. 5. c. 9. Ench. l. IV. c. IX.

Anat. c. XIII

*Fibrarum inceſſus & decuſſatio ad angulum exteriorē.*

Duct. Lacr. p. I. §. 1.

*Cuiq; palpebrę ſuus muſculus.*

pactum, prout uſque adhuc creditum fuit; cujus licet actio & motus uno eodemque tempore habeatur, non ob id tamen unus & ſimplex muſculus dicendus eſt. Quum eadem prorſus cauſa plures valeat diverſoſque muſculos ut Temporalem, Maſſeterem Pterygoides, ne de cæteris omnibus loquar, ad motum pariter excitare; Quamquam tamen alicui minùs exercitato, aut ſegniter palpebrarum motum attendenti, uiſum eſt, ſuperiorem ſolummodo moveri; quum & inferior, minus ſiquidem, moveri conſtet; quod evidentiſſimè commodèque obſervavi in infante prægrandis, vaſti, & monſtroſi capitis; cui quum præ nimia ac præcoci cranii dilatatione, frontis atque ſuperioris palpebræ cutis vehementer foret prætenſa, ac ne hilum quidem moveri ſuperior palpebra videretur, inferiorem verò occiſſime actam, ubi ea ſuo fungebatur munere, in ſuperiorem propelli partem ad occludendum oculum, luculentiſſime percipiebamus.

*Motus palpebræ inferioris evidentiſſimus ſuperiori autē nullus.*

§. IX. Ex Faciei muſculis eos minimè calluiſſe cujuſque ævi Anatomicos conſtat, qui vel dumtaxat, vel potiſſimum Naſo dati ſunt; Quum vix horum par unum, aut alterum, vel obſcurè vetuſtiores deſcripſiſſe, vel perperam, noſtri norint Anatomici: Hiſce tamen quædam adiecta ſunt ſucceſſivis temporibus, quæ vel minùs a Proſectoribus probantur, vel utpotè fruſta & muſculorum particulæ haud ſatis intelliguntur; vel poſtremis tandem temporibus illud invectum fuit, quod alterius ditionis eſſe, nos infra fore probaturos confidimus. Octo muſculorum paria, quæ aut Naſo dumtaxat, aut & adiunctis partibus inſerviunt, ſedulo ſæpiuſque repetito, ac collato examine, eoque in optimis cadaveribus inſtituto, nos recenſere poſſe putamus; quorum unum atque alterum veterum, ac recentiorum debemus obſervationi; ſex reliqua Noſtra ſunt; quamquam horum quidquam, ſeu ab Euſtachio adumbratum, ſeu minus veritati congruenter delineatum a Caſſerio habemus. Ut verò ex integro rem exordiar, ab vetuſtiore incipiam, qui a Noſtris Pyramidalis dicitur; hic tenui tendineo principio ab interiore oculi angulo exortus ſupra Naſi latera per ſuperiorem proceſſum quarti oſſis malæ demiſſus partim in angulum alarum Naſi, partim in ſuperius labrum inſeritur fibris ad interiora converſis;

*Octo paria muſculorum qui Naſo vel adiunctis partibus dati ſunt.*

*Sex plurimùm noſtra ſunt.*

*Muſculus Pyramidalis deſcriptus.* Tab.1.l.S g.

verſis; atque hujuſce actione, & Narium Alas attolli, & unà ſuperius labrum, horum ſitus luculenter demonſtrat. Huic eidem Pyramidalis principio ſive muſculum alterum, ut à nonnullo Anatomico probari vidimus, ſive ejuſdem inferiùs disjunctam particulam aſſociari comperimus, qui quidem non in commune & alis & Naſo famulatur; ſed ejuſdem inſertio declarat, ad eas tantummodo attollendas datum eſſe, utpote qui in alarum angulum inſeritur, qui cuti arctiſſimè cohæret. Primum hoc muſculorum par adverſus id aſſerentes Anatomicos mordicùs oppugnat Caſſerius, de quo ſic habet: „ Certum equidem eſt in hominibus unicum, magnum, latum per utramque narem expanſum exiſtere, nunquam enim, ut verum fatear, licet quamplurimas omnibus nervis intentus diſſecuerim nares, geminum deprehendere potui „ Quod quantùm ab Anatome, atque adeo à veritate recedat, Proſectorum quemque probè intelligere, opinor; quamquam tamen nec unus hic Caſſerii lapſus eſt, nec hujuſce hallucinationis ratio eidem pariter exercitatiſſimo Anatomico Euſtachio communis deeſſe poteſt.

*Pyramidalis vel ſocius vel pars.*

Tab. eadem L. T

de Naſi Fab. l. 3. c. 7.

*non par pyramidalium cenſet.*

§. X. Super dorſo Naſi muſcularium fibrarum ſtratum eſt quod in triplicem muſculum commodè partiri poſſe, cenſemus; quum ſingulis earumdem particulis aut oppoſitum, aut diverſum aſſignari munus facilè poſſit. Harum etenim ſuperior pars gracilis & procera ſupra imas frontalium fibras, ac juxta interioris, ſeu medii orbicularis inſertionem oriri videtur, ac leniter curvata ſupra Naſi jugum utrinque delata, circa ejuſdem ſuperiorem dorſi partem compari copulatur, iterumque diducta, medio mox deſcribendo alteri muſculo aſſociatur, ejuſdemque fibris implexa unà cum pyramidali in ſuperius labrum deſiicitur; ſive hic nobis *Procerus* muſculus luculentiùs alias apparuerit; ſive alia is aliquando ratione feratur, diversò incedere viſus eſt, hujus ſiquidem fibras non omnes ſuperiori muſculi l. *a* notati parti apponi vidimus, eumdemque cum iis demiſſas terminum nanciſci; verùm ex ejuſdem, quem nos poſthac *Procerum* nominabimus, fibris aliquot pyramidalis disjunctæ particulæ T aſſociatis in pinnarum angulum infigi comperimus. Noſtrum hunc *Procerum* muſculum ab nemine fuiſſe antehac vel diſertè propoſitum, vel planè dete-

Tab. 1. L. b b

*Novus noſter muſculus Naſi deſcriptus.*

*Quem Procerum dicimus.*

Tab. eadem lit. a

detectum, cùm ab Anatomicorum Tabulis, tum ab eorumdem deſcriptionibus liquidò conſtat. Ab hoc verò perperam viſo, aut non diſcreto, ex iis quoſdam hallucinatos fuiſſe, ſupra poſuimus. Ubi enim Euſtachius Tabulis XXVIII. XXX. XXXII. & XLI. Fig. 1. Frontalium angulum deſignat, noſtri hujuſce muſculi, illiuſque productas ac concurrentes fibras vidiſſe, videtur; quum in Tab. XXXV. eas iterum fibras diductas, productaſque expoſuerit, minùs rectè tamen, ſi eas utpote Frontalium aſſumit, quòd earumdem fibrarum continuatio, & inceſſus exhibere videntur; ſi me quædam ſcalptoris perſpectivæ ratio non fefellit. Eadem prorſus ratione deceptum fuiſſe, ſuſpicor, obſervantem Thomam Bartholinum, de quo, nullo habito examine, ſententiam exſcripſit Verheyenius, utroque dicente „ in Naſuto Frontalium ap„ pendicem protendi ad Naſi cartilagines „. Non abſimili quidem ratione adductum Caſſerium putamus qui non crediderit modò, verùm etiam propugnaverit, unum dumtaxat „ muſculum eſſe „ per utramque Narem expanſum „ quum ſuperiùs *Procerum*, inferiùs alterum mox deſcribendum ſic eam partem Naſi occupantes viderit, ut unum omnino muſculum ſimulaverint. Noſtri igitur *Proceri* ut actio maximè innoteſcat, qui Naſi Cuti corrugandæ comparatus eſſe videtur; Quod ut ne alicui alteri muſculo tribuatur; quot modis Frontis, ſuperciliorum, & Naſi corrugatio fiat, fuſiùs eſt exponendum. Dum Cutem Frontis attollimus & corrugamus, per Frontalium actionem ſeu contractionem id effici, ſatis ſuperque cognitum ducimus cum autem ſupercilia tantummodo adducimus, ſuperciliorum corrugatorem noſtrum dumtaxat contrahi, non uno brevitatis ſtudio parcè ſupra propoſuimus. Ubi verò id utrumque fiat, ſcilicet & ſupercilia adducantur, & ima præſertim Frontis pars corrugetur, & corrugatores & Frontales agere, palam eſt. Quòd ſi nulla Frontis corrugatione, cutis Naſi contrahatur; Pyramidalem maximè intendi & ſuperciliorum corrugatorem quadantenus in operæ ſocietatem trahi, magis, minuſve pro vi corrugationis, perſpicuum arbitror: Cui & ab Noſtro ſuam præſtari opem, is facile intelliget, qui earum partium contractionem minimè fieri poſſe percipiet, quin eæ quoque in contractionem

*Ratio hallucinationis Euſtachii & Caſſerii.*

Anat. l. 3. c. 7

Anat. Corp. Hum. Tr. 4. c. 10.

*Cuti Naſi corrugandæ datus eſt Procerus.*

*Corrugationes diverſæ qui fiant & quibus muſculis.*

nem

nem veniant, quæ ſunt in jugo Naſi çonſtitutæ, dum utrique hi muſculi, cæteris unà agentibus, contrahuntur, ex æquo partes corrugantur, ſin alteruter tantummodò operetur, partem eam diſtorqueri, attendenti notum eſt.

§. XI. Hos ſtatim infra muſculos, ſeu interiùs juxta eorum latera medius alter iiſque copulatus Naſi dorſo incumbit, ac tranſverſim in oppoſitum latus contendit; ſive unus hìc muſculus ac ſimplex, ſive geminus ac Par efficiens dicendus ſit, facile eſt diudicare: Hic itaque tenuibus disjectiſque fibris juxta terminum pyramidalis in ſuperum Labrum, ſi ſic loqui licet, exorditur, & contractior prope narium angulum obliquè ſurſum profertur, ac utrinque Naſi dorſum ſcandens latior factus, eo loci applicatur & adhæret, nullo in lacertoſis fibris tendinis aut diremptus veſtigio dato, ſed eædemmet & immutatæ lacertoſæ unius lateris fibræ in alterum producuntur, atque unum exhibent muſculum ab uno ad aliud latus per Naſi dorſum tranſverſim continuatum; In quo ea potiſſimum emicat mirifica naturæ varietas atque ſolertia, ut, quum varia motuum inſtrumenta, ſeu muſculorum genera comparaverit, tantam in iiſdem compingendis & collocandis diverſitatem adhibuerit, quæ penè ſibi non conſtare viſa ſit; Horum ſiquidem inſtrumentorum, ſeu muſculorum alterum extremum mobile, immobile alterum poſuit, quod in compluri mis factum eſt; Aliis autem, ut quibuſdam cervici & thoraci invicem ſervientibus, utrumque extremum mobile noſtro tamen accommodavit arbitrio. Aliorum verò immobile medium, utraque extrema mobilia decrevit; prout in hoc noſtro, de quo verba facimus, cujus medium immobile Naſo adhæret, Labro verò exttema mobilia adjunguntur: Prȩterea utraque immobilia extrema, mobili tantummodò medio, eſt fabricata, ut in pluribus & potiſſimùm infra in noſtro altero Lit: *d* ſignato revelabimus: Totum prorsùs ſimulque mobile in ſphincteribus habetur: Quod unum denique deeſſe videbatur, cujuſque arcana operandi ratio eſt, immobilem prorsùs hærentemque ubique muſculum eſt machinata, qualem cum in interiore Thyroidis facie, tum inter orbitam oculi & naſum, ſi rectè nos obſervavimus, litera *f* deſignat, de quo ſuo loco ſermo habebitur. Sed eò

*Novi muſculi Traſverſi dicti deſcriptio & officium.*

*Quot diverſis modis muſculi inſerantur.*

redeat,

redeat, unde noſtra aberravit oratio. Quum igitur hærens atque immobilis hujuſce muſculi, quem nos a poſitu *Tranſverſum* dicimus, media pars ſit, reliqua verò ejuſdem productio ima potiſſimùm multò mobilior ſit; luculenter percipitur, & ſuperius Labrum circa Narium latera attolli, eaque maximè contrahi & corrugari.

§. XII. Huic eidem modò deſcripto muſculo *Tranſverſo* nobis nominato ejuſdem ferè generis fibræ inferiùs adjacent, quæ quidem & breviores & pauciores ac in majorem curvitatem diſpoſitæ Naſi angulo proximiores, ejuſdem penè Alis incumbunt: Hæ utpote breviores Naſi dorſum omnino non ſcandunt, ſed eidem applicitæ in tendineam membranam abire videntur; Quarum alterum extremum eſt infra Narium radicem in ſuperioris labri priore parte ſeu prominente. Atque hic fibrarum faſciculus is eſt, ſi tamen ſuperioris *Tranſverſi* quamdam particulam huic non adjecerit, quamque ulteriùs progredi non planè deprehendit, cujus iconem habemus in geminis Euſtachii Figuris prima, & altera Tabulæ XLI. Hunc eumdem quem Euſtachius Tabulis propoſuit, his verbis deſignavit Falloppius. „ Alium prætereà invenio muſ- Obſerv. Anat.
„ culum carneum, ſed parvum, qui circa radicem pinnæ narium exoritur, atque illam aſcendens per tranſverſum uſque ad ſummum ferè dorſum Naſi aſcendit, ut contractus ad ſuum principium depreſſa pinna nares claudat „. In quo detegendo non tantùm ejuſdem ſedulitatem non commendare non poſſumus; verùm etiam eidem uſum aſſignando ſolertiam prædicamus; Quamquam huic ipſi rei intelligendæ, aliud quidpiam adjiciendum eſſe, cenſemus. Quorum utrumque, muſculum ſcilicet atque uſum ſumma confirmavit in rebus prȩſertim Anatomicis & auctoritas & præſtantia Celeberrimi atque Amiciſſimi Viri Jo: Baptiſtæ Morgagni in Patavino Gymnaſio Primarii Anatomes Profeſſoris & in præſentia Præſidis. Qua verò id contingat ratione, quòd eæ fibræ, quarum inferius extremum ſuperiore altero mobilius eſt, dum in contractionem veniunt, Narium potiùs pinnas arctent & comprimant, quàm ſuperius labrum, cui inſeruntur, attollant potius atque revellant; maximè quum iiſdemmet *Tranſverſi* fibris aſſocientur & adhæreant, quas eidem Labro elevando

*Pars inferior Tranſverſi viſa ab Euſtachio & Falloppio.*

Ad. An. Animad. 12.

vando datas eſſe nullus dubito. Hnac igitur ob cauſam fieri arbitror; Quòd ubi nares immoto ſuperiore labro arctare nitimur, illud quadam vi eo motu tonico detinemus, ut per levem illius muſculi contractionem è ſua ſede dimoveri non patiatur; leviſſimè enim, non elevato eo labro, nares comprimimus; quare tum ea vi firmatum ſuperius labrum innexum ibi alterum muſculi extremum immobile quadantenus facit, propterea intentæ illius muſculi ſemicirculares fibræ, quum inferius labrum, cui inſeruntur, nequeant attollere, earum medio quodammodo complanato adductoque, narium pinnas comprimere, neceſſe habent.

*Qua ratione Nares arctentur.*

§. XIII. Eorum, quæ mox ſumus expoſituri circa muſculos ſeu Narium cavitati ampliandæ, ſeu pinnis retrahendis, atque adeò dilatandis conſtitutos, nonnullos ex Anatomicis multis ab hinc annis quædam vidiſſe ac deſcripſiſſe, non inficiabimur; Quamvis ea nec omninò veritati congruant, nec noſtris obſervationibus quidquam luminis prætulerint quas per eorum ſemitas minimè inſtituimus. Bini igitur utrinque muſculi nobis occurrunt, qui quamquam ab uno ſinguli oriuntur principio, ac ſuperiora versùs producti pariter ad itineris ferè medium procedunt; Quum eorum tamen fibrarum & inceſſus & figura, & termini multùm inter ſe differant, in binos partiri muſculos jure eos poſſe exiſtimamus; Quorum alter ſuperior rectis fibris conſtat; Inferior curvis & deorſum inflexis compingitur. Primi illius nullam novimus factam ab Anatomicis mentionem utpotè cujus fibræ, quum tenues ſint atque latæ, ubi ab iis paulùm rubedo decedat, ut exilibus partibus contingere ſæpe ſolet, membranæ, potiùs imaginem, quàm muſculi facilè referunt, quæque ut a circumſitis rectè diſcernantur, & in optimis cadaveribus, intento maximè oculo ac ſedulitate opus eſt; Is circa Narium latera, ac infra baſim Naſi ſupra caninos dentes ab quarto ſuperioris maxillæ oſſe acuto prodit principio, ac obliquè ſuperiora versùs procedens interiori narium membranæ annexus in ejus oſſis oram infigitur, qua ſuperius ac prominens Naſi latus efficitur; Propterea utrumque hujuſce muſculi extremum immobile fit cujus nihilominus actio cæterorum muſculorum more efficitur; Ubi enim ille tumet ac inteditur, quum extremorum neu-

Tab. 1. L. d
ibid. L. c c

*Novi muſculi deſcriptio.*

neutrum queat ad alterum accedere; media pars contracta adhærentem ſibi interiorem narium membranam adducit & elevat, atque adeò eas cavitates diducit & explicat; idque eò commodiùs fit, quia oſſea ea cui adhęret, crepido in quamdam arcus ſpeciem curvatur. Quod ſi quis ſedulò advertat animum, dum maximè data opera nares diducere ennititur, non obſcurè id fieri percipiet; Cujus ſanè rei ea mihi potiſſimùm neceſſitas videtur, ut ſine ejuſdem muſculi ope minùs quidem commodi a prinnarum dilatatione haberemus, quum ab concidente eo loci membrana arcta alioquì via ampliùs impediretur commeanti ſpiritui ſeu pro liberiore reſpiratione, ſeu pro pleniore odoratu; Quo ſepiſſimè uti muſculo Declamatores cenſeo, cum ad ravim uſque clamantes ita vocem ſæpius intendunt, ut ad ejuſdem reſonitum quàm maximè narium capacitas ſit amplificanda; Eumque nos a loco *narium Lateralem* nominabimus.

*Narium Lateralis dicti.*

§. XIV. Alter huic proximus ac inferior pinnarum ſeu Alarum Naſi abductioni potiſſimùm ſeu dilatationi comparatus eſt; qui ab eodem loco quarti oſſis malæ acutus prodit, ſurſumque porrectis fibris, quarum inferiores breviores ſunt, & curvatæ minùs: ſuperiores autem inflexæ magis, ac longiores; ſupra Naſi pinnas fuſus ejuſdem majori cartilagini applicatur. Non æquè hujuſce pinnarum Dilatatoris quæque pars muſcularem ſubſtantiam refert; ea ſiquidem, quæ propior principio, necdum pinnas attingit, muſcularis evidentiſſimè deprehenditur; reliqua verò, quæ iis imponitur, & adhæret, quò magis procedit; & in tendinem abire, & cumulato, atque intimè comixto adipe obrui, ac deliteſcere magis magiſque conſpicitur. Pinnas validiſſimè attolli corrugato naſo, non eſt, qui neſciat; eaſdem illo immoto elevari quiſque facilè intelligit; illud à Pyramidalibus tantùm effici & veteres propoſuere Anatomici; hoc alterùm à modò deſcripto haberi attendenti rectè patet. Hujus muſculi non meminerunt (modò ego rem probè perſpectam habeam) inter majoris notæ Anatomicos nec Jacobus Sylvius, nec Carolus Stephanus, Veſalius nec Columbus, nec Falloppius, nec Euſtachius, nec Bavhinus, nec Fabricius, nec Caſſerius: quamquam noviſſimus hic, ſi ad ea attendamus, quæ in quodam huic noſtro ſimili deſcriben-

*Paris muſculorum novi deſcriptio Pinnarum Dilatatoris dicti.*

*Num illud Caſſerius viderit?*

C do

do prodidit, aliquid, quod ad utrumque extremum ſpectat, attigiſſe videatur. Cæterum nec de poſitu, nec de figura, nec de uſu ab eodem propoſita huic noſtro ullo unquam pacto conveniunt. Quæ ipſe habet hujuſmodi ſunt. „ Duo alii præ- „ tereà adſunt muſculi noſtro marte nunc primum inventi, „ exigui, tenues, figuram myrti foliis ſimilimam habentes: „ ortum ducunt à narium lacu; hoc eſt oſſe ſuperiore ma- „ xillæ ad marginem narium capacitatis, ubi ipſę alæ anne- „ ctuntur: unde ſuprà alas aſſurgunt, & fibris tranſverſis „ obliquè ad mucronem naſi (ſeu pyrulam à pyri forma cum „ Iſidoro, ſeu extremam naſi rotunditatem) vergunt, cui „ fine tendineo inſeruntur, toti cartilagini ita pertinaciter „ annectuntur „. Porrò in ea Tab., in qua eumdem exhibet, ſic illum delineat; perinde quaſi omnes ejuſdem muſculi fibræ in faſciculum collectæ, ac leviter inclinatæ, in brevem unum contractumque tendinem concurrentes non in pinnarum latera inſererentur: ſed ad priorem naſi partem, ſeu orbiculum pertinerent. Uſum autem in explicatione figuræ ſic expoſuit „ F. Muſculus parvus obliquo ſitu poſitus à ne- „ mine hactenus monſtratus naſi alas conſtringens „. Si quis hæc ſingula cum iis conferat, quæ nos; ſive deſcribendo propoſuimus, ſive exhibuimus delineando: multò aliter rem ſe habere, & ſi quid eſt à Caſſerio tentatum, fruſtrà id fuiſſe: noſtramque operam ab nemine omnium Anatomicorum occupatam intelliget. Qui poſt hunc Anatomes operam dederunt, freti potiùs fide, & auctoritate clari viri, quam inſtituta Anatomica diſquiſitione, eum, de quo eſt ſermo, muſculum expreſſerunt: inter hos Spigelius: deinde mutato officio; ſervata tamen figura, nomine, poſituque Riolanus: poſt hunc Veslingius: ab illo diſentire in commentariis Blaſius, Diemerbroek, Heiſterus non videntur. Circa hunc verò eundem muſculum, ac reliquos ab eodem deſcriptos; quàm benè Caſſerii mentem aſſequatur, atque proponat Thomas Bartholinus: ii facilè dijudicabunt, qui utrumque auctorem conferre voluerint. Ejuſmodi autem eſt hæc circa & Cl: de Marchettis, & Molineti ſententia: ut eos, vel numquam, vel perperam rem attigiſſe, ſignificet. Verheyenius, & BroWnius idem ſenſere, atque expreſſere: quod hi, quos paulò ſuperiùs nomi-

De Fabr. Naſi l. 3. c. 9.

Tab. 2. F. 1. L. F

De Human. Corp. Fab. l. 4. c. 5.

Antrhopograph. lib. 5. cap. 13.

Syntag. Anat. cap. 13.

Anat. Corp. Hum. lib. 3. cap. 19.

Comp. Anat. p. 144.

Anat. l. 3. c. 2.

Anat. c. 13.

Diſſect. An. l. 3. c. 2.

Anat. Corp. Hum. Tr. 4. c. 15. Tab. 27 F. 1. L. M

nominavi: uterque enim ſphincteris in modum pinnarum crepidini circumductum muſculum exhibuerunt; quod non tam ab reliquis omnibus Anatomicis, verùm ab ipſamet Anatome tam alienum eſt, quàm quod alieniſſimum. Neque meliora his Cl: præter reliquos CoWperus aſſecutus eſſe videtur: quum nullum; ſive in ampliſſimis prioribus tabulis (quas nobis liberaliſſimè commodaverat Spectatiſſimus Vir, & Amicus Humaniſſimus, editiſque ſcriptis Cl: Petrus Antonius Michelotti) ſive in adjecta appendice Iconem appoſuerit. Verumtamen ejus deſcriptionem daturus, ab inferiore, atque interiore oſſis quarti parte illum oriri: atque intercoſtalium inſtar decuſſatis fibris (cui rei quidem eo loci nihil quicquam ſimile vidimus) pinnas ſcandere opinatur. Si quis interroget nunc, quamobrem tandiù in his commemorandis detineamur? is hoc ſibi perſuaſum habeat: ſcire nos omnibus Anatomes ſtudioſis obvia hæc eſſe cognitu, & intelligere, quæ cauſa poſſit eſſe, ut ſic interpellemur: ſed rem data opera egimus, ut quæ ſua cuique ſunt jure tribuantur: neve quadam nominum, aut deſcriptionum ſimilitudine, quod indictum hactenus fuit, pro edito, vulgatoque habeatur. Cęterum ſi quis noſtrum hunc muſculum ſervato Caſſerii, aut cæterorum nomine Myrtiformem dixerit: non ejuſdem muſculi figuram à Caſſerio propoſitam rem ſignificare, aut exprimere ſciat. Nos ne nominum novitate, aut varietate obruamur: ſive pinnarum Dilatatorem proprium; ſive Myrtiformem nuncupanti non repugnabimus.

Theat. Anat. Mang. Tab. 10. Fig. 2.

Myotom. Refor. c. 9.

*Vel nunquam vel perperam à plurimis Anatomicis viſum.*

*Muſculus Myrtiformis ſeu Pinnarum Dilatator proprius.*

§. XV. Novum alterum, poſtremumque ſuprà naſi pinnas, ac orbiculum deteximus muſculum; quem ſi quis oſcitanter intueatur, eumque cum altero conferat ab Caſſerio propoſito, quo de nuperrimè verba fecimus: eumdem ipſum primo intuitu, ac noſtrum hunc eſſe facilè judicabit. Verùm non eò Caſſerii Cl: alioquì Anatomici ſecundam proceſſiſſe fortunam reor: ut uno, eodemque muſculo: vel plures exhibere; vel Poſterorum labores, atque ſedulitatem prævertere potuerit. At his nunc miſſis, quid is revera ſit, cujus nemo, quod ſciam, huc uſque meminit, exponamus. Muſculus utrinque unus, tenuibus ac ſparſis fibris, orbiculi integumentis validè adhæret: ſenſim ſeſe contrahens progreditur; ac verſùs

*Par novum muſculorum orbiculi pinnis deducendis datum.*

*Diverſum ab eo, quod propoſuit Caſſerius.*

Tab. 1. L. ee

sùs pinnarum medium procurrens, collectis ibi inſeritur fibris: comprehenditurque velut excitato ſinu propè inferiorem majoris pinnarum Cartilaginis oram. Major fibrarum numerus ferè horizontaliter ducitur: ſuperiorum, quæ & breviores, & rariores ſunt, inclinatus poſitus eſt. Latera pinnarum naſi extremo, ſeu orbiculo multò eſſe mobiliora exploranti conſtabit; quapropter per hujuſce muſculi contractionem non orbiculum ad interiora trahi, ſed priorem alarum naſi partem diduci, atque explicari conſequens eſt. Quod propoſui, poſtquam muſculum detexeram, in ægrotante Muliere attento ſpeculatus oculo adeò luculenter confirmavi (mirantibus, fatentibuſque iis, qui mecum erant reperti muſculi gnaris:) ut propter tegumentorum tenuitatem, crebram & validam, qua utebatur, reſpiratione fibrarum penè ductum dignoſcere ſinguli potuerimus. In hac Fœmina, quam præter cęteras eſſe petulcam novimus, ſummè mobiles, ac elatæ narium pinnæ proſtabant: quod ideò non omittendum putavi, ne ii, quibus minor, neque eorum ſatis idoneorum cadaverum copia ſit; ſi ſemel, iterumque perquiſitum muſculum non invenerint, iccirco hunc nullum unquam fuiſſe; quem noſtris luculenter monſtravimus: aut vix ſemel repertum eſſe credant; quem in optimis, ac plurima ea parte inſtructis cadaveribus tantummodò reperimus.

*Muſculos hos deeſſe interdũ dubitatur, & quando.*

§. XVI. Cæterum perpetuum eſſe affirmare non audeo: quum, vel ob fibrarum exiguitatem, earumque implexum, vel ob diverſam cęterarum, quæ proximæ ei ſunt, Myrtiformis nempè, ſeu pinnarum Dilatatoris proprii, ductum, mihi valdè quandoque de eo fuerit dubitatum, præſertim quum Myrtiformis fibras eò uſque interdum productas compererim: ut nullum tum eſſe poſſe eum muſculum ſim vehementer ſuſpicatus. Præterea ejuſdem Myrtiformis inferiores potiſſimum fibras ſic inflexas, ac intra pinnarum crepidinem inſertas nonnunquam obſervavi: ut minùs nunc demirer, ſi ſeduli, oculatique pro quodam interius conſtituto Pinnarum ſphinctere illas habuerint, quum re ipſa non alienam interdum à ſphinctere ſpeciem referant. Sed iſthæc in natura varietas non eſt ſingularis.

*Fibra Myrtiformis aliquãdo formam referunt ſphincteris.*

§. XVII. Hactenus expoſuimus muſculos, qui vel latera,

tera, vel dorſum, jugumque naſi maximè occupant, quique ejuſdem corrugationi, ſive pinnarum retractioni ac dilatationi potiſſimùm dati ſunt: nunc, qui earum contractionem faciunt, explicandi ſunt, non quales, ut ſuprà diximus, aut poſtremis temporibus BroWnius, & Vereheyennius, aut prioribus Veſalius ejuſque Aſſeclæ docuerunt. Quantacumque nos fuimus in optimis cadaveribus diligentia verſati nullum talem muſculum, quem in interiore narium capacitate ad eaſdem arctandas propoſuit Veſalius, præter id quod jam jam diximus, detegere potuimus. Nares tamen arctari veteribus cognitum eſt, idque ope labri ſuperioris fieri, ſeu per quamdam vivorum obſervationem, ſeu id per Anatomen exquiſiverint. In primis Realdus Columbus diſeritis verbis hanc ſententiam propoſuit. „ Clauditur naſus à muſculis dicto „ labro (ſuperiori nempè) opem ferentibus, non autem à „ propriis. Nam quoties aliquid nobis per nares attrahendum „ eſt, ſuperius labrum conſtringere cogimur „ Id ipſum poſt hunc aſſeruit Vidus Vidius, Spigelius, Laurentius &c. Id tamen, quamquam verum ſit; niſi, quid rei hoc ſit, propoſuerint: verba mittant, nullam redolet Anatomicam ſedulitatem. In re igitur incomperta primus doctrinæ ſpecimen præbuit Guiliel. CoWperus, qui muſculum in Anatomen invexit ſuperiori labro quidem proprium, ſed & arctandis naribus communem, ejuſque in Myotomia Ref. deſcriptionem inſtituit. Muſculum utrinque unum ab oſſe maxillæ quarto ſuprà inciſorum dentium gingivas, pronatum; ſurſumque evectum per ſuperius labrum in naſi alas inſeri. In icone verò ejuſdem & latitudinem, & longitudinem ita ob oculos ponit; ut earum dimenſionum neutra cum Anatome, atque adeò cum veritate congruat. Eum etenim, qui reapſe & ſuperioris labri Depreſſor, & pinnarum naſi, adeòque earundem conſtrictor muſculus habendus eſt, nunquam obſervavimus ultra primi inciſorii dentis latitudinem utrinque prolatari: quum in ejuſdem tabula ſenum utrinque dentium ſpatium occupantem intueamur. Alterum porro, quod in hac eadem tabula proponitur cum noſtris obſervationibus minùs facit: ex lateralibus nimirum fibris vix ullæ ad naſi alas pertingunt, ſed quò magis à medio decedunt, eò breviores fieri videntur, ac ſeſe in pro-

Theat. Anat. l. 5. Tab. 5.

De Human. Cor. Fabr. l. 2 cap. 13.

*Legitimus pinnarum ſphincter nullus eſt.*

De Re Anat. l. 5. c. 4.

De Anat. corp. Hum. l. 4. c. 2.

De corp. Hu. Fab. l 4 c 5

Hiſtor. Anat. l. 5. c. 14.

Myot. Ref. c. 9.

Ibid. Tab. 3. lit. D

*Muſculus labri ſuperioris proprius arctandis naribus communis.*

*Tabula cum Anatome non convenit.*

proximam oſſis partem ſupra gingivas inſertum ire. Sed hac in re utrum fallimur: cum, quicumque hanc ejus tabulam cum Anatome contulerit, Judicem facimus. Nos ſiquidem multò aliter obſervare conſuevimus: nempè laterales fibras, appoſitas iis, quæ in naſi alas inſeruntur, nec aliquid ad eum muſculum pertinere, quum aliò ferantur: nec, ita rectà ſurſum protendi, atque exhibentur; ſed eo planè ductu, eaque poſitione, qua mox explicabimus.

*Labri ſuperioris quatuor fibrarum ordines.*

§. XVIII. Nam priùſquam id facio, ii nobis ſunt recenſendi fibrarum ordines, quibus conſtat ſuperius labrum. Conſtat autem omnino quatuor: ex his interior rectà utrinque ſupra primores dentes a gingivis in pinnarum baſim inſeritur; atque is CoWperianus muſculus eſt Depreſſor labri ſuperioris, & alarum naſi conſtrictor nominatus. Sed nobis hi muſculi gemini ſunt, quum inter utrumque fibrarum lacertum non minima interiiciatur ſecundum longitudinem producta intercapedo, ubi illa cavitas eſt, quæ Myſtax dicitur: per hanc enim cavitatem probè in duplicem muſculum dirimitur. Is porro muſculus, cujus inventionis laus hucuſque jure merito CoWpero fuit tributa: non adeò vetuſtiores latuit Anatomicos; ut poſt tantum annorum ſpatium, quo Anatomes exercetur nihil ab iis indicatum ſit, unde colligi poſſit detectum fuiſſe. Euſtachii certè ſedula manus, quid fecerit, teſtantur ejus tabulæ. Etenim Tab. XLI. fig. I. fibræ ab ſuperioris labri medio, ſub iis, quæ orbis in modum, utrumque labium circumeunt, versùs naſi ſeptum, ſeu interiora narium ſic producuntur, ut non alium velle oſtendere videantur, quàm labri ſuperioris depreſſorem, & alarum naſi conſtrictorem. Id tamen in hujuſce muſculi delineatione deſideratur, quod ſicut à nimia CoWperianæ figuræ, ſeu fibrarum amplitudine ſcitè declinavit Euſtachius: ita in contractiorem lacertum, atque unum dumtaxat, contra, atque nos obſervare conſuevimus, nimiò coegit.

*Conſtrictor pinnarum Cowperi duplex nobis eſt.*

*Hunc novit & delineavit Euſtachius.*

Tab. I. lit h.

§. XIX. Ad horum muſculorum, ſeu primi fibrarum ordinis latera, ex eodem gingivarum loco alteri prodeunt fibrarum lacerti, qui paullò in ſuperiora producti, versùs oris angulum inclinantur, curvanturque: atque eò ſtrictiùs concurrentes, cum cæteris fibrarum ordinibus arctiſſimè innectun-

tur.

tur. Harum exortus citrà binos utrinqe inciſores habetur: & lateralium quatuor dentium ſpatium eas numquam occupare deprehendimus; quare non in hoc tantùm à CoWperiano Icone noſtræ differunt obſervationes, quum plurimùm etiam ab eodem diſconveniant, quæ paullatim fibras eas circà latera decreſcentes in ſubjectum quartum os malæ tanquam inſertas repræſentat: quum prorſus ſuperiore altero extremo ab eodem, oſſe ſejunctæ ad formandum ejus labri latus reverà revolvantur.

*Labri ſuperioris fibrarum ſecundus.*

§. XX. Tertius fibrarum ordo is eſt, qui ex eadem Pinnarum, ſeu majorum Cartilaginum baſi ennatus, ab eo latere, quo invicem eæ accedunt, utrinque deducitur: & infrà modò deſcriptum faſcem ad proximum oris angulum contendit. Hic ſiquidem aliquando minùs appareat in cauſa fortaſſe eſſe poteſt, vel quod tenues interdum occurrant, vel ità ſubjectis implexæ; ut ægrè ab CoWperianis, ſeu à rectarum ordine diſcernantur. Præter exteriorem hunc fibrarum ordinem, alter tenujor quidem, & interior, huic omninò reſpondens tum eidem loco eadem ratione inſertus nobis ſæpe repertus eſt; qui eo pacto, quo ſuperior alter poſt conſpicuam decuſſationem inſertioni proximam in earumdem majorum Cartilaginum tuberculum, ſeu principium, quà eæ invicem applicantur, ſe infixum properat. Si accuratè interior oris membrana detrahatur: tum fibræ, tum decuſſatio, ubi optima ſuppetant cadavera perſpicuè ſeſe videndas exhibent. Atque harum utrarumque actione factum exiſtimo: quòd dum ſuperum labrum deprimimus, ac nares arctamus, harum quoque opera Depreſſoribus muſculis conferatur. Præterquam quod, & id animadvertere juvat numquam nos vel ſuperum labrum deprimere, vel nares arctare poſſe, quin pariter os ipſum quadantenus diducatur; quod cum fit, & tendi utrumque labrum oportet, & harum non levi fibrarum vi nares deprimi, atque adeò coarctari.

Tab. 1. lit. H

*Ejuſdem labri tertius fibrarum ordo duplex eſt, interior minor, & exterior major.*

*Earumdem Fibrarum decuſſatio, inſertio, uſus.*

§. XXI. Poſtrema verò, ac inferior fibrarum ſeries imam ſuperioris labri ſedem occupat: ac ab uno ad alium oris angulum paullulum in arcus modum inflexa, lata, ſed tenuis protenditur. Hunc potiſſimùm fibrarum ordinem, modò alium quemquam non cognoverint, Anatomici ad noſtra uſque tempora

Tab. 1. lit. K

*Quartus ordo fibrarum pro ſphinctere habitus.*

pora

pora pro labrorum ſphinctere nominaverunt. Neque id nomen in vulgus ſolummodo invaluit, ſed diligentiſſimi Proſectores Falloppius, Euſtachius, CoWperus præter cæteros aut propoſuere verbis, aut tabulis exhibuerunt: perindè ac hujuſce fibræ orbicularium, ſiquæ ſunt, more, ſeu circulari inceſſu utrumque labrum complecterentur, quarum nullum extremum ſit neque immobile primum ſeu principium, neque mobile, & obſequens alterum ſeu terminus: earumque decurtatione id fiat, quod perperam orbicularium fibrarum contractione effici arbitrantur. Id unum in præſentiarum indicaſſe ſufficiat, haud in orbem eas fibras ferri; ſed implexo quidem ac mirifico naturæ ordine circa utrumque Labrorum angulum, ubi eæ concurrere, iterum diduci ac dividi, prout deinceps fuſiùs explicabimus, quum ad hanc partem pertinentium muſculorum tractationem abſolverimus.

Obſ. Anat. Tab. 41. F. 1. Anat. Corp. Hum. T. 5. fig. 4. lit. I & Myot. Ref. fig. 1. lit. F F

§. XXII. Labri ſuperioris Elevatorem muſculum, qui & narium pinnis elevandis famulatur, deſcripſimus ſuprà; hi nunc exponendi occurunt, qui vel rectà, vel obliquè, ſive ſuperum tantummodò, ſive utrumque ſurſùm vellunt. Qui rectà ſuperius Labrum attollit, vel Elevator Labri ſuperioris proprius, vel rectiùs forſitan Inciſorius ab inſertionis loco nominatur. Is infrà oculi orbitæ crepidinem propè majorem angulum demittitur; ac ponè pyramidalem propter pinnarum latera in ſuperum Labrum inſeritur, propè inciſorios dentes fuſis, explicatiſque fibris ad interiora vergentibus; quibus ſimul utrinque intentis muſculis rectà quadantenus id Labrum attollitur: Eorum alterutro dumtaxat operante leniùs Os detorquetur. Hujuſce interdum principium ſic proximo Pyramidalis lateri jungitur, ut unus continuatuſque muſculus videri poſſet, ſi aut eum perpetuò contingeret, aut diverſa utriuſque fibrarum directio aliter non ſignificaret.

*Elevator muſculus proprius Labri ſuperioris, ſeu Inciſorius.*
Tab. ead. L. R

*Pyramidali interdum copulatur.*

§. XXIII. Huic adjutor venit muſculus alter, utrinque unus, qui à priori Oſſis jugalis facie eductus, obliquo inceſſu interdum ejuſdem Inciſorii lateri copulatur, interdum ſuper eodem, ac ſub Pyramidali interjectus, disjectiſque fibris in eumdem ſuperi Labri locum inſeritur; ejus eſt obliquè ſurſùm eam partem adducere. Hunc cęteri ſilent Anatomici præter Celeberrimum Morgagnum, ex cujus doctiſſimis Adverſa-

Tab. ead. L. Q

verſariis habemus „ ſic ab oſſe jugali faſciculum fibrarum non „ contemnendum ad proprium Labri ſuperioris Elevatorem „ muſculum dimiſſum bis vidiſſe meminimus „. Hunc eumdem poſtquam pluries comperimus muſculum, in eadem Euſtachii XLI. Tabula Fig. I. delineatum obſervavimus; quamquam & in hoc ab eo diſſentire cogimur: quum ab eodem tamquam Labrorum Orbiculari ſubjectus proponatur, qui per noſtram Anatomen eidem Orbiculari ſuperfuſus repertus fuit. Hunc verò, vel uti crebrò, vel uti conſtanter à ſe repertum delineaverit Euſtachius, nihil licet ex ejuſdem Tabulis aſſerere. Nos in pluribus continenter confectis Capitibus ac Faciei diſquiſitis muſculis eum perpetuò, varia quidem nonnunquam magnitudine, & ab reliquis omnibus diviſum, & invenimus ipſi, & noſtris, qui aderant, luculenter monſtravimus. Ideò fortaſsè minùs antehac ſeſe in conſpectum dedit, vel quia ſic adipi immergitur, vel cum Orbicularis Oculi fibris copulatur: ut vel nullus, aut nullius nominis lacertus fuerit exiſtimatus. Facilè ubi tenuis eſt, utpotè proximi Orbicularis, ſub quo ſæpe plurimùm deliteſcit, appendix, & portio habetur: Quamvis hic revera neque ad Orbicularem, de cujus lacerto ſuprà egimus, neque ad alterum, ac majorem Zygomaticum quidquam pertineat, quapropter eum Zygomatici minoris nomine nuncupandum cenſemus.

Adv. Anat. 2. Animad. 12.

*Hujus muſculi aliter atq; nos obſervavimus Euſtachius termino delineat.*

*Muſculus Zygomaticus minor nobis perpetuus.*

§. XXIV. Qui utrique Labro communes muſculi ſive rectà, ſive obliquè ſurſum evehunt adeò conſpicui ſunt, ut Anatomicorum nemo ſit, qui eos in præſentia non noverit; tametſi, quem nos Labrorum Elevatorem communem, ſeu à termini vicinia Caninum dicimus Falloppius arbitretur Veſalium non noviſſe; ego quidem à proximis non ſecreviſſe judico, minimè tamen tantos, adeòque conſpicuos fibrarum lacertos præclariſſimum Anatomicum latuiſſe, exiſtimo: nam ſi deſcriptio ſedulò conferatur; non id cognoviſſe tantummodo, ſed plura præterea eum minimè latuiſſe, fortaſsè fatebimur, quæ ab noſtris dumtaxat poſtmodum diſcreta fuere. Libet tamen & Falloppii obſervationem proponere; qua quid conſonum, quidve ab Anatome alienum ſit, apertè conſtabit. „ Dum „ tertium, inquit, par deſcripſit, novum muſculum præter„ miſit, carnoſum totum, ſed gracilem atque teretem, qui

*Muſculus Elevator Labrorum communis ſeu caninus.*

Tab. ead. L. O

Obſer. Anat.

De Human. Corp. Fabr. l. 2. c. 13.

„ oritur à cavitate illa, quæ malis ſubjicitur, & in Labrum „ ſuperius, vel potiùs in frœnum ipſum inſeritur. Hic muſ„ culus multa pinguedine obvolutus in omnibus cadaveribus „ à me repertus eſt „. In ejus igitur deſcriptione duo mihi ab Anatome nonnihil declinare videntur: alterum quòd muſculus ille velut teres proponitur, qui gracilis quidem, & tenuis, ſed latus exiſtit: alterum verò, quòd potiùs quàm in Labrum ſuperius, extra Oris rictum eum ſeſe conjicere deprehendi.

*A Fallopio non rectè prorſus deſcriptus.*

§. XXV. Tametſi ad neutrum Labrorum novus alter à nobis repertus muſculus quicquam ſpectet, priuſquam tamen ab hiſce partibus nimium recedam, eum proponere eſt opus. Is utrinque unus ad Rhomboidem figuram accedit; Uterque acutus angulus tendineus, medium autem omninò lacertoſum eſt; tenuis ſed latus, vix duos tranſverſos pollices æquat longitudine. Pars inferior acutior eſt; ſuperior latior: inter Naſi latera, & Orbitam ſitus, infrà majorem canthum quarto Oſſi ſic totus adhæret, ut nulla hujuſce muſculi pars mobilis deprehendatur. Cui hunc muneri natura comparaverit ſic omninò me latet, ut ne divinare quidem auſim. Quum tamen nullum Sapientiſſimi Conditoris Opus conſilio deſtituatur, atque is niſi loco moveri muſculus, turgere ſaltem aliquantum poſſit; Quumque nulla ſit vel leviſſima Faciei mutatio, qua eorum, quæ interiùs aguntur, non aliquid prodatur; num fortè ad quempiam minutum licet, at maximè fortaſſe ſignificantem motum, ac Faciei modum accommodatum dicemus? Sed quibus animus magis vacuus eſt, hæc ampliùs diſquirenda relinquimus. Eſt etiam muſculus alter, ſive lacertulus multò iſto minor, de quo eadem ferè conquæri poſſent; mox infrà Orbitæ limbum, ſuprà Rhomboidem tranſverſim locatur, cujus utrumque extremum tendineum eſt, venter autem carneus; brevis quidem, ut ſit lato pollice minor; tenuis, ut lineam vix æquet: ſic tamen conſpicuus, & ab reliquis diſcretus, quod poſitus maximè oſtendit, ut minimi quidem, at præclaram muſculi formam referat. Sed hæc tantummodo in præſentia indicaſſe ſufficiat; quum de horum officio, utpotè omninò hærentibus vel nil nobis dicendum ultrà ſit, vel eadem ſint repetenda.

*Muſculus Rhomboideus.* Tab. ead. L. f

*Totus Oſſi cohæret.*

*Alter longè minor, ſed conſpicuus.*

*Utrique incerti uſus.*

§. XXVI.

§. XXVI. Alterum, eumque vetuſtiſſimè cognitum utrique Labro utrinque inſertum ac opitulantem muſculum Zygomaticum ab origine nominant Anatomici; quem poſthac ſi libuerit, ut ab altero, eoque minore à nobis ſupra deſcripto, etiam nomine dignoſcere poſſimus, majorem Zygomaticum appellabimus; cujus fibras non perpetuò in unum lacertum coeuntes, ſed aliquando in duplicem, triplicemve faſciculum diſpertitas cum exercitatiſſimis Proſectoribus ad terminum properare deprehendimus. Tab. I. lit. P *Muſculus Zygomaticus major.*

§. XXVII. Nunc ii deſcribendi reſtant muſculi, qui inferius maximè Labrum, ac mentum compingunt, in quibus eadem nobis ferè proponenda occurrunt, quæ circa Labrorum orbicularem antea obſervavimus. Hujus itidem lacertoſæ fibræ minimè in orbem feruntur; ſed quadam ac rudi arcus imaginè ab angulo ad angulum Oris comigrant, quò loci ſuperioris Labri, cæterorumque illò coeuntium muſculorum fibris implicitæ atque decuſſatæ quò poſtremò abeant, nitidiùs à nobis declarabitur, ubi deinceps de horum muſculorum implexu, ac diductione uberiorem ſermonem habuerimus. Lit. I.

§. XXVIII. Quem colibitum fuit, ab officio Labrorum communem Depreſſorem, ſeù figurà Triangularem nominare, ab menti latere aliquando lata baſi prognatum vidimus: aliquando longioribus fibris, quæ mento proximiores ſunt, ulterius prolatis in adverſum latus ferri, ac compari ita occurrere, ut una habeatur, eademque fibrarum continuatio ab uno ad alium Oris angulum, nullo interiecto diviſionis ſigno: Idque non modò à nobis, ſed & ab diligentiſſimo Euſtachio obſervatum fuiſſe, de ejuſdem Tabula xxxv. didicimus; Quod tamen alterum, variè licet, natura fuit inſtituere ſolita, minimè ex eo animadvertimus: nam quum nullum aliquando eorum velut muſculorum uinculum habeatur; interdum tamen iiſdem adjectum eſſe tanquam lacunar eoſdem colligans ſæpe reperimus. Ubi igitur iſtud invenire, quod crebrò evenit, datum eſt, elegantis, ſed parvi muſculi forma diſpoſitum reperi: teres nonnunquam figura fuit, nonnunquam plenus, ac latus, ſub mento ſitus occurrit, ea longitudine, qua utrumque proximius Triangularis extremum colligaret. Hujus

Lit. x *Muſculus communis Depreſſor Labrorum, ſeu Triangularis.*

*Muſculus menti Tranſverſus novus, non perpetuus.*

D 2

jus utraque tenuia extrema in tendinem mutantur, quibus firmiter innectitur, quoniam per latiorem ventrem laxiùs mento copulatur.

§. XXIX. Quum de iis, quæ ab Cl. CoWpero de ſuperioris Labri Elevatore muſculo, & alarum naſi Conſtrictore propoſita ſunt, dudum à nobis verba fierent, ita eum collaudandum diximus, ut ne Euſtachii quidem quidpiam gloriæ detraheretur; Quum is etiam ejuſdem muſculi non rudem imaginem tot ante annis elaboraverit. Quod ad Elevatorem verò Labri inferioris pertinet nil cum eodem Euſtachio, aliove Anatomico, prout mihi compertum eſt, inventionis gloriæ commune habet; qui ſolus, nullo aut præmonente, aut prævertente, hoſce muſculos detexit. Ego eos & perpetuò adeſſe reperi, & pretereà quà ii ſe ſe inferiùs conſtringunt, ita fibris implicari, ac decuſsari, ut ab adverſo latere prodeuntes in oppoſitum planè ferantur; quod non eò dumtaxat commemoro, quia utrumque CoWperus prætermiſerit; verùm ut alterum ab iis commodum percipiatur; quoniam ab eorumdem animadverſo poſitu perſpicuum eſt, non modò per eos inferius Labrum elevari, ſed & neceſſariò contrahi quadantenus, ubi intenduntur.

Lit. q x *Elevator muſculus Labri inferioris.*

Myot. Ref F. 4. FF.

*Hujus fibræ decuſsatæ prodeunt, unde uſus alter elicitur.*

§. XXX. Hiſce utrinque uſque adeò conſpicui aſtant muſculi, ut mirum oppidò ſit hujuſce Anatomici diligentiam eos fugiiſſe: etenim juxta præcedentium exortum, quinimo ſub iiſdem ab eodem Auctore CoWpero in Anatomen invectis aliquatenus prodeunt, ac dimiſſis inferiùs, curvatiſque paululum fibris ſe ejuſdem Labri Orbiculari dicto comites adiungunt. Nos non ſolum in ſingulis omnibus quæſitos cadaveribus perpetuò reperimus, ſed eadem ſemper & figura, & loco compoſitos; ut & conſtanti eos munere fungi, & neceſſarium præſtare commodum, dicendum ſit. Horum itaque actione non tantum ſive in mandendo, ſive in quolibet alio uſu id Labrum gingivis adduci oportere certum eſt; verùm & ad illud contrahendum, atque adeo in priora producendum, plurimum famulari, nullus dubito, quos impoſterum placet inferioris Labri Productores muſculos nominare.

*Labri inferioris Muſculi novi deſcripti.*

*Uſus.*

*Productores nominati.*

§. XXXI. Quandoquidem ad eos fibrarum lacertos ventum eſt, qui eodem poſitu, & ordine, ac vulgo Oris ſphincter,

Tab. eadem Lit. t.

ćter, incedere deprehenduntur; qua eæ ab ſuperioribus ratione diferant, proinde ac diverſæ forent, haud ſatis intelligo; multòque magis mirari ſubit, prælaudatum Anatomicum CoWperum ſtratum illud fibrarum tanquam Labri inferioris Depreſſorem muſculum nominare. Quas neque illi comparatas eſſe muneri, neque iſtud præſtare poſſe, facilè animum advertentem fore perſpecturum credo. Eæ namque fibræ, quum ab Oris lateribus, (ne quid ampliùs eorum inpræſentia proferam, quæ nondum ſatis expoſita ſunt,) quadam ſemicirculari imagine ad inferius potiſſimùm Labrum, ſeu Buccæ inferiorem partem compingendam diſponantur, atque adeo proximas circumvallent gingivas; quanam ratione fieri cenſendum eſt? ut, dum in contractionem veniunt, queant inferius Labrum deprimere. Nam ubi eæ contrahuntur, turgeſcere, hoc eſt, decurtari, atque ſimul ad rectitudinem propiùs accedere neceſsè habent; ex quorum utroque id neceſſariò conſequitur: cum is contrahitur & turget; vel Labrum ſursùm evehi debere, vel certè prominere, quod vel utrumque vel alterutrum pro arbitrio contingit. Quapropter ſi aliquod nomen ab ſphinctere Labrorum diverſum ei dandum foret, vel inferioris Labri Corrugatoris, vel ejuſdem Protruſoris nomine nuncupari poſſe cenſerem. Præterea huic naturæ muneri, ad inferius ſcilicet Labrum deprimendum, peculiarem muſculum conſtruxit: qui quidem eo nomine donandus eſt, quoniam huic potiſſimum deprimendo inſervit; ac tametſi non adeo planum ſit eos adamuſſim dirimere, & in dupplicem diſpertire muſculum, id tamen & mente, & oculo ita pronum eſt aſſequi, quàm quod maximè.

Myot. Ref. Fig. 4. lit. G.

*Nam fibræ ſemicirculares Labri inferioris queant idem deprimere?*

*Corrugator muſculus ſeù Protruſor.*

§. XXXII. Iſtius igitur Labri inferioris Depreſſoris proprii fibræ, ut luculentiùs intueantur atque innoteſcant, non in extima tantummodò Labri ſeu menti facie ſunt contemplandæ; ſed refflexo eodem Labio, purgatiſque interiùs velantibus Oris membranis, eò uſque præterea procedendum, donec nulla tranſverſim occurrat Protruſoris, ſeu Corrugatoris fibra. Per exteriorem igitur Corrugatoris faciem ex priore, ac laterali maxillæ parte proprii Labri Depreſſoris fibræ procedunt, ac ſurſum paralello ordine protenſæ, nullis interſtinctæ ſive tranſverſis, ſive circularibus, ſed obliquè paulum actæ, propè terminum

*Labri inferioris Depreſſor proprius quà perſpicuè ſpectandus eſt.*

*Fibrarum incefus, & ſitus proponitur.*

minum tenuiores, in fines inferioris Labri terminantur. Non æqua ſemper eſt earumdem fibrarum inclinatio, quum pro varietate ſubjectorum, ea quoque variare conſueverit. Extima autem ejuſdem muſculi facies non ita luculenter percipitur, quoniam ſive ob interjectum adipem, ſive ob varium fibrarum ordinem earum inceſſus interturbatur.

*Unde ea procedant.*

Quod tamen & diligentiori examine, & in idoneis cadaveribus deprehendere potuimus id primum eſt: Omnes eas fibras, quæ ſive à menti, ſive à maxillæ acie ſursùm proferuntur, non undè proficiſci videntur, derivari; verùm multò inferiùs earumdem haberi exordium, quum à muſculo quadrato Colli, cujus eæ continuatio ſunt, certò producantur; idque adeò facilè demonſtratur, ut, leniter exſecto Triangulari muſculo, ac tractis Quadrati fibris, id omne protinùs ſeſe in conſpectum dederit. Quod, neque cæteri, qui de hac re egerunt, animadvertere Anatomici, neque ſuis monſtravit Euſtachius Tabulis: quum ſi in ulla, in xxx. præſertim id illi exhibendum fuiſſet. Hujus itaque muſculi, quem nonnulli Anatomici Quadratum menti nuncupant, exterior facies, ſeu vario, implicatoque fibrarum ductu, ſeu plurimo interjectoque adipe ſic obducta conſpicitur, ut ægrè quicquam certi vel jiſdemmet decernere fuerit. Eorum propterea pleriſque prætermiſſis, ea tantummodò, quæ in exercitatioribus Anatomicis

Myot. Ref. fig. 1. L. f
Tab. noſtra I Lit. V

Euſtachio, & CoWpero majore ſunt edita ſeduſitate, nobis perpendere in animo fuit; quorum tamen neuter cum noſtris omninò convenit obſervationibus: CoWperus etenim extimum fibrarum ordinem, qui Depreſſori ab eo tribuitur, ſemicirculari ductu ferri propoſuit, contra atque à nobis obſervatum fuit, & exhibitum.

*Harum inceſſum Couuperus non videtur aſſequutus.*

In illius namque Tabula ad inferiora, in noſtra ad ſuperiora ſinguli omnes fibrarum lacerti convertuntur; qui quidem ſi rectè dijudicare valeo, ejuſdem penè ordinis atque ii ſunt, quos interiùs tranſverſim ferè ſitos diximus, quoſque reflexos Lit. *t* notavimus. Inter hoſce geminos fibrarum ordines, qui ejuſdem tamen poſitus, ac directionis ſunt, quorum alter exterior eſt, alter interior, atque utroque Corrugator conſtat, medias ſe conjicere eas fibras, quas modò à Quadrato Colli derivatas diximus, ſi non aſſerere, nullus tamen proponere dubito. Ex his tamen nonnul-

*Inter Corrugatoris fibras ea ſe conjiciunt, quæ depreſſoris ſunt.*

læ circa utrumque Oris angulum, ſive ad majorem firmitatem, ſive ad quodpiam aliud commodum interiùs ſubeunt. Quamobrem extimum utrumque fibrarum ordinem in arcus modum diſpoſitum Labri inferioris Corrugatori, ſeu Protruſori concredere libet, quum interjectus medius dumtaxat ordo ejuſdem Labri Depreſſori tribuendus videatur: cujus quidem non solùm intereſt idem Labrum deprimere, verùm pro varia copulatarum fibrarum actione, tùm varios motus edere, tùm variis ſe aptare figuris, & præcipuè idem exteriùs reflectere. Porrò ad Euſtachium quod attinet; in ejuſdem Tabula XLI. Fig. I. in qua, licet aliqua deſiderentur, eà tamen ſedulitate pro eorum temporum ratione elaborata videtur, ut neque accuratiorem, neque ſimilem alteram quiſque poſterorum ediderit, ſic tamen illius ſeu Quadrati, ſeu Depreſſoris fibræ locantur, ut unus tantummodò utrinque ordo emergere videatur; qui quamquam circa medium menti, ubi addecuſſim, geminari videntur: non id tamen apparet, quod nos deprehendiſſe viſi ſumus; nempe, quòd circa medium Reticulatum conſpicitur, non ab rectis tantùm, atque à Platiſmate derivatis fibris, ſed & à ſemicircularibus ſuperjectis efficiatur. Imæ vero circà menti apicem tranſverſim ſitæ; ſi tamen eæ fibræ ſunt, ac ad aliquid ſignificandum inſtitutæ; cujuſnam eo loci dictionis ſint, quum nec illuc uſque interiores ſemicirculares dictæ pertingant, nec alterius ordinis eo ductu ferantur, aut quid præſtare valeant, minimè aſſequor.

*Ea um Uſus.*

*Euſtachius eas aliter pingit, ac comperimus.*

§. XXXIII. Etſi inter Maxillæ potiùs, quam Faciei muſculos Platiſma-myodes recenſeri jure queat, ne inchoata jam de eodem oratio aliò abrupta rejiciatur, quæ de eo animadvertenda ſuperſunt, in hunc locum conjicere duco. Primùm quod adnotandum occurrit, extimam hujuſce muſculi faciem non ita Cuti adhæreſcere, ut nihil omninò inter utrumque intercedat; quoniam juxtà varias ſubjectorum conſtitutiones ſtratum adipoſum quandoque conſpicuum interjicitur; idcircò ex hoc inferre licet, panniculi carnoſi, ſi quid tamen hujuſmodi in homine eſt, illum minimè ſobolem eſſe, quod & de Frontalibus muſculis dictum volo, quum & hi ab Cutis tegumento modico interjecto quandoque adipe diriman-

*Platiſma-myodes non adhæret Cuti immediatè.*

*Diverſum à panniculo carnoſo, ſi is in homine eſt.*

tur;

*Panniculus carnoſus in Brutis immediatè Cuti adhæret.*

tur; quum contrà in ſaginatis animantibus, quibus panniculum hunc adeſſe comperimus, quàm proximè nullo interjecto adipe Cuti is adhæreſcat. Alterum quòd, quum nunquam priora ejuſdem latera ita adducta viderim, contrà atque ab Veſalio proponuntur; perquam rarò etiam ita atque ab Euſtachio exhibentur, pronum eſt mihi opinari, ea multò magis diducta eſſe conſueſcere. In eo tamen latere id comperi ab nemine animadverſum, quod infrà Thyroidem validiuſculi ejuſdem lacertuli, ſeu fibrarum faſciculi decedant, qui obliquè ſursùm provecti in adverſas oras lati, ſupra Thyroidem ſæpè decuſſantur, ac porrò pergentes ad maxillam contendunt. Ad hujus itidem priorem partem, ſeu mentum, non ii tantùm lacertuli, de quibus modò, decuſſati pertingunt; ſed extrema hujuſce muſculi latera ſic concurrunt, ut ſingulorum fibræ manifeſtò in oppoſitum latus ferri videantur. Atque ab hujuſce decuſſatione, non levis mihi ex repetita diſquiſitione, ſuſpicio eſt, eos progigni muſculos, qui cum CoWpero inferioris Labri Elevatores dicuntur. Quæ autem de hujuſce termino dici ſolent, nobis quidem varia ſæpe occurrere, quæ verò de poſtico ejuſdem principio, ex noſtris diſſectionibus improbari ſępiſſimè ſolent. Quod verò, ſive ex his quas animadvertimus, ſive ex aliis ejuſdem Quadrati fibris in Os Hyoides aliquot inſerantur, CoWpero aſſerente, nunquam nobis incidit obſervandum; ac vehementer ſuſpicor, rem ſecùs fortaſse à reliquis Proſectoribus repertam iri.

De Human. Corp. Fab. l. 2. Tab. 3. Lit K
Tab. 30.

*Supra Tyroidem hujus fibra decuſſantur.*

*Summa harum decuſſatio circa baſim mentis, ex qua fortaſſe origo Elevatoris Labri inferioris.*

Myot. Ref. cap. 10.

*Ab hoc nulla fibra ad Os Hyoides.*

§. XXXIV. Hujus ejuſdem Colli Quadrati quaſi ſoboles, & propago novus alter muſculus nunc primò à nobis productus poterit alicui fortaſſe videri; at cùm plura nos ſuadent, tum illud maximè evincit, rem aliter ſe habere, aliumque omninò à Quadrato eum eſſe, indeque non derivari, quòd huic ille ſubjicitur: noſtrique fibræ Quadrato penè tranſverſim impoſitæ, inde oriri videntur, quò ut plurimùm alterius terminus haberi ſolet. Incerta huic figura eſt, qui unus quandoque, aliquando in duplicem, triplicemve faſciculum diſcernitur. Latior ſæpe hujus exortus, quem tendineum interdum deprehendimns, circa Maxillæ angulum ſic Cuti innexum, ut ægrè inde evelli queat: tenujor utique eſt, præterquam in termino, quò paulum teres, & firmior, modò ſubli-

Tab. ead. L. u

*Muſculi Quadrati propago non eſt.*

*Hujus figura incerta.*

ſublimior, & rectior, modò inferior, & incurvus Triangulari muſculo circa ſummum copulatur. Is ubi contrahitur quum rectior fiat, Os leviter poſſe ab eo diduci videtur; quod quum ridendo præſertim contingat, & huic nos motui eum opitulantem credamus, & nè hunc quidem innominatum prætermittamus, Riſorium nuncupabimus.

*Triangulari copulatur.*

*Muſculus Riſorius novus.*

§. XXXV. Poſtremus Buccarum muſculus, qui nobis ſupereſt deſcribendus, Buccinator eſt, potiſſimùm cibis in maſticatione continendis, huc illucque dentibus aptandis comparatus. Utrinque unus, latus, validus eſt, quem non explicandis, ſed quàm maximè contrahendis Buccis famulari, jam diù dixere Anatomici, qua etiam ratione Buccinator dici deberet, non quia ad aſſervandum aerem buccas diſtendat, verùm eas contrahat ad eumdem vi exprimendum. Exercitatiores Anatomici norunt ei principium eſſe exterius circa poſtremos binos Molares dentes ab utraque maxilla. Addiderunt his Diligentiſſimus CoWperus, & Cel: Heiſterus „ partim à proceſſu Coronoide maxillæ inferioris„ prætereà eſſe deducendum: nunquam tamen id nobis compertum obtigit, quando Coronoides proceſſus eo tantummodò loci ſit nominandus, quo ſupra communem utriuſque proceſſus baſim ab altero condyloide proceſſu diduci incipit. Conſtans verò alterum ipſius exordium, neque à prælaudatis, neque à cæteris, quod ſciam, memoratum, quod conſpicuum ſanè trahit tum à baſi, tum à tenui, acutoque corniculo proceſſus Pterygoidis, ei validiſſimè adhærens tendineo copulatus vinculo. Latior eſt multò hujus baſis, quam vel deſcribi, vel in tabulis à Cl: alioquin Proſectoribus ſoleat exhiberi, nam ubi ad terminum accedit quodam obtuſo vertice trianguli imagine productus compreſſior aliquando tenuatur. In hac parte vel minimè diſſecuiſſe, vel perperam, atque oſcitanter Thomam Bartholinum ex eo conjicere licet, quod „ hunc rotundum „ inſtar circuli tenuem, & membraneum, variis fibris inter „ textum „ dicat: nam neque iſta fibrarum implicatio, neque hæc figura cuiquam modicè exercitato unquam ſeſe offeret. Duplicem terminum habere, mobilem alterum, alterum immobilem ſcire licet. Ima inferioris labri corrugatoris pars, unà cum muſculi noſtri Productoris fibris copulata eò pergit,

*Buccinator Buccis contrahendis datus, unde & nomē.*

Myot. Ref. cap. 10. Comp. Anat. 319.

*Hujus principium non à Coronoide, ſed ab utraq; maxilla, & Pterygoide.*

Anat. lib. 3. c. 11.

*Figura Buccinatoris à Bartholino perperam propoſita.*

E unde

*Inceſſus, & terminus fibrarum illius quo pacto detegendus.*

unde Buccinatoris inferior pars à maxilla exoritur, quorum uterque, vel alteruter faſciculus, ſi Buccinatori tribuatur hujus immobilis terminus eſt. Alter verò mobiliſque ejuſdem terminus, quem unum hucuſque novere, ad oris angulum fuiſſe viſus eſt. At per Anatomen non omninò hæc ita eſſe percipientur ab his, qui accuratiſſimè in lacertoſis cadaveribus ſectionem inſtituent. Atque ut hæc confectio ex ſententia contingat, non eſt tantummodò ennitendum, ut oris angulus ab reliquis inutilibus, ſive membranis, ſive adipe purgetur, ſed ſinguli circumjecti muſculi ſedulò ſunt detegendi; ut ſimul & verus Buccinatoris terminus ea confectione innoteſcat, & cæterorum progreſſus, de quibus nos infrà eſſe dicturos non ſemel polliciti ſumus.

*Septem utrinque muſculi ad oris angulum pertingunt.*

Septem utrinque ad ſingulos ſcilicet oris angulos muſculi pertingunt: Buccinator videlicet, gemini ſuperioris nempè & inferioris Labri Corrugatores, communis Elevator ſeu Caninus, Zygomaticus major, Riſorius, atque Triangularis. Quamquam eas muſculares fibras, quibus Labra conſtare diximus, pro uno hucuſque Orbiculari muſculo, ſeu ſphinctere dixerunt Anatomici, nos tamen geminum ſuprà poſuimus. Nunc quid ille revera ſit, prout per Anatomen compertum eſt, dicemus.

§. XXXVI. Ubi peragrato Labrorum ambitu ſemicirculares eorumdem fibræ ad oris angulum accedunt, hi ad invicem cumulantur & coeunt; ut quæ laxæ priùs ac diffuſæ ampliorem aream occupabant, confertæ in locum multò arctiorem contrahantur. Itaque ſi vel adverſo lumine earumdem directio perſpiciatur, aut præclara luce varia partis inclinatione id ſeriò ſcrutetur; quod nobis ſępiſſimè evenit, deprehendetur tandem: non uno eodemque fibrarum ductu ſphincteris imagine utrumque labrum circumdari, verùm eas ad angulum utrinque perductas ità interſecari, ſeu ad decuſſim duci, ut diverſum planè fibrarum ordinem labra circumire intelligatur.

*Decuſſatio fibrarum circà oris angulos.*

*Quo pacto diri antur à Buccinatore.*

Quòd ſi ulterius fibrarum iter perſequi lubeat, eæ ſunt levi cuſpide diducendæ, quò faciliùs queat cujuſque inceſſus internoſci: ità clarè patebit, has non ferri ad alterum Labrum; ſed ſuperioris labri fibras ad infimam Buccinatoris partem; inferioris labri ad ſupremam ejuſdem Buccinatoris contendere. Ex his fibris Buccinatorem ut plurimùm compingi

vidiſſe

vidiſſe viſus ſum: Niſi poſt tantam hac in re exploranda ſedulitatem, aliquod adhuc hallucinationis periculum verendum ſit. Cæterum quemadmodum earum plurimæ ſic progredi ſępiùs deprehenſæ ſunt: ſic nullam fibram inde aliorſum deflectere negare non auſim; Quum crebrò nonnullæ Zygomatici majoris fibræ non tantùm eò inſerantur, ubi omnes ſciunt, ſed ità proferantur, ut vel Corrugatoris fibræ ad Zygomaticum, vel Zygomatici ad Corrugatores pergere perſpicuè videantur. Quod, cum dico, ita intelligendum eſt: Non omnes illuc ferri, ſed imas præſertim & ad Triangularem, & ad noſtrum Riſorium muſculum productas, continuataſque dimitti. Continuationem harum fibrarum ad Triangularis, ſeu labrorum communis depreſſoris partem compingendam concurrere probè novit, atque delineavit Euſtachius: reliquam ac potiorem triangularis partem interiorem potiſſimùm cum Canino, ſeu communi Elevatore Labrorum muſculo continuari, atque unam eandemque eſſe fibram, quæ ab imo Triangularis ad Caninum ſummum proferatur, evidentiſſimum eſt. Quà Caninus ad Triangularem abit fibras cogit, ac firmior fit: ex quo liquet minùs rectè ab iis Anatomicis Caninum vel deſcribi, vel delineari, qui non extra oris rictum, ſed quaſi omninò, vel plurimùm in ſuperius labrum inſeratur.

*Nonnullæ ab Zygomatico majore ad Labra compingenda feruntur.*

*Aliquot ab Triangulari, & Riſorio noſtro.*

Tab.41.fig.1.

*Triangularis fibræ plurimæ Canino continuantur.*

§. XXXVII. Vix quidquam ſupereſt, quod noſtras ampliùs in hoc loco ſiſtat obſervationes, nam neque novi alii muſculi proponendi, nec aliorum lapſus animadvertendi ſuperſunt. Perfunctoriè tamen nonnulla notabimus, ac primò de Temporali muſculo illud occurrit, quòd eæ fibræ, quæ ſupra Maſtoidem proceſſum ortæ tranſverſim ferè ad inſertionis locum properant, per quemdam velut gibbum canalem ad radicem prioris temporalis proceſſus inſculptum deferuntur, quò tamquam trochleæ ope in opere adjuventur. Præter quoſdam inexercitatos cæteri fortaſſe omnes norunt, tum ab oſſe temporali, tum Frontis, & Bregmatis, & Sphenoide illum derivari. Eximius Anatomicus CoWperus ab interiore quoque facie proceſſus Zygomatici eum deducit, unde nos tantummodò Maſſeterem derivari putamus: ſed inſuper adjiciendum eſt non ſic eum oriri à Sphenoide, ut ab externo dumtaxat latere prodeat; quum & is emergat à priore ejuſdem facie,

*Poſticę Muſculi Temporalis fibrę per trochleam ducuntur ad maxillam.*

*Nam Temporalis etiam à Zygomatico proceſſu prodeat.*

quæ poſticum magnæ rimæ latus orbitæ oculi prorsùs ſubjectæ efficit; quod icciirco annotatum volumus, ut ea faciliùs tum intelligantur, quæ infrà, ubi de Cerebro Cap. III. de novo quodam duræ matris ſinu per eam magnam rimam prodeunte, erunt nobis proponenda. Ejus autem muſculi terminus eſt non modò in utramque proceſſus Coronoidis faciem; verùm eò uſque per interiorem ejus proceſſus aciem tendineus dimittitur, ut duas vix lineas à poſtremo molari dente recedat. Manſorii verò ſeu Maſſeterii originem ſicut ab interiore facie proceſſus Zygomatici deducendam diximus, ſic non ejuſdem decuſſatas fibras comperimus; contrà atque idem CoWperus ſentit, ſed ad invicem tantummodò inclinatas ad terminum progredi. Porrò cum iſte muſculus Eruditiſſimo dicente Jo: Guilielmo „ Pauli „ in communem potiùs cum muſculo Alari interno „ tendinem angulum maxillæ inferioris tegentem videtur abi- „ re adeò, ut quivis manſorius cum dicto Alari muſculum „ digaſtricum exhibeat „ etſi ſpecie quadam verum cenſeri poſſit non omnino tamen cum noſtra Anatome congruere videtur; tum quia Maſſeterius multò amplior eſt, quam interior Pterygoides; eòque prolatat tendinem, quò nulla Pterygoidis fibra pertingit: tum quòd Manſorii fibræ omnes non ad maxillæ angulum proferuntur, quum plurima eorum pars validiſſimè in exteriorem maxillæ faciem inſeratur. De gemino autem Pterygoide muſculo nihil nobis adjiciendum eſt, niſi quòd exterior ſæpe ab interiore quoque latere marginis ejuſdem nominis proceſſus procedit; interior verò ex quibuſdam velut ſtratis, ac laminis, quarum altera tendinea, carnea altera, coagmentatur. Digaſtrici denique medium, teretemque tendinem extrà Styloidem muſculum locatum ſemel, vel iterum tantùm reperiſſe memini.

*Maſſeteris Muſculi fibræ non decuſſatæ.*

Ad van Horn. Op. Annot. n. 15. a

*Neque Digaſtricum efficiunt cum Alari interno.*

OB-

# OBSERVATIONES ANATOMICÆ

## CAPUT II.

### *De Aure exteriore.*

§. I. SEcundùm Faciei muſculos ii potiſſimùm eſſe ad examen revocandi viderentur, qui Auriculæ dati ſunt; modò poſt infinitos penè ab Solertiſſimis, ac Præſtantiſſimis Anatomicis circa auditus Organum exanthlatos labores, quicquam adhuc ab jiſdem inviſum, prætermiſſumque fuiſſe credendum foret; Præſertim quum præter Illuſtrium Proſectorum Bartholamæi Euſtachii, Realdi Columbi, Gabrielis Falloppii, Cæcilii Folii Protomedici ex noſtris Pręceſſoribus, ac reliquorum ſedulitatem, ſingillatim de hac re Tractatus utpote abſolutos ediderint Celeberrimi Viri Fabricius, Caſſerius, Schelhammerus, Vernejus, ac poſtremò Cl: atque Exercitatiſſimus Anatomicus Jo: Maria Valſalva noviſſimè fato ereptus, qui ſi hominum quiſquam quæ ſupremus condidit Opifex aſſequi ſcrutando valet, in præclaro de Aure humana Tractatu, vel jam aſſequutus eſſe, vel quàm proximè ad ea acceſſiſſe viſus eſt. Quum autem nulli hoc datum ſit hominum, tametſi improba ſedulitate ſinguli pertentarent; adhuc plura nihilominus ſupereſſent detegenda, quæ Conditoris Sapientiam magis magiſque declararent. Et in Aure igitur humana ſperandum quidpiam adhuc, producendumque reſtat, cum circa interiores, tum maximè exteriores ejuſdem partes, in quarum potiſſimùm diſquiſitione Noſtras nunc Obſervationes contulimus; muſculos nempè Auriculæ, qui nec omnes ab laudatis Auctoribus detecti, nec eorum aliquot ea, qua par erat, perſpicuitate, aut obſervati, aut deſcripti,

*Proſectores celeberrimi qui ſingilatim de Aure tractaverunt.*

*Reſtat adhuc quidpiam producendum.*

pti,

pti, aut denique delineati fuere. Res hic nobis cum Schelhammero non eſt, qui quum hominum aures non commodè arrigi, aut cieri ut in quadrupedibus obſervaverit, illas omnino carere muſculis adversùs propugnantem Caſſerium aſſerere non dubitavit; Verùm id potiùs nobis evincendum exiſtimamus, non muſculos ſcilicet Auriculæ deeſſe, quandoquidem eos facillimum eſt & huic facultati initiatis deprehendere; Sed partes eas, quibus ii famulantur, variè pro re nata licet fortaſſe nec omnes, nec noſtro arbitratu, & leniter quidem moveri; qui ſcilicet motus etſi rudioribus noſtris ſenſibus minùs conſpicui evadant: non ob id tamen nullos eos eſſe deducendum; Nec eam operam eſſe ab iis dumtaxat navandam, ut particulæ, quibus inſeruntur, rigidæ, & inflexibiles perſtent, ſeu ut motum, ut ajunt, tonicum obeant: Quod quum mihi, tum à muſculi natura, & officio, tum à pluribus commodis, quibus fuere comparati, perquàm alienum eſſe videatur; meum faciliùs in animum induco, eos cęterorum muſculorum more, modò laxari, modò tendi, ac ſingulas partes, quibus proſpiciunt pro ſonorum gradibus, ac diverſitate, non quantùm noſtris ſenſibus planè liquet, ſed quantùm illi muneri congruum eſt, aut contrahere, aut diducere, atque uno verbo propriis uſibus aptare.

De Aud. Tract. p. 1. c. 1. n 7.

*Muſculi non pro motu tonico dati ſunt.*

§. II. Et veteribus ſuperiorem Auriculæ muſculum ac potiſſimùm Falloppio, Euſtachio, Caſſerio, cæteriſque cognitum fuiſſe ex eorumdem monumentis palam eſt; Quæ tamen illi obſcurè ſubindicarunt, diſertè Falloppius de eo diſſeruit, quum Euſtachius, & Caſſerius pręclaros ejuſdem Icones ediderint. Hoſce duos ex recentioribus aliquot imitati, vel iiſdem penè verbis deſcripſere, vel eaſdem exhibuere imagines, quæ num cum veritate conſentiant, neq; prorſus inficiari, neque aſſerere quidem audeo. Is namque vel brevior eſt atque ab Caſſerio exhibetur; vel longior, atque latior eo, qui ab Clariſs: Valſalva delineatur, ne de cæteris dicam, qui quàm maximè à veritate alienos ſuis Tabulis protulere. Is itaque tendineo prodit exordio infrà ſummum Crotaphitis muſculi marginem, nec rectà deorsùm fertur, laudato præmonente Falloppio, ut Anatomicorum Tabulæ exhibere ſolent, ſed latiore, & longiore parte in priora inclinatur; at quò propiùs ad

Obſerv. Ar. Tab. Anat. plurib. De Aur. aud. Org. ſtruct. l. 1. c. 5.

Tab. 3. fig. 1. lit. B. Tract. de Aure hum. Tab. 1. fig. 3. l. A Tab. 3. fig. 4. lit. B

*Muſculus auriculæ ſuperior aliter ſe habet, atque proponitur.*

ad auriculam proficiſcitur validior, atque confertior fit, cujus poſteriores, ac breviores fibræ, quæ quidem pauciores ſunt, rectà demiſſæ in ſuperiorem, poſterioremque Conchæ partem inſeruntur, cæterarum verò plurimæ magis in priora deductæ circa omnem ſuperioris auriculæ cavitatis, ſeu Scaphę partem implantantur. Harum non tendinea, ſed carnea inſertio eſt, quod quidem tenujores, puto, gracilium cadaverum fibræ impoſuere, quas revera carneas luculentiſſimè deprehendimus. Quum hujus itaque inſertio non modò ex obliquo fiat, nec in ſuperiorem tantummodò Scaphæ partem, quod diligentiorum Anatomicorum Euſtachii, Caſſerii, Verney, ac Valſalvæ iconiſmi dumtaxat deſſignant, ſed in priorem omnem ejuſdem partem potiſſimùm non ad auriculam attollendam modò; verùm etiam ad ejuſdem ſuperam cavitatem undequaque explicandam is comparatus eſſe rationabiliter videtur. In ſuis autem ampliſſimis Tabulis contra atque à cæteris Anatomicis propoſitum fuerat CoWperus ad auriculæ poſteriora in priorem tamen partem paululùm inclinatum eum locaverat, quem deinde poſitum in Myotomia Reformata non ad veritatis normam, ſed juxta reliquorum morem mutavit, quamquam ex eo ipſo loco Falloppii mentionem fecit, qui licet omnia non attigit, ejuſdem tamen poſitum veritati congruentiorem deſcripſit.

*In priorem ſcaphæ partem inſeritur.*

Anat. Corp. Tab. 12. F. 1.

Myot. Ref. c. 12.

*Cowperi figura emendata nedum veritati congruens.*

§. III. Quæ, ſi prout nos expoſuimus, ita veritati conſentiunt, ut ex repetitis cadaverum ſectionibus compertum eſt; Priores, ſeu laterales hujuſce muſculi fibræ, quæ magis inclinatæ non in ſummam, ſed in lateralem prioremque Scaphæ partem infiguntur ab Cl: Valſalva pro altero fortaſsè, novoque muſculo, ni meus me fallit animus, habitæ fuerunt; in cujus namque perquiſitione quum maxima ope nixus fuerim, atque id ſedulò & ſæpius in cadaveribus perquàm idoneis; Nec quod deſcribit, nec quod delineat mihi unquam reperire datum fuit; Interdum quidem imas, ac poſtremas hujuſce muſculi fibras diductas vidi; Verùm nunquam aut horizontali inceſſu, aut in utramque cavitatem productas, aut demum ab uno eodemque profectas principio.

§. IV. Nos equidem & conſtantem & conſpicuum, & ab reliquis diſcretum in priore auriculæ latere muſculum detexi-

teximus, qui aliquando omnino, aliquando ex parte latiori ſupra deſcripto ſubjicitur, atque inter eum & temporalem conjicitur. Prodit is latiuſculo principio tranſverſum pollicem ſupra Os jugale à priore auriculæ regione, qui ſuperincumbente altero modò deſcripto lacertoſior eſt ac rubicundior, ſenſim tenuatur, ac ſubter Concham fertur, quà Helix introverſus eam veluti excitato medio prominente aggere in duplicem quaſi cavitatem dirimit. Hujus perſpicuè inclinatus inceſſus eſt, ac porrò pergens propè poſterius ejuſdem Conchæ latus validè inſeritur: Hic interdum nonnullas ex compingentibus fibris in proximum Helicis proceſſum immittit, quarum aliquot in itinere convexæ Conchę faciei applicitis, poſtremas contra ac prope poſterioris muſculi inſertionem producit. Si pro re nata, quod in cæteris maximè evenit, hujuſce muſculi actio excitetur, & in priora Concham velli, & quadam medii illius aggeris depreſſione ampliorem effici, ex earumdem partium poſitu liquidò conſtare cenſeo; Quod profectò quàm maximo illius organi commodo fieri poſſe puto, quippe quod quum tot ſonorum varietatibus eſſet aptandum, cum ratione diſtantiarum, tum poſitus, tum denique ob eorumdem virium diſcrimina, opportuno proſpiciendum erat conſilio, ut quacunque levi licet exterioris organi mutatione tot facilè illud poſſet ſonorum diverſitatibus accomodari. Nè quis fortè ſuſpicari aliquando poſſit noſtrum, hunc deſcriptum muſculum nobis immeritò uſurpari; quum hunc eumdem eſſe cenſeat quem utpote „ Auriculæ muſculum anteriorem noviter inventum „ & deſcribit, & delineat prælaudatus Valſalva; Nè quis inquam iſtud de nobis ſuſpicetur, aut noſtra cum ejuſdem editis conferat, aut utriuſque inventorum ad Lydium lapidem, ad Anatomen ſcilicet periculum faciat. Noſter etenim non „ immediatè ſuprà exortum proceſſus Zygomatici ab Oſſe temporum „ ſed tranſverſum ſupra policem enaſcitur, nec „ rectà verſùs auriculam „ noſter tendit, ſed ad eam inclinatus demittitur „ nec, antequam „ eam attingat, in duas dividitur partes, quarum altera in „ partem anteriorem ſuperioris Conchæ cavitatis, altera verò „ paulò ſuperiùs in anteriorem cavitatis Scaphæ infigitur „ . Quod omne uno penè intuitu collatis Tabulis facillimè dignoſcitur;

*[Margin notes:]* Tab. 3. fig. 4. lit. D — *Muſculus novus Conchę proprius.* — Tab. ead. fig. 4 lit. A — *Ejuſdem uſus.* — Tract. de Aure hum. c. 1. n. 6. — *Rationes proponuntur diſcriminis inter anteriorem Valſalvę, & noſtrum.*

ſcitur ; nam præter ea quæ propoſuimus , omnem eum muſculum ſupra Helicis cartilagineum proceſſum , contra atque res ſe habet , ac nos incidi curavimus , inſertum delineat .

§. V. Antequam ulteriùs progrediamur, noſtræ hic opportuniùs proferendæ ſunt Obſervationes, quas circà cartilagineum Helicis proceſſum habuimus, illuc uſque ab Anatomicis prætermiſsum, quò ab eodem Cl: Valſalva detectus, atque meritò in Anatomen invectus fuit . Hunc autem ligamenti gratia, per quod ea Auriculæ pars firmiùs nectatur, quamvis ab eo Auctore propoſitum , excitatum fuiſse , minùs noſtris Obſervationibus probari videtur, tum quia nullum , & ſi ſedulò inquiſitum , eidem inſertum vinculum deprehendimus, tum multò magis quia nobis compertum eſt, cujus potiſſimùm gratia conſtructum eum arbitramur. Eum igitur pro exortu inviſi hucuſque, & indicti muſculi, quem nos primò produximus , conditum eſſe pro certo habemus . Ab hujus itaque proceſſus, quanta eſt, longitudine latiuſcula baſi muſculus aſſurgit, & ſecundùm Helicis ductum priori illius convexæ faciei aſſidet, ac circà majorem Helicis curvitatem contra ſuperiorem Scaphæ oram infigitur. Is latum circiter pollicem longus eſt, cujus tenujor apex in tendinem abit, & exteriùs medio Helici inſeritur : Hunc non tenues, ac Helici omnino appoſitæ, hærenteſque fibræ compingunt, ſed lacertoſæ, ac tereti figura donatæ, quæ quantæ ſint, aut neceſſitatis, aut commodi, ex producto dedita opera huic uni fortaſsè muneri cartilagineo proceſſu contemplanti facilè patet . Per hujus ſiquidem muſculi actionem, quandoquidem ſupera pars, proceſſu nempè, mobilior eſt, & Helicis ſummum ad inferiora trahi, & ejuſdem Helicis priorem cavitatem diduci, luculenter patere, arbitror; Atque id fortaſsè duobus potiſſimùm temporibus peropportunum eſſe poteſt, vel cum omnis auricula in Conicam magis figuram in levioribus præſertim ſonis mutari neceſſe habet; vel cum ad majorem excipiendam ſonororum radiorum copiam , qui è poſtica regione adventant, priorem in primis opus eſt Helicis partem diduci, atque explicari; Quapropter eum poſthac Helicis muſculum nominabimus.

*Cartilagineus Helicis proceſſus non ob ligamentum datus eſt.*

Tab 3. fig. 4 lit. b

*Deſcriptio &*

*Uſus proponitur.*

*Muſculi Helicis dicti, Noſtri novi.*

F §. VI.

*Fibræ muſculares in plana Helicis facie.*

§. VI. In eadem Cartilaginei proceſſus tranſverſa linea, ſeu hujuſce propè exortum perpetuò mihi, ubi in aptis, quæ potiſſimùm proſecanda ſeligo, quæſivi cadaveribus, in plana ejuſdem Helicis parte muſculares fibræ occurrere, quæ breves, ſed latæ utroque tendineo extremo ampliori Helicis faciei applicantur; Quas quidem eo loci non inani poſitas fuiſſe conſilio, quoniam hæ conſtanter reperiuntur, quis non intelligit? & quamquam ob eam, quæ iis data eſt, tenuitatem adnexam flectere Cartilaginem non poſſe videntur, qui probè tamen ex Pręclariſſimo Alphonſo Borello ingentem muſculorum vim noverit, eas profectò, nec temerè nec impares ei loco adjectas ſentiet; idcircò haſce fibras ſuperiori Helicis muſculo opitulantes, ac eo in loco, quà is deeſt, ſuccenturiatas arbitrari fas eſt.

*Muſculus Tragi deſcriptus.* Tab. 1. n. 8. Tab. 3. fig. 4. lit. f

§. VII. Muſculum nuper deſcriptos inſequentem Clariſſimi ejuſdem Auctoris ſedulitas detexit, quique Tragi muſculum, cui exteriùs aſſidet, nominavit. Hic nobis ubi perſpicuè appareat, ad trianguli curvilinei figuram potiùs accedere videtur, quàm „ ambitu ferè circulari circumſcribi „ Oritur is acuto interiùs tendineo principio ab ea ſuperiore cartilaginis crepidine, quæ ſummo oſſeo fornici adhæret, qui inter Maſtoidem, & primum ejuſdem temporalis oſſis proceſſum interjectus cartilaginoſæ ſubſtantiæ poſteriùs, ac ſuperiùs deficientis vicem ſupplet; atque ab eo vertice productis, diductiſque fibris, contrà atque ortus eſt, inſeritur: Exteriorem tenet ejuſdem Tragi faciem, quæ convexa pro illius particulæ exiguitate manifeſtò deprehenditur, quum ejuſdem interior cava aliquantulùm exiſtat; Quo poſito, quodque, ut animadverteretur, dignum cenſui, quum apex illius cartilaginis, unde acutum muſculi principium orditur, multò firmior extima ejuſdem Tragi ora ſit, per ejus muſculi contractionem non poteſt, quin interior Tragi cavitas complanetur, & ejuſdem exterior limbus, quum ad interiora trahatur, in priorem quoque partem velli, neceſſe eſt, atque eo duplici nomine & Concham ampliorem fieri, & meatus auditorii os explicari manifeſtò evincitur.

*Tragi facies exterior convexa paululū eſt.*

*Muſculi actio explicatur.*

De Aud Org. Tract. Part. I

§. VIII. Cartilagineas meatus Auditorii Inciſuras, quæ primò per Celeberrimi Joſephi Verneii ſedulitatem Orbi Anatomico

tomico innotuere, quemadmodum ab eodem delineatas habemus, ſæpius reperi; ex quibus prior ac major in duplicem veluti finditur, atque in quamdam anguli ſpeciem binas intrò latas concurrentes lineas exhibet. Hæc potiſſimùm, de altera enim minùs mihi luculenter hucuſque conſtat, non „ cute meatus interiora veſtiente tantùm „ jungitur; Nec eidem Vernejo adſtipulante Valſalva „ membranoſis expan- „ ſionibus tam versùs interiora, quàm exteriora meatus clauſa „ eſt; verùm in plurimis continenter diſſectis Auriculis, una dumtaxat excepta, pro illius partis exiguitate, firmo conſpicuoque muſculo exteriùs illam obductam reperi: Varia illius figura eſſe ſolet, aliquando enim veluti in duplicem ab uno exortus principio dirimitur, atque ejuſdem inciſuræ diductioni imponitur; interdum in arcus ſimilitudinem componitur, & ejus cavum ad exteriora convertitur. Ea eſt hujus muſculi fibrarum directio, ut ex interiore parte ad exteriora vergant, & utroque tendineo extremo earumdem marginibus inſerantur. Alteram quoque inciſuram lacertoſis exteriùs fibris muniri, quamquam mihi aliquando non obſcurè vidiſſe viſus ſum, quum id tamen nec ſæpiùs, nec luculenter viderim, pro comperto aſſerere non audeo; Quod fortaſsè earumdem potiùs tenuitati, utpotè quæ multò minori inciſuræ proſpiciunt, quàm omnino defectui tribuendum cenſeo. Quæ quum ità ſint, minùs fortaſſe, ſi viveret, eidemmet Cl: Auctori, quem jam propoſuerat, earumdem cartilaginis interruptionum uſus arrideret; Quum poſthac certè à cæteris Anatomicis probandus eſſe non videatur; Nam, prout hucuſque expoſuimus, tot ac variis muſculorum machinulis Auricula inſtruitur, ut quàm minimè ad illam firmandam, atque in motu tonico continendam ii comparati videantur; ſed provido, mirandoque conſilio, ut partes illius penè ſingulæ modò contrahi, aut explicari, modò proferri, aut adduci ad ſingulos ſonorum motus & varietates facilè poſſint, ſine ullo licet hominis aut ſenſu, aut voluntate. Atque hac maximè ratione cartilaginei tubi partem iis fuiſſe inciſuris diremptam, ac muſculo munitam arbitror; ut nempè, cum particulæ eæ ad interiora tractæ adducuntur, meatus auditorii Orificium amplius evadat, ipſeque canalis auditorius & brevior, & obliquior; quæ parvæ li-

De Aure hum. Tract. c.1. n. 10.

Tab. 1. n. 9. Tab. 3. fig. 4. lit. e

*Muſculus novus inciſuræ majoris auriculæ.*

*Tum hujus muſculi uſus quà cæterorū neceſſitas indicatur.*

cet mutationes, quas vix acutior ſenſus dignoſcere valet, quantum tamen iis partibus diverſitatis inferant, quantumve virium aut detrahere, aut adjicere ſonoris radiis queant, ii potiſſimùm norunt, qui ſolertem Accuſticis operam aliquandò navarunt.

*Antitagri muſculus.*

*Ibid. Cap. 1. n. 7. Tab. 1. fig. 3 lit. D*

§. IX. Detectum à Clariſs. Valſalva Antitragi muſculum, de quo nihil niſi Auctoris ſedulitas laudanda occurrit, ſuum, ut cæteri, obire motum non temerè credimus, atque hujus ope, & Concham explicari, & inferiorem rimam inter Tragum, Antitragumque locatam diduci proclive eſt cuique intelligere; Fibras porrò, quas in convexa Conchæ parte idem animadvertit, non rarò ſic confertas vidimus, ut cautè nimis eo nomine, nuncupatas cenſeamus. Hæ, prout nobis oblatæ ſunt, non omnes in tranſverſum feruntur, ſed plurimæ ac lacertoſæ obliquè ſenſim protenduntur, atque ex iis inferiores in cavam Helicis faciem; Superiores autem in convexam poſteriùs inſeruntur extimæ illius cavitatis partem helice terminatæ, quæ dum alternatim, ſive ex arbitrio, ſive ſecus vel intendantur, vel remittantur, Concham complanari & poſteriorem alteram cavitatem, perceptu facile eſt. Mirari equidem ſubit ſedulum alioquì Anatomicum Drakium cum tragi, tum antitragi muſculos pro commentitiis potiùs habere, quàm in rerum natura exiſtentes, qui tametſi vel veteribus, vel ſuo CoWpero inviſi, non idcircò induſtriæ plurimum aut laboris quo detegerentur præmonſtrante præſertim Valſalva, requirebatur: Quòd ſi de iis hæc ſibi excidere paſſus eſt, quid porrò noſtris fiet, qui multò minùs quandoque conſpicui ſunt. At quam maximè præſtat non unum eſſe rerum Anatomicarum judicem, & ex his, quæ propoſuimus pleraque omnia vel publico jam monſtrata fuiſſe Theatro, vel pluribus ſæpiuſque noſtris in ædibus patefacta exercitatis Alumnis.

*DraKius dubitat de muſculis novis Auriculæ.*

*Obſer. Anat. De re Anat. lib. 5. c. 10.*

*Muſculi poſtici non debentur Caſſerio.*

§. X. Porrò Poſterior Auriculæ muſculus non primùm aut detectus aut expoſitus à Caſſerio fuit, quum & illius & ſuperioris diſertè meminerit quadraginta circiter ante annos Falloppius, atque ante hunc Realdus Columbus, tametſi rarò repertum fateatur, eum tamen vidiſſe conſtat, quare iis fortaſsè inviſis „ eorum omnium inventionem deberi Caſſerio „

pro-

prodidit. Ille etenim in Anatomicis obſervationibus anno 1567. Venetiis editis hæc ipſa habet verba „ Auricularum „ Muſculi tres aliquando reperiuntur, atque in illis præcipuè, „ qui dum viverent, aures motabant; Horum primus, qui „ anteriori parte collocatus eſt, oritur a fine extremo, & „ ſuperiori Muſculi frontis ejus lateris, in quo eſt auricula ipſa, „ in quam deſinit. Muſculus hic valde tenuis deſcendit ver- „ ſus Aurem, & ſuo fine inſeritur in eam ipſius partem, „ quæ, ἀντιλόβιον, & in principium illius ξύςηρ auriculæ „ vocata eſt. Munus ipſius eſt ad ſuperiora, ac anterio- „ ra auriculam trahere. Secundus muſculus, non ut aliqui „ opinati ſunt, a mamillari proceſſu, ſed ſupra ipſum ab Oc- „ cipitio oritur, ubi deſinunt muſculi poſteriores, qui Scapu- „ lam, & Caput movent. Hic anguſto principio exortus per „ tranſverſum fertur deſcendendo, & parùm latior factus ve- „ luti in tres digitos divideretur, poſteriori Auriculæ implan- „ tatur, ut illam ad poſteriora, & aliquantiſper altiora tra- „ hat. Tertius muſculus ille eſt, qui primus inter moventes „ genas, & faciei cutem connumeratur πλάτυσμα μυῶδες di- „ ctus. Nam hic aliquando ita carnoſus fit, itaque aſcendit, „ & in partem inferiorem auriculæ, quæ ſub fibra latitat, „ inſeratur, hancque ad inferiora trahat „ Hæc non idcircò dumtaxat retuli, ne tanti ſcilicet Anatomici inventorum glo- ria quicquam imminueretur; verùm etiam ut de eodem, præ- ter complures alios, intelligatur & motari hominum Auricu- las, atque adeò ei muneri datos muſculos, & tertium inſu- per eum detexiſſe, quem a productis Platiſmatis fibris dedu- cit; quem quidem nos aliquando oppidò lacertoſum, firmum- que obſervavimus; Poſt hæc verò ut Poſtici ſitus potiſſimùm, numerus, & officium innoteſcant, quibus tamen paucula et- iam de noſtro adjicienda cenſemus. Non æqua eorum eſt ma- gnitudo, neque idem ſingulorum poſitus, ac figura; ſuperior etenim frequentiſſimè medio brevior eſt, ac eidem ſubjicitur, & carneo extremo conchę ſuperiori intimiorique parti illiga- tur; Medius longior tendineo aliquando extremo, aliquando carneo exteriùs multò conchæ inſternitur, atque utriuſque po- ſitus penè horizontalis eſt; Inferior longè maximus quatuor la- tos digitos longitudine æquat, teres hujus, ac tendineum prin- cipium

*Deſcriptio muſculorum Auriculæ ex Falloppio.*

*Poſtici iidem à nobis deſcribuntur.*

cipium inter occipitalem ferè majorem, minoremque noſtrum, de quo ſupra Cap. I. §. IV. egimus, locatum ad priora procurrit; plenior huic venter, ac propter Auriculam in teretem tendinem evadit, & obliquè demiſſus in imam ferè Conchæ partem nonnihil ad interiora inſeritur, quorum valida actione & Auriculam poſteriùs, ſursùmque trahi laudatus tradidit Falloppius. Nos verò & eadem ope convexiorem Conchæ cavitatem fieri facilè exiſtimamus. Hujuſce muſculi deſcriptionem daturus Clar. Verheyenius, cui tertius ordine Poſticus eſſe videtur; quid ex Anatome viderit, aut quid ſibi commentus fuerit, vix ſatis ex ejuſdem verbis percipio. Carnoſum magis, ſed brevem, nec adeo latum ab Occipitis oſſe ortum explicat, quem indè ad poſteriorem Auris partem tendentem „ cui paulò ſupra medium ferè perpendiculariter infigi „ ſignificat, quum in Tab. XXVIII. fig. 2. per lit. D horizontali fibrarum inceſſu eum in conchæ ſuperiorem partem inſertum exhibeat; cui quartum ex Thoma Bartholino adjiciens, num ſit, quidve ſit, minimè dignoſcens, tamquam Proſectorem non ageret, & retuſa ei foret ſcalpelli acies, perperam numerum auget, & idem ſecum facientem Bartholinum non internoſcit; atque adeò neque hoc, neque alio, ut æquum erat nomine, ne quicquam de hujus Tabulis dicam, corripit.

Anat Corp. Hum. Tract. 4. c. 17.

§. XI. Quamvis ea expleverim, quæ circa exteriorem aurem habui animadvertenda, mihi porrò licebit, puto, & de Tuba, ejuſque muſculo ab ejuſdem Cl. Valſalvæ ſedulitate detecto, atque propoſito quædam in hujuſce Capitis calce ſubjicere. Tubam igitur Is quidem deſcripſiſſe aliquantò meliùs videtur, quam illam ſcalptor exhibuerit, quum illius præcipuè extremum tuberoſius multò eſſet delineandum; At quæ ſive proponuntur, ſive oſtenduntur circà ejuſdem muſculum ab noſtris paulùm diſcrepant obſervationibus. Mitto hunc non carneis, ſed tendineis oriri fibris, illud autem animadvertendum cenſeo, hujuſce muſculi principium neque a membranoſa, neque a cartilaginoſa Tubæ parte proficiſci, quum latam ego omnem ejus originem partim ultrà tubam a petroſo temporalis Oſſis proceſſu, partim ſupra eam ab interiore Pterygoidis ala deductam viderim; quamquam tamen ei quidem Tubæ adhæret ea pars, quæ ultra exoritur. Alterum autem

Tract. de Aur. hum. cap. 2. nu. 18. Tab. 4.

*Nonnulla animadvertuntur circa muſculū tubæ novum.*

per

per quod diſcrepamus, ejuſdemque muſculi terminus eſt; Quum eum mihi neque in deſignatum eum locum, neque eo modo inſertum obſervaſſe contigerit. Non autem in eum locum, quum non ſupra poſtremum os palati, ſed ſubter finitum adnotaverim; neque eo quidem modo, quum tendineas ejuſdem fibras omnes proximè in ejuſdem Oſſis latus, ulteriùs autem in inferiorem reliquam faciem minimè continuatas inſertas obſervaverim. Si qua verò ob allatas tum principii, tum termini diverſitates, ejuſdem quoque muneris diverſitas eſſe poteſt, conſtituere in præſentia non placet, etſi vehementer ſuſpicor ob ulteriorem ejus muſculi exortum, quod comprimi quodammodo Tuba poſſit, atque adeo quod muci intra eam eſt, exprimi potiùs & excerni, quàm ejuſdem latera diduci.

*Quadam uſus differentia.*

OB-

# OBSERVATIONES ANATOMICÆ

## CAPUT III.

### *De Cerebro.*

§. I. DE Cerebro ejuſque involucris etſi diſertè, atque accuratè ab Celeberrimis Viris actum ſit; quædam præterea noſtra ſedulitate parta adjicere conſtituimus. Nec profectò mirari ſubit etiamnum ſupereſſe quæ ſint poſt tantos labores exploranda; quum ſi qua in parte, in ea potiſſimùm incredibili nec unquam revelando artificio innumera eſſe condita, judicio. Quamquam tamen cum cæteris vehementer laboravimus, nil quidquam ferè præter quarumdam earum particularum, aut poſitus, aut origines aut nomina ſumus conſequti; quum earum rerum officia non animo non complecti modò; ſed ne commentari quidem rectè poſſe, arbitremur. Atque à Dura Meninge orſus ante de ejuſdem ad Cranium adhæſione quædam ſunt animadvertenda, quàm propoſito ab Cl: Pacchiono ejuſdem uſui prorſus aſſentiar. Hanc itaque Cranii Baſi potiſſimùm, & lateribus arctiſſimè adhærere, quacumque id methodo ſecetur, manifeſtum eſt; Si tamen vel ea quàm diligentiſſimus Auctor propoſuit, vel alia quapiam, quam nos adhibuimus, ratione perquiratur, & Cranii Fornici eam illigari arctiùs quàm creditum eſt, & nos comperimus pariter & oſtendimus. Secto igitur ad latus ſagittalis Suturæ medio Cranio ſecundùm totam ejus longitudinem, atque hujuſce medio ſera inferiùs circumacta, mediam eam Calvariæ partem diduxi, deinde quamcumque adverſi lateris partem explorare, tum levi manu paulatimque Meningem abducere, quam arctè ubique,

De Dur Mening. Diſq Anat. c. 3.

*Adminiſtratio Anatomica qua planè percipitur ubicũq; Duram Meningem Cranio hærere.*

ubique, excepto quòd eo in loco, qui fons pulſatilis dicitur, illigatam inveni, quod ſemel tantùm obſervare contigit, quum aliàs & ex eo ipſo loco valentiſſimè adhærentem adnotaverim. Neque ullum, etiamſi diligenter id agebam, inter eam atque Cranium intervallum tractam licet cognovi, nec inter „ ligamentoſas fibras, ac fibrillas „ ullum animadvertere diſcrimen potui, quod quidem de ſanguiferis vaſis erat dicendum, quorum tamen nulla mentio facta eſt, tametſi ea innumera penè ſunt, per quæ arctiſſimè illa Cranio illigatur: Quamobrem minùs lubens in eam ſententiam venio, Duram præſertim Meningem criſpari, atque ea contractione Cordis quadantenus munia ſupra Cerebrum, ac Cerebellum obire; neque id plurimùm evincit cùm laminarum, tum ejuſdem lacertulorum varia diſpoſitio, quum illorum utrumque in Baſi etiam Cranii reperiatur; quin ullus cenſeat præ validiſſima eo loci adhæſione, eam ibi criſpari, corrugarique; Cæterum falciformen hujus proceſſum criſpari aliquantulùm poſſe ac eo pacto & interſepta adducere, atque adeò concluſam Cerebri partem paululùm contrahere, minùs mihi improbatur; Nunc præterea eumdem falciformem proceſſum ad Cerebrum quodammodò, ſeu Calloſum corpus ſuſpendendum comparatum eſſe, per Anatomicam diſquiſitionem non eluceſcit; Quum pręter quoſdam vaſorum nexus, quæ quidem eidem corpori non alligantur, plurima ejuſdem pars ſoluta prorſus, & libera ſuper illud quidem, at ab illo disjuncta incedat.

*Idcircò datus uſus improbatur.*

*Proceſſus falciformis contrahi quidem poteſt, Num Corpori calloſo ſuſpendendo datus.*

§. II. Quod verò ad ſuperiorem ejuſdem ſinum pertinet ab Oſſeo Naſi ſepto exordiri primùm deprehendimus, quippe qui per illud foramen inter Os Frontis, atque Ethmoidis terebratum emergit, ac ſanguinem inde provehit nullam cum Narium cavitatibus communicationem habentem, per quem ſi quis ſedulò aerem immiſerit, & originem, & continuationem ſinus facilè percipiet. In hunc autem falciformem ſinum triplici inceſſus modo corrivantium vaſorum oſcula ferri ex Anatome compertum eſt; Fronti ſiquidem propiora tranſverſim atque ad rectum angulum; quæ hæc ponè ſunt contra occiput; quæ verò in Vertice atque eum ultrà, contrà, Frontem in communem hunc ſinum manifeſtò feruntur; quamquam quæ poſtremò hoc modo incedunt plura cæteris, &

*Sinus falciformis principiū.*

G amplio-

ampliora ferè invenimus: Quodnam autem hujus diſpoſitionis conſilium ſit, etſi dicenda non deſunt, nihil eſt tamen, *Lacertuli trãſverſi cui uſui dati.* cur circa hæc ab inſtituto aliena hìc impediar. Frequentiſſimi tamen exteriores tranſverſi lacerti prætereundi non ſunt, qui vario quidem inceſſu modò in priora, modò in poſteriora paululùm inclinati ab imò hujuſce ſinu, vel latere, vel angulo in proximam duram matrem luculenter diſcreti protenduntur. Hos inter, quorum complures transverſo pollice breviores non ſunt, majores venarum propagines conjectæ in longiorem ſinum contendunt. Quos ſive contrahi, & ſinum deducere; ſive turgere quadantenùs, & vaſorum illò corrivantium emiſſaria, vel intercipere, vel urgere, pro poſitus, aut contractionis modo, nullus dubito. Quæ ut luculentiùs detegantur; & eorum vel uſus queat, vel neceſſitas faciliùs intelligi, tranſverſim unà cum Dura matre, & Cerebro Cranium omne circumſectum eſt deducendum, Cerebroque cum Pia matre exemptis, id protinus in conſpectum ſe ſe dabit, quod alia profectò ratione difficiliùs multò perſpicitur, ac ſimul quàm arctè dura mater eidem inhæreat omninò patebit. *Hiatus in interiore lamina duræ matris.* Si ea autem ſic inhærens lentè areſcere patiatur; interiorem ejus potiſſimùm laminam circa ſinus latera creberrimis hiatibus diductam comperiet, per quæ fortaſsè ultrò, citròque ab iis glandulis, de quibus mox, ſecreti humores ſolidiorum earum partium commodo trajiciuntur. Nec transverſas membranas, & lacertulos, nec valvularum ſpeciem, nec latiora multò vaſorum oſcula, nec confertas circa ſinus latera glandulas, utpotè quæ in vulgus nota ſunt, recenſebo: Id dum- *Nullę cęcę cavitates ſunt.* taxat animadvertere non potui, cæcas ſcilicet eo loci cavitates haberi, quarum ſi quid aliquando ſimile offendi, inſtituta diligenti perquiſitione ſive per ſetam, ſive per inditum aerem, interdum vaſculi eſſe productionem reperi, interdum pervium utrinque Emiſſarium.

§. III. Quamvis non perpetuò conſpiciuntur ii ſinus, de quibus ſumus dicturi; attamen quum conſpicui ſanè, & cæteris, longitudinali, ac lateralibus exceptis, multò majores ſint; eos proponere decrevimus; quum & ſolertiores quoque Anatomici, quorum nec perpetua obſervatio, nec conſtans poſitus eſt, proprias tamen animadverſiones habere conſueve-

fueverint. Eos mihi non modò in recentibus, integriſque calvariis detegere licuit, verùm etiam in exſiccatis eos inſculpta utrinque cavea indicante obſervare datum eſt. Igitur mox infra eum locum, qui Torcular Herophyli nominatur, quàque ſæpiſſimè eorum ſinuum, qui in hanc partem corrivantur, diverſimodè, ac inordinatè inſtituta communicatio habetur, per magnum alterum foramen, ſeu Oſculum, validis ſæpe tranſverſis lacertis munitum, ſanguis ex eo loco in duplicem ſinum delabitur. Eo orſus principio protinus bifariam diducitur, ac in geminos ſinus conformatus hinc & hinc in imi occipitis latera uterque flectitur; ac paulò ſupra magni foraminis oram arcus ferè in modum circumducitur, atque utrinque ad lateralium ſuperiorum ſinuum diverticula quiſque approperat: Priùs tamen quàm eò cum lateralibus corriventur, per brevem interpoſitum ductum cum adjuncto laterali ſinguli communicant; ſive in alterius auxilium, ſive in tardiorem utriuſque effluxum. Non ſæpiſſimè quidem hos reperi; Sed cùm in recentibus, tum in exſiccatis Calvariis toties offendi, ac monſtravi; ut eos jure duxerim eſſe proferendos. Si cui verò ea calvariarum copia vel domi ſuppetat, ſecus autem in ſepulcretis eos erit facilè detegere. Duos ferè tranſverſos digitos ſupra magnum Occipitis foramen, quà Os illud interiùs prominet, atque Cerebellum dirimit, Oſſei ii ſinus conſpiciuntur, qui uno, acutoque pronati principio, mox diſpeſcuntur, productaque fovea in Jugularium venarum diverticulum finiuntur. Una diſquiſitione, & ſitus, & amplitudo notabitur, & eos oportere aſcenſum moliri, dum in diverticula feruntur, eodemque examine nec lateralium ſuperiorum inceſſum (hos enim laterales inferiores dicimus) mox ab exortu in declive ferri; neque eos perpetuò ex longitudinalis ſinus diremptu progigni, ut indicavit Vieuſſenius, ac diſertè animadvertit Morgagnus Anatomici celeberrimi.

*Sinus Occipitii novi deſcripti.*

*Communicatio prope excitum cur data.*

*Laterales inferiores dicti.*
Nev. Un. l. I. cap. 2.
Adv. Anat. 6. An. I.

§. IV. Porrò Glandulas, quæ utrinque intra latera longitudinalis ſinus ſunt, quaſque crebrò in aptioribus cadaveribus ad lateralium quoque ſinuum angulos reperimus, conglobatas cenſeri; minùs fortaſsè cæterarum hujuſmodi glandularum ſpeciei conſonum eſt; ſi ab iis verò lymphatica vaſcula emitterentur, quæ quidem uni, quod ſciam, Cl: Pacchiono

*Glandulæ intrà ſitum conglobatæ non videntur.*

innotuere; Non eſſet ampliùs diſceptandum; Quamquam alteri fortaſsè uſui eas datas eſſe, numerus, magnitudo, locus, habitus indicare videntur. Has non intra ſinuum caveas ſolummodo, ſed etiam exteriùs, circa ejuſdem tamen latera inter Duram matrem, atque Arachnoidem conjectas, ubi maximè tumentes ſunt, ſic ſæpius offendimus, ut ſinus dumtaxat commodo utrum eæ fuerint comparatæ, an verò earum potiùs conſitarum partium, quod quidem credible eſt, alii dijudicent. Ex his prætereà extantem acervum quàm ſæpiſſimè comperi utrinque ſub Oſſe Frontis latum circiter pollicem citra Coronalem ſuturam: Hic quidem conſpicuus ſit tum ob ejuſdem molem, tum ob inſculptam ſæpius in adjuncto Oſſe foveam; Ubi autem id reperi, nulla contectas ſuperiùs Meninge eas glandulas obſervavi; E quibus ſi quid excernendum eſt, quod per lymphatica vaſcula non deducatur, lentè per convexam Meningis faciem diffuſum, non alienum cenſeo, & Oſſi, & Meningi oblinendis proſpicere; Quandoquidem interiori ejuſdem Duræ matris faciei conſultum fuiſſe cognovi; Præter id enim quod aſſiduo e tenuibus vaſorum porulis perſpirat, & partes omnes oblinit, & pervadit, quod ſedulò conſideranti perſpicuum eſſe puto: non modo per eas glandulas, quæ extrà ſinum ſunt ad ejus latera locatæ, proviſum exiſtimo, verùm etiam per disjectas alias naturam prudenter conſuluiſſe, cenſeo; Neque hìc cum prælaudato Anatomico eas glandulas exhibeo, quas eidem Meningi interſitas eſſe, ille arbitratur. Has verò quum nec nos, nec ſolertiores viderint Anatomici, nec inficiari prorſus, nec affirmare audemus. Noſtras igitur Glandulas noviſſimè imprimis in vaſto militis Cadavere obſervavimus, qui ſubitò ex Apoplexia deceſſit, circà vaſorum ſanguiferorum truncum, qui ſub frontis Oſſis lateribus propè ſuturam è dura piam matrem pervadebat; Minimę eæ erant, ac præter magnitudinem, ejuſdem prorſus habitus, atque eæ, quas in ſinu eſſe diximus. Quæ etſi multò minores fuerint, non ob id tamen minùs nobis conſpectæ ſunt, quin & noſtris Alumnis oſtendi, & cognoſci potuerint: Per has ego, plurimaſque ſimiles, quæ utpotè minores minùs ſeſe in conſpectum exhibent, id exprimi puto, quod viſcidulum ſub jis membranis obſervari conſuevit; Cujus ſi largior

*Extrà ſinum pluri mæ ſitę ſunt.*

*Sub oſſe frontis Glandularum acervus.*

*Glandulę novę circà Truncos vaſorum intrà duram matrem & Arachnoidem.*

copia

copia eſt, quam nos ſępiùs adnotavimus, Epilepſiæ primùm, dein etiam Apoplexiæ aliquando in cauſam eſſe poſſe, non dubitamus.

§. V. Quòd autem in re potiſſimùm Cerebri Exercitatiſſimus Anatomicus Ridleyus, non opinetur modò; verùm etiam evincere conetur, quòd ſubjecta Duræ matri Arachnoides cum Pia itidem matre „ ſit tantùm una & eadem „ membrana duplex, utpotè in duabus laminis conſiſtens „ Adeò ut exiſtimet, nullum ulteriorem ſcrupulum remanere poſſe, quin hæc ſit tantùm duplex lamina, non autem duæ ſint diſtinctæ Cerebri membranæ, quamquam id improbare nec magni negotii eſt, nec tantidem in Re Anatomica momenti; attamen hanc fortaſsè ſententiam ex eo pronatam arbitror, quòd ejuſdem Arachnoidis nec locum omnem, nec proceſſum is probè perſpexerit; quippe qui iis, quæ ſuprà ex eodem adduximus verbis, hæc præmiſerit „ Jam verò quod „ intermedia quædam detur membrana in aliquibus Cerebri „ partibus præſertim ad Cerebri baſim id ego jamdudum ob- „ ſervavi „ Nos autem ut cæteri Profectores, puto, non eam tantummodò in aliquibus Cerebri partibus, verùm in ſingulis ferè, per quas Dura meninx difunditur, productam vidimus; Hanc etenim non modò in Cerebri baſi, qua plurimum ab reliquis disjungitur, ſed per totam convexam ejuſdem faciem prolatari, non eſt qui deprehendere non valeat. Nam quum Pia mater inter inteſtinulorum Cerebri flexus altè ſeſe demittat, hæc ſuper eam ſic protenditur, ut & ſubeuntia vaſa firmet, & frequentiſſimos eorum flexuum ſulcos colligat, & ne quid illuc intrò fortè deſcendat, omnino prohibet; Quam ſi, non ea dumtaxat in parte, ſed etiam ſupra calloſum corpus una cum demiſſo falciformi proceſſu quæſieris, ibi quoque præſtò aderit. Quapropter quum ea ſit æquè ac Dura mater in totum Cerebri, ejuſque propaginum ambitum fuſa; vel altera reverà membrana dicenda eſt; vel ſi alterius laminam cæteris appellare libuerit, eam multò potiori jure Durę, quam Tenuis eſſe dicendam arbitror.

Ex Theat. Anat. l. 4 c. 2.

*Ridley ſententia de Arachnoide improbatur.*

*Arachnoides æquè fuſa eſt ac dura mater.*

§. VI. Non quò exiſtimem à cujuſquam, vel ſumma diligentia, & perſpicacitate, ſi non penitus aſſequi, indicari ſaltem poſſe, quænam ſive Cerebri, ſive Cerebelli ſigillatim particula

ticula uni potiùs animæ facultati quam alteri inſerviat, hanc ſum obſervationem adſcripturus. Verùm ut ea etiam quæ rariùs eveniunt nobis oblata, liberaliter exhibeantur, & ut ab iis, quibus plurimùm ocii eſt, quicquam diſerendum; Quum me non alioquì lateat, id arcanum eſſe, futurum cuique ævo inaceſſum. Senex itaque exercitati animi, & corporis, dum quintum ſuprà ſeptuageſimum annum ageret, nulla adverſa corporis, quod familiares noverint animum prævertente valetudine, fatuus derepente evadit. Ab hoc infortunio per totos quinque annos cætera corporis munia obivit & rectè, & validè: Gracilis erat, ſed firmo corpore; nulla, id quod proximè inſtabat, nota indicante.

*Senis fatui hiſtoria. Cerebrum firmius erat.*

Nocte quapiam quin quiſquam ejuſdem cubiculi, quo is verſabatur, intelligeret, ſubitò mortuus eſt. Cæteris jam exploratis viſceribus ad cerebri Anatomen manum admovimus, quod multò firmius invenimus, atque pars hæc eſſe conſuevit, in quo ad noſtras ædes delato nonnulla perſpicuè magis, ac commodè & diſquirere, & dignoſcere præ majore ejuſdem firmitate potuimus. Quod verò ad hanc rem pertinet: Nullum in univerſſo eo vitium comperi præter id tantummodo, quod mox adnotabimus.

*Frequentes foveæ intrà Cerebri ſubſtantiam.*

Itaque intra hujuſce cerebri meditullium, quà in priore quà in poſteriore ejuſdem parte, frequentiſſimæ inerant inſculptæ foveæ, ex quibus aliquot, priorem; major verò numerus & magnitudo poſteriorem, proximamque ventriculorum lateralium partem tenebant; Ex his igitur, quæ maximæ erant, ultrò minimi apicem excipiebant, tenui, pellucida, inodora, ac penè inſipida lympha refertæ, quarum varia variis in locis altitudo erat; In harum aliquot cavearum ſinu velut innatantem, productamque ſanguinei vaſculi propaginem tenuem quidem obſervavimus. Quamquam minùs facilè adducor, ut credam præ valida ejuſdem cerebri ſubſtantia fuiſſe eas ſubitò excitatas, obquas ei de repentè mori neceſſum fuerit;

*Num ſub interitu fuerint excitatæ.*

id tamen prorſus inficiari non audeo, & ſi faciliùs in eam venirem ſententiam illas jamdiù fuiſſe excitatas, ſubitò verò nimiumque fortaſſe diductas mortis in cauſam extitiſſe. Quum magis rationi conſonum videatur, eas primùm ac lentè inſculptas, utpotè quæ vel ſpirituum ſemitas compeſſerint, vel corruperint, ſtultitiæ anſam intuliſſe; deindè verò multò ampliores factas, quatenus ex majori parte

ſpiri-

ſpirituum vias ſuſtulerint, poſtremò mortem maturaſſe. Quæ ſi prout mihi viſum eſt, evenere: Non iis corporibus intrà eorum ventriculorum ambitus conſitis rationalis facultatis officinas tantummodò haberi, crediderim; Quum eorum plurimas partes ſecretioni potiùs, quam cæteris muniis famulari, Proſectoribus conſtet; Ad id autem opinandum faciliùs adducor eo, quod recordor aliàs me, nec jamdudum, ſenem alium diſſecuiſſe, cui læva mens erat, ita tamen, ut quibuſdam adhuc rectè fungeretur: Huic circa Cerebri priora, atque adeo Ventriculorum, in medullarem ſubſtantiam hujuſmodi vitium inciderat. Quantum ſpatii capere avellana nux poterat, firmior multò medullaris Cerebri ſubſtantia erat ſublutei coloris, cui mollior paulò, quam cerebri eſt, ſubſtantia circum velut vallum formaverat; Intrà quod ſeri quidpiam circumfluere, videbatur: ſubluteumque concluſum corpus vitiata Cerebri particula erat. Is igitur principio mente levior; deinde in ſomnum quam maximè pronus, voraciſſimus tamen, atque helluo erat: Demum ſub hiſce exactis jam aliquot menſibus, poſt quatuor circiter horarum ſenſuum omnium, ac motuum deffectum, vita deceſſit. Intra paucas eas horas vitium illud Cerebri non pronatum modò, ſed eò uſque increviſſe, ſanus, puto, opinabitur nemo; Quamobrem, quum is antea leviter licet, mente laboraverit, nec ulla in ceteris partibus aut labes, aut infirmitas comperta fuerit: Id ejus in cauſam fuiſſe fateri, proclive eſt; quod præterea, quum ſimili penè ſectione nuperrimè quadantenus confirmaverim, minùs mihi audere videor, dum in meditullio præcipua ratiocinantis animæ munia exerceri conijcio, eaque potiſſimùm interturbari, ubi maximè ei Cerebri particulæ vitium infertur. Septum lucidum, ſeu pellucidum nuncupatum ſub calloſo corpore ſuper Fornice conſtitutum, laterales dirimens ventriculos duplici compingi lamina Franciſco de Leboe Sylvio, Vieuſſenio, & Ridleyo jam pridem innotuit, quorum tamen nemo quid interiectum contineretur, aut quò deſineret, probè cognoviſſe videtur. Hujus ſiquidem ſepti media nulla rima eſt, niſi quæ vel Anatomici manu diductis lateribus, vel exundanti lymphæ copia ſuo non loco ſecretæ incidit. In quà tamen, ſi quando, dicente Vieuſſenio,, pellucida reperitur acqua,, quam nos, vel in Cerebris eà

*Alterius Senis hiſtoria de vitio Cerebri.*

*Id vitium non tum natum putamus.*

*Ubi animi præcipuè munia exequantur.*

Diſp. Med. 4. n. 13.
Nev. l. 1. c. 11.
Ibid.

ea undequaque, vel penitiſſimè circumfuſis, vix unquam vidiſſe meminimus „ eam haud dubiè in tertium ellabi ventriculum „ non quod ipſe ſentit nos, exiſtimamus. Qua illuc ea ellabi via poſſit, nec is ipſe indicat, neque nos Anatome comperimus. Duplex hujuſce ſepti terminus eſt, alter in poſtica parte, qua calloſum corpus finitur, atque ibi cæcus eſt, alter verò in priore non modò ultra tertii ventriculi fines; ſed ita infrà eum, ut ſi quid indè ellaberetur, non in tertium memoratum ventriculum; ſed extra cerebri fines ſupra opticorum nervorum coalitum prorſus effunderetur; id tamen ſine ſubjectarum partium laceratione contingere non puto, quandoquidem prior, non modò impervia eſt; ſed molli quidem, at firma cerebri ſubſtantia, atque pia matre ſubter occluditur.

*Si qua intra ſeptum aqua eſt in tertium ventriculum non illabi poteſt.*

§. VII. Ne tamen tam citò è Cerebri penetralibus evadam, nonnulla mihi, quorum aliqua cum Ridleyo, aliqua cum Vieuſſenio non omninò conſentiunt, animadvertenda occurrunt. Miſſum hìc facio, minùs fortaſsè rectè vel Corpora ſtriata, vel certè Crura medullæ oblongatæ tribus continenter Tabulis VI. ſcilicet VII. & VIII. delineata fuiſſe. In quarum ſingulis extremis præſertim corporibus perquàm aliena figura tributa videtur. Cæterùm „ medullares omnes tractus, „ quibus anteriores medullæ oblongatæ proceſſus, ſeu ſtriata „ Corpora Williſii, conſtant, è ſuperna Ovalis centri regio„ ne educi, & in albam, ſeu medullarem ſubſtantiam abire „ eidem Cl. Vieuſſenio noſtræ non adſtipulantur obſervationes; quum per eas ſecus mihi comperiſſe videar; Etenim qui tenujores ſunt, ac in edita ſtriatorum Corporum parte medullares tractus locati in id potiùs, quod ipſi centrum Ovale audit, contendere videntur; quum eos contra, qui & profundiores, & majores ſunt, ad eamdem oblongatam medullam proficiſci obſervaverim, unà cum adjectis iis, qui è centro crurum medullæ oblongatæ prodeunt. Albam autem membranam, qua ſuperiùs medullæ oblongatæ Crura obducuntur, medullaribus fibrillis conſtantem neque indè prodire, neque illuc contendere ac terminari, quemadmodum ipſe arbitratur, ſum aſſecutus, quam quidem ſic luculenter, ſic perſpicuè, ac ſæpius vidimus vario, inordinatoque fibrarum ple-

Neur. Unius.
*Num ab centro Oval. omnes tractus medullares, Corporũ ſtriatorum.*

*Vieuſſenii & Ridley ſententia.*

*Nervea de Thalamorum opticorũ membrana.*

xu

xu intextam, ut permirum ſit, adeò exercitatum Anatomicum Ridleyum nunquam eam alioquin conſpicuam deprehendiſſe.

*Cui uſui data ſit Pinealis Glandula.*

§. VIII. Porrò quod ad Glandulam Pinealem attinet, quamvis cui ea muneri præſit cum Celeberrimo Philoſopho deffinire non auſim; eam tamen aut ſecernendæ, aut amandandæ lymphæ dicatam tantummodo eſſe, non arbitror; tametſi cum nuperum, tum veterum Anatomicorum Celeberrimi aliquot earum maximam, quæ in plexu choroide ſunt, utpotè ex earum numero conſtituunt. Nos tamen ab hac potiſſimùm deflectimus ſententia per ea, quæ perpetuò in ipſa adnotavimus. Mollem hebetemque hujuſce ſubſtantiam eſſe, colore, ac ſoliditate cinereæ Cerebri ſubſtantiæ ſimilem nemo non novit; vel ſi quid ab ea diſtat, quàm ſimillima ei eſt, quæ in lacunari, & in baſi Cerebri circa infundibulum reperitur. Hanc item non modò inniti, verum & adhærere ſubjecto medullari tractui, obſervanti notum qui quidem opinor; quod tamen rei caput eſt, ejuſdem glandulæ baſim ſæpius medullari ſubſtantia conſtare, ſemper autem utrinque conſpicuum medullarem tractum ex interiori prodere, nos obſervavimus pariter, ac noſtris obſervandum protulimus: quapropter eam utpotè utraque Cerebri ſubſtantia conſtantem cæterarum Cerebri partium muneri accenſere, non dubitamus. Illud profectò quàm maximè mirari ſubit (ſi tamen mendum aliquod in Angli Operis traductione non ſubſit, quod in re tam perſpicua ac planis verbis propoſita non ſuſpicor, quum graviora multò infrà occurriſſe, ſum demonſtraturus) tam ſedulum, ſolertemque Anatomicum Ridleyum eam ſummam ac priorem paulùm albicantem glandulę ſubſtantiam non modò non noviſſe unquam; ſed neque medullaribus adjunctis tractibus adhæſionem; quin imò utpotè evidentiſſimum deprehenderit „ quòd nulla prædicti proceſ„ ſus pars quamtumvis ad Glandulam iſtam propè accedat, „ ipſi ullatenus continua fiat „. Quod tamen ne ipſi quidem, qui idipſum glandulæ munus cum eodem profitentur, eamdem tractuum adhæſionem ſaltem audent inficiari. Neque huic noſtræ ſententiæ quicquam officere puto, quod & alii aliquando, & ego quoque ſæpius ſive ad hanc in priora præ-

*Subſtantia Cerebro ſimilis: Medullaris aliquando prior pars.*

*Bini tractus medullares ab ea prodeunt.*

Theat. Anat. Ibid.

*Ad eam, vel intra eam concreta corpora.*

ſertim, ſive intra eam calculorum inſtar quidpiam repererim; Quandoquidem hujuſmodi concretiones nuſquam non inveniri apud Anatomicos jam eſt manifeſtum. Tractus autem medullares, qui ex ea prodeunt, ubi ſeſe magis conſpicuos exhibent utrinque in duplicem dirimuntur, quorum alter in interius Opticorum Thalamorum latus, quo tertius utrinque Ventriculus continetur, funditur; alter verò paulò ſuperiùs per eorumdem anguli crepidinem protenditur. In hunc ipſum locum quædam ex iis fibrillis feruntur, quæ medullarem tractum Pineali glandulæ quadantenus ſubjectum Natiformibus Protuberantiis præpoſitum, compingunt. Is ex tot velut diſcretis nervulis conſtare videtur, quorum qui priores ſunt in deſcriptum modò locum contendunt, partim adjunctos Opticorum Thalamos ſubeunt, poſteriùs autem, etſi aliquot cum proximis copulentur, quidam tamen ad nates reflecti, ſive in eas hi inſerantur, ſive ab earum latere prodeant, nobis viſi ſunt.

*Tractus ii quò petant.*

*Cæterorum inceſſus.*

§. IX. Præter unum fortaſſe Celeberrimum Ruyſchium, nonnulloſque, qui eidem ſententiæ adſtipulantur, paucos in præſentia eſſe puto, qui plexui choroidi glandulas eſſe non noverint; Qua de re inter Veteres imprimis Varolium ex hiſce verbis habemus ita ſenſiſſe. „ Per illum autem, plexum ſcilicet, feruntur vaſa quædam anguſtiſſima, & in hoc toto „ aggregato glandulæ ſunt longè in majori copia, ſervata pro„ portione magnitudinis, quàm ſit in meſenterio ventris in„ ferioris, quamobrem multò magis naturæ rei conveniret, „ ſi plexus glanduloſi, quam retiformes appellarentur. Quod ſi „ dubitet quiſpiam an eorum ſubſtantia ſit talis, qualis a „ me fuit deſcripta, ego viſioni ipſum remitto, nulla enim „ melior extat mihi probandi ratio „. Quæ tametſi ſæpè glandulæ minores ſunt, ac quodammodo hydatides quadam pelluciditate æmulentur; Aliter tamen & cæteris, & mihi ſæpiſſimè viſæ ſunt, ex quibus aliquando unam, vel alteram tantæ molis, ac conſiſtentiæ reperi, ut nec Hydatides eſſe, neque glandulas ſimulare pro certo habuerim; ſin autem tanto illi Anatomico vel Glandulæ nomen commutare, vel rem ſecus ac nos explicare libuerit, dummodo de re conſtet, minimè id nos ſollicitos habebit. Cæterùm in eo plexu, qui in-

De Nervis Opticis.

*Varolii ſententia de Glandulis plexus Choroidis.*

tra

tra cerebellum eſt, minores multò ac vix perſpicuæ glandulę ſunt, ut eæ potiſſimùm tutiùs negari poſſent. Is ab eodemmet principio, atque major plexus, prodit; at ſupra Cerebelli pedunculos, quà ad latera Octavi Paris nervi feruntur, evidentior fit, qui deindè ſupra medullæ oblongatæ latera extenuatus infra ſcriptorium Calamum deducitur, ubi dum compari accedit & copulatur, ferè evaneſcit.

§. X. Geminos ſæpè & nos quales obſervavit Solertiſſimus Morgagnus in tertio Ventriculo tranſverſos tractus, quibus Lacunaris nomen indidit Vieuſſenius adnotare potuimus, quorum varia aliquando, & nobis oblata fuit diſpoſitio. In priore tertii hujuſce Ventriculi parte duo præterea ſunt animadvertenda, quorum alterum ex toto, alterum verò nimium Anatomicorum ſedulitas prætermiſit. Illud ad priora Fornicis crura attinet; Iſtud verò ad conſpicuum eum tractum medullarem ponè eadem crura tranſverſim poſitum, qui vel Corda Williſii, vel commiſſura craſſioris nervi æmula à Vieuſſenio nuncupatur. Per hunc ſcilicet ſtriata Cerebri corpora copulari utrique tradunt Anatomici; Quis autem ejuſdem progreſſus, quænam origo, ſilent plurimùm; quamquam ubi idoneum Cerebrum occurrit, id proſequi atque demonſtrare expeditiſſimum ſit. Ubi hoc igitur quiſpiam diſquirere aveat, priora crura Fornicis, quibus non niſi leviter jungitur, ſedulò ſunt removenda; deinde Corporum Striatorum limbus, tum interior ejuſdem ſubſtantia ſenſim ſurſumque verſum abradatur, atque is ipſe medullaris tractus eadem prorſus figura & mole ſub ea tranſverſim obliquè produci comperietur; quæ ſi porrò diſquiſitio pergat, non ſolum ultrà ſtriata ea corpora progredi eadem omnino facie obſervabitur, verùm quadam arcus imagine, cujus cornua ad cerebellum converſa ſunt, ad Thalamorum Opticorum exteriora latera properans, quàm proximè ad nervorum Opticorum exortum, ubi paulùm explicatur, & funditur, is accedit. Per hunc itaque tractum non modò eas partes firmari, & necti arbitror, quod quidem manifeſtum eſt; Verùm & eorum quæ utrobique fiunt, quamdam velut communicationem haberi, non dubito; Neque ab re fortaſſe erit ſuſpicari, id ex iis ſemitis eſſe, per quas in altero ſecretus ſpiritus in alterum & adverſum latus feratur,

Ad. Anat. 6. Animad. 10. Neurog. l. 1. cap. 11.

*Progreſſus Cordæ Williſii dictæ inveſtigationis ratio.*

quo illud in hęmiplegiis obſervatum phænomenon facilè explicari poteſt, de quo tamen infrà occurret opportunior dicendi locus.

§. XI. Jam porrò videamus quid ſint priora Crura Fornicis, atque unde ea prodeant; quum de his nihil hactenus, quod rem explicet, dictum repererim. Quas Vieuſſenius

*Albicantes prominentiæ quibus cognitæ*

„ albicantes prominentias ponè infundibulum conſtitutas „ vocitat, quaſve antea adnotaverat Williſius, ac jampridem

De Org. Olf. Tab. 7. Fig. 2. lit. D. M.

conſtantiſſimè ſuis Tabulis Euſtachius; non modò præclarè delineavit Caſſerius, ſed eiſdem Cerebri teſticulorum nomen indidit; Quod vel ii Anatomici minùs advertere; vel ob nominis confuſionem declinandam, nè id cum prominentiis teſtiformibus confunderetur, nomen immutarunt; Eas inquam medullari exteriùs obductas eſſe ſubſtantia; intra eas autem

*Ibidem.*

cineream, ſeu corticalem contineri, exploranti facilè notum

*Cortex medullaris interior ſubſtantia cinerea.*

eſt, etiamſi & extrinſecùs nec non intrinſecùs alba „ ea Vieuſſenius eſſe dicit. Ab ſumma horum corporum producta ſurſumque verſum provecta medullari ſubſtantia in teretem figuram compoſita Crura Fornicis priora progigni, nos primi comperimus, quibus autem an quidpiam aliunde adiiciatur nec certò detegere valuimus, nec certò inficiari audemus; quamobrem ut aptiùs ea deſignentur, atque unà quadantenus eorum munus indicetur, habita tum figuræ, tum originis ratione, priorum Crurum Fornicis Bulbi nominari poſſe

*Crurum Fornicis exortus.*

videntur. Non omnis tamen producta horumce bulborum medullaris ſubſtantia in priora Crura Fornicis inſumitur; quum ab ea ipſa medullaris itidem tractus alter conſpicuus quidem,

*Tractus conſpicuus alter.*

ut tertii paris nervos ſæpe ſuperet, cruribus quidem paulò tenujor, mox ponè latera tertii ventriculi, quæ ipſa eadem ſunt ac Thalamorum Opticorum, aliquantum in poſteriora inclinato inceſſu, intra eorumdem Thalamorum penetralia provehuntur. Tum hujuſce medullaris tractus, tum crurum Fornicis exortus acutum angulum efficiunt, ita tamen, ut Fornicis crura, bulborum exteriorem partem, hi autem interiora teneant. Mirum equidem eſt, ab tam exiguo interiore cinereo nucleo, quantum ea albicantia corpora continent, tantos medullares tractus procedere; ſi fortè proclive magis ſuſpicari non ſit, nonnullas quidem ex iis medullaribus fibris

ex eodem quidem prodire bulbo; at pleraſque aliunde deductas eum quidem circumduci locum, aliò tamen rurſum devehendas. At prius anatome compertum eſt, iſtud verò ſuſpicari tantummodò licet.

§. XII. Quamquam ex crebris obſervationibus luculentiſſimè conſtat, eum eſſe nervorum poſitum, ut qui in dextera Cerebri parte oriuntur, protendantur, & evadant in ſiniſtra, quod poſt Cl. Valſalvam nos ſæpiſſimè comperimus, quod tamen multò jam antea præ cæteris animadverterat uſque ab anno 1581. Gulielmus Fabricius Hildanus tum in muliere „ quæ vulnus contuſum in dextero Oſſe bregmatis cum „ fractura & impreſſione Cranii acceperat. Evomuit mox ab „ initio bilioſum humorem, & cibum indigeſtum, ſiniſtrum „ latus reſolutum eſt: In dextero autem convulſiones patie„ batur „ Tum in alio Ruſtico „ qui exigui vulneris contuſi „ occaſione ſupra dexterum os bregmatis maxima fractura „ Cranii laborabat: unde febriebat vehementer, & delirabat, „ ſiniſtro ſimul latere reſoluto „ Nihilò tamen minùs vel non ita a Cl. Miſtichellio demonſtrata ea res fuit, vel non ita compertu facilis, ut ſuper ea judicium plurimi adhùc cohibendum eſſe non exiſtiment. Nos autem ſic eam luculenter conſpeximus, ſic evidenter, ubi apta incidere Cadavera, demonſtravimus, ut nulla ampliùs nobis de hac re ſuperſit dubitandi ratio. Id autem triplici potiſſimùm in loco animadvertere potuimus; in utraque ſcilicet priore, poſterioreque anularis protuberantiæ crepidine, atque maximè in imo medularis caudicis, quà in ſpinalem abit. In priore itaque anularis protuberantiæ parte, quà ſuperiùs reflexa pro comprehendendis oblongatæ medullæ cruribus in anguli formam interiùs producta tenuatur, ſic ex concurrentibus fibris, ſtrictiorique agmine coeuntibus altera alteram ſcandit, ut præter mirum implexum decuſſatio luculentiſſimè appareat. Idipſum fermè in poſticà ipſius crepidine occurrit. Eo iterum in loco, qui quarto ventriculo ſubjicitur, præter varios fibrarum ordines, & colores, in adverſum latus productas, & decuſſatas fibras commodè ſpectavimus. Si ea tamen evidenter uſpiam conſpicitur, profectò quàm evidentiſſimè duas vix lineas infrà pyramidalia, atque adeo olivaria corpora conſpici poteſt. Qua enim

*Nervi ex altero latere prodeunt atq; naſcantur.*

Obſ. Chir. Tom. 1. Cent. 2.

Tract. dell. Apopl.

*Decuſſatio fibrarum nervearum evidens.*

*Tribus potiſſimùm in locis.*

enim in longitudinem producta linea, ſeu rimula pyramidalia corpora diſcernuntur, ſi leniter deducantur, probè priùs eo potiſſimùm loco arctiſſimè hærente tenui meninge nudata, non tenues decuſſari fibrillas, ſed validos earumdem faſciculos in adverſa contendere, quàm apertiſſimè demonſtrabunt. Pro hiſce tamen luculentiùs deprehendendis, non modò idoneis uti cadaveribus opus eſt; verùm aptam diuturnamque macerationem ad hujuſce rei opem adhiberi oportet, eà etenim elotæ plurimum fibræ, diſſolutaque magna ex parte interiecta corticali, ſeu cinerea ſubſtantia, laxatiſque obducentibus membranarum fibris, ſingulæ ſe ſe apertiùs in conſpectum dabunt.

*Ad id demonſtrandum apta maceratione opus eſt.*

§. XIII. Quum ea executus fuerim, quæ circa cerebrum maximè adnimadvertenda putavi, quædam etiamnum ſuperſunt, quæ de primo nervorum exortu proferenda decrevi. Ab Olfactoriis nervis exordiar, qui triplici quaſi principio prodire videntur, quorum longior medullaris tractus ab finibus poſterioris Cerebri lobi emergit, reliqui duo quodam velut diremptu propè originem bifidi; alter ab exteriore; alter ab interiore medullaris cerebri ſubſtantiæ latere proficiſcuntur. Horum fibrę tres magis conſpicuæ liquidò internoſcuntur, quatenus a triplici pronatæ principio, quæ ſenſim diſiiciuntur, ac in quamdam cinereæ ſubſtantiæ ſimilem protuberantiam abeunt; quæ non niſi medullaris ſed rarior revera eſt, atque laxior papillarum more diſtributa. Circà horum nervorum reptatum concitatam quæſtionem video, cur etſi ii adeo molles ſunt, ſuperpoſiti tamen Cerebri pondere non ſic premuntur, quo nullus per eoſdem ſenſus fiat: Si quidpiam huic falciformis proceſſus Cerebro quodammodo ſuſpendendo præſtare poteſt, de quo tamen nos ſupra dubitavimus, id adeo exiguum levamen eſt, quàm quod minimum; pro qua verò, ut puto, enodanda alterum altero validius proponam. Primum igitur eſt, quòd duram Meningem, quæ iis potſſimùm ſubjicitur, ſic oſſi laxè hærentem, leviterque ſubtenſam reperi, ut mollis potius fulcri vicem ſubeat; Alterum verò quod majoris momenti eſſe quiſque facilè intelliget, eorumdem nervorum inceſſus eſt, qui ubi è baſi cerebri evaſerunt inter corticis ſubjecti Cerebri inteſtinulorum latera quaſi per inſcul-

*Nervorum olfactoriums exortus.*

*Nervi hi incumbente cerebro incommodè non premuntur.*

ptum dedita opera ſecundum longitudinem rectum ſulcum, cui ſimilem in toto Cerebro vidi neminem, ad os Ethmoidis contendunt, Eo ſiquidem loci tenues eæ fibrillæ ita conduntur, ut etſi immenſum penè pondus immineret, nullo prorſus incommodo premerentur.

§. XIV. De Nervorum Opticorum origine non ea quæ a pluribus Anatomicis afferri ſolent, ſingula attendam, ſed quæ maximè vel diligentioribus probantur viris, vel ipſe deprehendi, ediſſeram. Hos itaque ab iis corporibus, quæ ob hanc rem Opticorum Thalami dicuntur, quadantenus progigni, non eſt dubitandum; Num autem ab eorumdem medullari fibroſaque membrana, ut Vieuſſenio arridere videtur; an potiùs ab eorumdem penetralibus res ſic certa non eſt, ut pro comperta atque explorata traduci queat. Quod tamen per repetitas, diligenterque inſtitutas diſquiſitiones ab eadem potius membrana eos non proficiſci, ſæpiùs vidiſſe viſus ſum, verùm tum ab eorum Thalamorum interiori parte; tum a quodam velut geniculato corpore circa eorumdem Thalamorum poſteriora locato, adjunctoque, cujus corticalis, ſeu cinerea interior ſubſtantia eſt, medullaris, & candida exterior facies, luculentiùs prodire, ſum aſſecutus: Ad horum tamen exortus locum ab latere prominentiarum, quæ natiformes nuncupantur, conſpicuus medullaris tractus tranſverſim ſic Thalamis adjungitur, ut vel in eorum ſubſtantiam disjiciatur, vel inflexus cæteriſque fibrillis involutus ad Nervorum Opticorum exortum accedat, conjicere quidem, decernere autem minimè valui. Hi ipſi nervi, contra atque in cæteris obſervatum eſt, ubi a ſuo principio ſunt bene elongati, invicem accedentes iterum ita coeunt, atque arctè nectuntur, ut quid eo loci circa eam coitionem contingat, neque manus Anatomica, neque oculus dignoſcere ſatis potuere; præſertim quum Opticis diſquiſitionibus potiſſimùm favere non modò eorumdem nervorum implexum, ſed & decuſſationem non obſcuriores Philoſophi ſint arbitrati. Quod tamen Anatomica ſedulitas ſeveriore inſtituto examine detegere, atque adeò eam controverſiam dirimere non valuit, ſors nobis oblata auſpicatò reſolvit. Cuidam Anatomicæ diſquiſitioni nobis incumbentibus relatum fortè fuit, ei homini, qui tum noſtro ſub

*Opticorum Origo.*

*Num qua coeunt decuſſentur.*

ſcal-

ſcalpello erat, cæcum jamdiù dexterum oculum fuiſſe, nulla quidem licet conſpicua vitii nota indicante; quo perlibenter audito, ad id protinus manum admovimus, nulloque depre-henſo conſpicuo oculi vitio, Nervum Opticum offendimus tum æquo graciliorem, tum colore obſcuriorem; ille ſiquidem ut aſſolet candidus, hic multum cinereus erat; Quem cum anxiè proſequeremur eum ſemper dexterum latus tenentem ſuum uſque principium talem ubique reperimus, qualem intrà Orbitam; contrà autem ſiniſter ſecundum omnem longitudinem albus omninò erat; quà verò in priora Cerebri congrediebantur, alterum ab altero coloris diverſitas planè diſcernebat, ut facilè indè colligi fuerit; Eorum Nervorum fibras, non modò non decuſſari, quod evidentiſſimum eſt, ſed ne implicari quidem; verùm alterum alteri dumtaxat accedere, ut deinceps disjungerentur.

*Obſervatio Anatomica qua eos non decuſſari planè intelligitur.*

§. XV. De Tertii autem Paris exortu nulla mihi adjicienda iis ſunt, quæ Diligentiſſimus adnotavit Morgagnus, quum revera illud ex eo ipſo deſignato loco emergat „ ex internis ſcilicet, poſtremis, & ferè imis lateribus Crurum „ medullæ „ ſupra hos autem nervos majorem ex Carotidibus Arteriis propaginem ferri, in cauſam eſſe poteſt, cur vel in ebrietate, vel a pleniore cibo, quibus adjici æquè poteſt, & a diuturna, graviorique elucubratione, Oculorum maxima gravitas percipi ſoleat. Quod & de minoribus quidem ſurculis ad oculum contendentibus cum Williſio, etſi minori jure, dicendum eſt. De Quarto autem pari, quod ab eodem Williſio Patheticum nominatur, quodque præclarè in ſingulis XXXVIII. Tabulæ quinque Euſtachii figuris delineatum habetur, tametſi eorumdem exortum quadantenus omnes rectè deſignant, nobis tamen viſum eſt ita ſemper reperiiſſe. Infrà Teſtiformes protuberantias triplici utrinque ſurculo prodit ab tranſverſo eo medullari tractu, qui ſuper edita magnæ valvulæ parte locatur ſic, ut idem medullaris tractus productus, atque ab eo loco disjunctus in Patheticum utrinque nervum abeat.

Adv. Anat. 6. Animad. 27.

*Tertii nervorum paris exortus.*

*Patheticorum principium.*

§. XVI. Quinti nervorum Paris originis difficilior multò inquiſitio, atque inveſtigatio fuit, quam prætereuntes Anatomici intactam ferè hanc ſpartam reliquere. Non eam originem

*Quinti nervorum paris originis inveſtigatio.*

ginem voco, quà ex Anulari Protuberantia, ſeu Varolii Ponte nervus is in faſciculum collectus prodit; verùm eam, undè ejuſdem plurimæ, ac diverſæ fibræ primò exoriuntur. Sæpius ubi firmiora Cerebra offendi, non ex uno prodire hiatu certò deprehendi, ſed tenujorem fibram ſeorſum paulò ſupra emergere, ac mox cęteris copulari, reliquas autem omnes uno tantum hiatu evadere; quæ tamen non ab uno univerſæ principio proficiſci videntur; ex his namque faſciculus ſub extimo Anularis protuberantiæ fibrarum ſtrato ex ima ejuſdem parte exoriri videtur, quum nondum tamen conſtet, utrum a productis crurum medullæ oblongatæ fibris ſurſum verſum reflexis, an ab ejuſdem anularis protuberantiæ interiore ſubſtantia exoriatur. Tertius autem earumdem faſciculus, qui multò cortice Anularis dictæ protuberantiæ mollior eſt, non ex eodem progigni loco; Verum inferiùs diverſam longè nanciſci originem apparet. Hunc igitur, quoniam firmiorem nonnunquam inveni, diligenter proſequutus in intimiora primùm anularis protuberantiæ ſe ſe conjicere vidiſſe viſum ſum, tum ab cæteris ſive tranſverſim, ſive ſecundum longitudinem productis fibris diſcretum infrà eam ſe demittere obſervavi, atque eò uſque ſum proſequutus, undè in interiorem Medullæ Oblongatæ caudicem conjectus ferè inter Olivaria, & Pyramidalia corpora locatus, quò demum pergat, cum tenujum fibrarum implexus, tum earumdem mollitudo ne conſequerer, omninò prohibuere. Utrum verò ex ſuperioribus medullæ oblongatę demiſſis primùm, ſurſumque verſum poſtmodum reflexis fibris is ortum trahat, an ab inferioribus in ſuperiora provectis, ſeu denique quadantenus a cinerea ſubſtantia quæ in Olivarium Corporum interiore parte perbellè diſpoſita eſt, non ſatis conſtat. Nec mirum ſanè videri debet conſpicuum hunc, validumque Nervum poſſe ab inferioribus prodire, quum & ſpinalem acceſſorium longiore multò itinere profectum octavo intra Calvariam luculenter copulari nullus eſt, quem lateat; Præterquamquòd cùm magna locorum diſcrimina, quibus proſpicere datus eſt, tum munerum diverſitas id fortaſſe, quod nondum quiſquam aſſequutus eſt principium, requirere poterant. Id tamen penè evidens eſt, quocunque tandem loco illud eveniat, ab cruribus

*Non ab uno prodit principio.*

*Nonnulla illius pars ab imo caudicis medullaris provehi videtur.*

medullæ oblongatæ non iſtud modò nervorum par ; ſed & aliud fortaſsè exoriri. Ea crura ſiquidem, ſi priuſquam anularem ſubeant protuberantiam, dimetiantur, multò quidem craſſiora comperientur, atque cum ab ea emerſere. Quod profectò argumento eſt integra ea non dimitti, ſed quidpiam in eo trajectu conſpicuum ab iis decedere. Quod quidem mirandum non eſt, quum præter id, de quo ſanè conjicere licet, illud evidens aliquandò nobis ſit : ab ſummo corporum pyramidalium conſpicuum medullarem tractum demitti, deinde circà imum corporum Olivarium in ſuperiora converſum incurvari, atque bifariam diremptum ultrà eam rimam, ſeu ſinum provehi, qui inter Olivaria corpora & adjunctum imi Cerebelli pedunculi, ſeu caudicis medullaris latus eſt ; unde ſcilicet octavi nervorum paris fibræ emergere dicuntur, & in ſuperiora versùs Cerebellum nempè protendi, ac disjici. At dum hoc prætermitto, illud tamen animadverto : Quonam fato Cl: Ridleyo contigerit ? Nec eos quos & Vieuſſenius, & diligentiores cæteri Anatomici, & nos medullares tractus, ſive extrà anularem protuberantiam, ſive intra eam luculenter compertos proponimus, omninò non inveniſſe, cujuſmodi ii ſunt, qui a medullæ oblongatæ Cruribus in pyramidalia primùm Corpora mox in ſpinalem per anularem toties repetitam protuberantiam prolabuntur.

*Tractus medullares a corporibus pyramidalibus in imum cerebelli.*

*Quos tractus medullares Ridleyus non noverit?*

§. XVII. Ne ſexti quidem nervorum paris magnitudinem idem Ridleyus rectè deſignaſſe videtur ; quum hujus certè duplum tertium par obſervare conſueverim, quod ipſe ait „ habere circiter magnitudinem nervorum tertiæ „. Tripli ci par iſtud ſurculo ab ima anularis protuberantiæ crepidine profectum ſic deprehendimus, ut vel ab ſummo pyramidalium corporum tenui aliqua fibrilla oriri videretur, cui tamen nos minimùm fidimus ; Hoc interdum latiori cervicalis arteriæ laterali propagini ſubjici, interdum ſuperiùs incumbere vidimus, quo fortaſsè id etiam confirmari poteſt quod ſupra de orta aliquando oculorum gravitate conjicimus.

*Sextum craſſius multò atque a Ridleyo propoſitum.*

Ibidem. *Ab ima crepidine anularis protuberãtię oritur.*

§. XVIII. Quæ autem implicata multum atque obſcura de intercoſtalis nervi origine obſervavimus quadantenus cum Vieuſſenio, & Ridleyo conſentiunt, quippe qui potiorem multò & conſpicuum ſurculum manifeſtò ex ſexta conjugatio-

Nevro. l.3. cap. 5. *De Intercoſtalis nervi principio.*

jugatione trahi contra circiter ſubeuntem Arteriam Carotidem, cujus primò lateri jungitur, deinde in priora ductus per idem foramen è Calvaria emergit. Qui tamen dicuntur ab Ridleyo „ ex interno latere anterioris rami duo alii tenues re„ trocedere, & excurrentes alii exiguo ramo aliquantulum in„ feriùs retrorſum etiam ducto ex ſexta conjugatione „ efficere truncum exiguum ſubrubri, ſeu carnei coloris, non omninò nobis probantur, tum quia ramus ex ſextò pari deciduus non adeò exiguus eſt, tum maximè quod eæ ex quinto pari decedentes fibrillæ non protinus huic ſurculo junguntur, qui ad intercoſtale pergit; verùm ad ſexti paris truncum accedunt, ac ſic arctè ei innectuntur, ut poſt aliquod tantùm itineris ab eo ſejunctæ ad alteram ejuſdem propaginem priuſquam è trunco decedant, copulantur; atque hæc fortaſsè

*Fibræ Quinti Paris ad ſextum, mox ad intercoſtalem accedunt.*

Tab.18.fig.2.

cauſa fuit, quamobrem diligentiſſimus Euſtachius ab ſexta conjugatione tantummodò intercoſtalem deductum nervum exhibuit, quum unicus tantùm ab ea conjugatione deductus ſurculus illum efficere videatur; Si quid autem ei adjicitur id ante fit, quam is ab ea recedere incipiat.

§. XIX. Septimi, ſeu Auditorii paris dura, minor, ſuperiorque portio à poſtremo medullari tractu anularis protuberantiæ prodire viſa eſt; Aliquandò autem non indè eam emergere compertum eſt; verùm inter utrumque Cerebelli Pedunculum, inter eos ſcilicet, quorum alter medullæ oblongatæ adjungitur, alter ſubtus eam comprehendens anularem præſtat protuberantiam, prodiiſſe apparuit. Quum id autem ſæpius, atque accuratiùs diſquiſierim, ab neutro prodire loco tandem aliquando luculentiſſimè ſum aſſequutus; verum ab interiore inferiore anularis protuberantiæ parte, quà ſcilicet demiſſis cerebelli pedunculis copulatur; Ab hoc igitur loco, velut à rimula quadam durior hæc nervi portio prodit, ac ad inferiora demiſſus in imam ejuſdem protuberantiæ partem lateralem locatur.

*Septimi durioris portionis origo.*

*Mollis fibræ univerſa ab ſcrobe medullæ oblongata.*

An. Præl.l.6. lect. 5.

Ad. Anat. 6. An. 27.

Mollis autem portio, quæ ſocia major, ac inferior eſt, conſpicuis quibuſdam albicantibus dumtaxat fibrillis perpetuo ab reliquis colore diſtinctis, ex media caudicis medullaris ſcrobe, ſeu quarto ventriculo, vel Archangelo Piccolhomino fortè detegente, ac experientiſſimo adnotante Morgagno, evidenter prodire deprehenditur; reli-

qua verò, & plurima pars, etſi ab eadem media, de qua nuper, inter cerebelli pedunculos conſita cavitate, unde diſcedunt, etiam prodire videtur, non ita tamen res ſe habet; univerſæ ſiquidem ejuſdem nervi fibræ ab eodem ventriculo deducuntur, quarum eo loci aliquæ albicantes, & conſpicuę, aliquot ferè cinereæ, & depreſſæ vix ab reliquo oblongatæ medullæ latere cernuntur. Eas autem aliquando in cæco gracilique potiſſimùm adeò conſpicuas, atque extantes comperimus, ut nulli prorſus aſſerere dubitemus, ab ea ſcrobe univerſas quidem prodiiſſe.

*Aliquot Octavi paris fibræ ab quarto Ventriculo infrà auditorium.*

§. XX. Mox infra eum locum unde obſervatum eſt è quarto ventriculo Mollis auditorii nervi portionis fibras omnes evadere, & nonnullas aliquando præclarè conſpicuas Octavi paris prodiiſſe conſpeximus, cæteris de hujuſce origine ſilentibus Anatomicis, etſi reliquæ plurimùm disjectæ diverſo progignantur principio; an ullæ autem ab reflexo eo medullari tractu ab ſummis pyramidalibus corporibus demiſſo, & illuc viciniæ, undè hæ prodeunt, delato, proficiſcantur, ſuſpicari quidem, aſſerere autem proclivè non eſt. Ea porrò quæ de ſpinali nervo Octavi paris acceſſorio Ridleyo obſervanti occurrere, ſecus nobis eadem diſquirentibus fuerunt oblata; quum illius nervi originem ultra quintam cervicis nervorum conjugationem tenuiſſimo, ac vix conſpicuo ſurculo prodeuntem obſervaverim nunquam, citra tamen eum locum aliquando, ea verò ratione, ut quum nervus is in dextero latere ab tertia conjugatione prodiret, cujus ſocius in lævo ab quinta deduceretur; dexteri lateris infrà tertiam, binæ conjugationes per conſpicuum ſurculum ſic invicem communicabant, ut, etſi ab tertia revera conjugatione ſuum is principium trahere manifeſtò videbatur, ab quinta nihilominùs ob eorumdem mutuam communionem, ortus haberi poſſet. Quæ quum igitur iis verbis ille expoſuiſſet „ Cujus origo à me deprehenditur „ eſſe propè principium ſeptimi paris Vertebralis „ Subdit deinde „ ab anterioribus, & poſterioribus illius nervi primordiis „ Quæ ubi quis vel etiam minùs ſedulò cum Anatome conferat, ſecus rem ſe habere evidentiſſimè deprehendet. Quoniam ſpinalis nervus non modò vicinior multò poſterioribus nervorum conjugationibus eſt; verùm, quum ne ullam quidem

*Acceſſorii nervi origo non infrà quintam Cervicalē conjugationem.*

*A poſterioribus fibris exorditur.*

quidem à prioribus fibram ſibi aſciſcat, à poſteriorum ſingulis ſingulos ſibi nerveos ſurculos accerſit, atque, ut diximus, in ſuprema ſpinalis medullæ parte omnes poſteriores ſitas decimo pari reſpondentes, quæ minimùm tres ſunt, ſibi copulat. Hujus autem è calvaria egreſſum interdum cum nonnullis Octavi fibris haberi, interdum ab omnibus ſeorsùm, ſæpius obſervanti patet.

§. XXI. Nonum nervorum par disjunctis progerminat fibris, nulla quidem ex ipſa corporis Olivaris ſummitate prodeunte juxta Ridleyum, ſed ab eo lineæ loco, quà Olivaria corpora à pyramidalibus diſcernuntur; tantumque earumdem fibrarum origo ſpatium tenet, quantum ipſamet Olivaria corpora, in quibus cinerea interiùs ſubſtantia tenui eleganti, tortuoſoque inceſſu inter medullarem ſeſe mediam conjicere facilè deprehenditur; Ex hac autem an ulla ex hiſce noni paris fibra proficiſcatur, non ſum ſatis aſſequutus. Quæ præterea ſive ſubſtantiæ, ſive figuræ ſimilitudine altera ut & Olivaria corpora ab Cl: Ruyſchio geminata animadvertuntur adverſam medullæ partem occupare, ut diligenter inquiſierim, reperire potui nunquam; niſi quid aliud hoc nomine ab eo donatum ſit, quod tamen nec ſubſtantiæ paritate, nec figuræ ſimilitudine eis reſpondet, quum, quidquid in oppoſito latere eſt, & aliam prorſus formam, & diverſam quidem originem ab Cerebelli quidem pedunculis habeat.

*Noni paris exordium.*

*Num alia ſint Olivaria corpora.*

§. XXII. De Decimo autem pari quid nobis ſentiendum ſit, quidve dicendum, vehementer hæremus. Illud ſiquidem non modò è ſpinali medulla prodit, ſed illac ita emergit, ut cervicalis conjugationis nomine potiori jure dicendum videatur. At quum aliter ſolertiores opinentur Anatomici, plurimum mihi eorum foret auctoritati deferendum, ſi id quidem, quò potiſſimum res hæc inniti videtur, utique mihi ex Anatome conſtaret, de quo præ cæteris memoratus Clar: Ridleyus ita habet. „ Decimum par ( ſi ex utroque latere „ ſpinalis medullæ duplicem haberet originem, qualem ha„ bent cæteri omnes ſpinales nervi) multò magis propriè vo„ caretur: *Primum par Vertebrale*, quandoquidem & ma„ gna pars ortus ejus, ejuſdemque egreſſus omninò eſt extrà „ Cranii limites „. Id ultrò quidem prætereo, magnam ſcilicet

*An par decimum Cerebro ſit accenſendum.*

*Ex utraq; Medullæ ſpinalis facie fibræ prodeunt.*

licet tantumodo partem extrà Cranii limites exoriri, quum omnem prorsùm extra Cranii caveam naſci, nobis conſtiterit. Illud autem prætereundum non eſt, ejus duplicem non eſſe originem „ priorem ſcilicet, ac poſteriorem „ quum ſecus noſtræ nos doceant obſervationes. Si quis igitur accuratiùs hujuſce paris principium exploraverit, id quidem è priori ſpinalis medullæ facie prodire primò dumtaxat ſibi deprehendiſſe videbitur, ut ſi rem fuerit diligentiùs ſcrutatus, prioreſque propagines ità diducat, ut quid quid poſterius eſt, ſub oculos cadat, deprehendet profectò, è poſtico ejuſdem, proximoque latere nonnullos tres minimùm, nerveos ſurculos prodire, qui etiamſi copulati cum priore portione extra ſpinalem ſpecum protinus non emergunt, non ob id tamen comparem hanc prioris portionis denegandam eſſe cenſeo.

§. XXIII. Ad eum tandem locum ventum eſt, in quo plura, ac graviora ex iis rebus, quæ in Cranii baſi ſitæ ſunt, diſquirere atque excutere æquum eſt; & quamvis circà pituitariam glandulam, quæ antehac ab nemine dicta ſint, obſervaſſe non memini, quod magni ſaltem momenti ſit; Duo tamen circa eam animadvertiſſe recordor, quorum alterum ad priorem; ad poſteriorem alterum pertinet. In priore igitur, ſeu in potiore pituitaria glandula, ſive ex iis aliquando cadaveribus peracuto morbo confectis, ſive ſæpius in optimè conſtitutis, ſubitòque vita functis adeo mihi facilè fuit per levem quamcumque in eam preſſionem albicantem indè humorem elicere, ut admoto interdum vix digito circà ejuſdem latera exiliret: Humor hic lacti perquam ſimilis conſpiciebatur, idque ſæpius coram noſtris inſtituimus; ac aliquandò non obſcurè illius ductuli veſtigium, quà humor is erumperet, mihi deprehendiſſe ſum viſus; quod quum nec ſæpius, nec præclarè ſatis mihi apparuerit; quidquid dieſt dumtaxat indicaſſe ſufficiat. Ad poſteriorem quod ſpectat majoris nempe Appendiculam ſub poſterioribus Sellæ Turciæ Clinoidibus proceſſibus prorsùm ferè conditam obſervavimus; Etſi recta Infundibulum demitti videtur, ut in ſubjectam, prioremque glandulam inſertam appareat, non ſic evenire tamen certum eſt; Illud ſiquidem ubi priorem glandulam contingit, in poſteriora incuruum fertur, atque in appendicem hiare manifeſto compe-

*Lacteus humor e glandula Pituitaria.*

*Infundibuli hiatus in pituitaria glandula appendicem.*

pe-

perimus, quod tamen non ita obujum eſt, ut intuentis in oculos facilè incurrat: Quum illud nobis fortè primò obſervandum occurrerit in capite ſubitò defuncti hominis duos treſve dies noſtra ratione macerato. Quoniam enim per eam macerationem non Infundibuli modò, ſed etiam appendicis quamdam cavitatatem inſpeximus, eadem uti ratione idipſum cognoſcere cupienti, ſi quædam aptior non ſuppeteret, auctor forem: Quamquam commodè, & luculenter in infundibuli cauum, quà priorem glandulam contingit, eique adjungitur, ſcrutari potuiſſem; nihilò tamen minùs neque tenuis ſpecilli, neque aeris ope quidquam detegere datum eſt, quod ſive per infundibulum, ſive per appendicis caveam ad priorem glandulam duceretur, quæ vel ad maiorem ſedulitatem, vel ad meliora tempora ultrò reſervantur.

*Circularis ſinus Ridley ſi ſedulo inquiratur ſemper adeſt.*

§. XXIV. Quoniam in præſentia de ſinubus noſtræ proferendæ ſunt obſervationes, de Circulari, ſeu rectius Ovali eo ſinu primùm dicendum memoratam pituitariam glandulam deſuper obeunte, quem Ridley ſedulitas in Anatomen invexit, quemque inficiari exercitati Profectoris non eſſe puto. Quum eum ſic ſæpè, ſic evidenter, & conſpexerim, & demonſtraverim, ut ſecus de eo ſentire, ſuum ſenſibus foret negare judicium. Hujus quum priorem partem inficiari nemo poſſit; poſteriorem tenuem licèt ſeta tamen facilè pervadendam haud iners ſcrutator ultrò fatebitur, De laterali verò ſupra Carotidum arteriarum dorſum utriuſque communicatione, atque adeo continuatione nemini eſt dubitandum: Si cui tamen has omnes cavitates inter Duræ Matris aut laminas, aut duplicaturas Sanguiferos quidem ductus, Circularem autem, aut Ovalem ſinum nequaquam nuncupare libuerit; is porrò ſciat, tantum ſibi tribuendum non eſſe auctoritatis, ut & rectè indita nomina; & ab Anatomicis Illuſtrioribus recepta vel demere, vel immutare jure queat. Hanc autem glandulam, de qua ſermo eſt, ſuſpendi quadantenus, verum eſſe ex Anatomica deprehendimus inſpectione, quamquam id omnino nonnulli Anatomici affirmant. Is ſiquidem, qui ſub ea tranſverſus ſinus eſt, non omnem hujus partem à ſubjecto oſſe diducit & elevat, ut per priorem potiſſimùm, ac poſteriorem ſui partem Sellæ Turcicæ baſi non innitatur; Quamobrem eo, quod

*Nam rectè dici queat Pituitariam glandulam ſuſpendi.*

quod propoſui explorato, ac comperto impoſterum ægrè eam prorſus ſuſpendi profiterer.

§. XXV. Hactenus pro Ridleyo ſtetimus omnes; poſthac autem quin ei ſim planè aſſenſurus vehementer dubito; quippe qui ſive quodam novitatis ſtudio, ſive Cl. Vieuſſenio contradicendi ingenio, ſeu demum, vel quodam auſu ea protulit, vel fato quodam in ea incidit, quæ nec Anatomicorum conſenſum, neque ipſammet Anatomen omninò probare poſſe, videbitur: De adjacentibus Sellæ Turcicæ Receptaculis loquimur, quæ paſſim ab nullo, unum præter Ridleyum, negari comperimus. At tanti hunc Anatomicum facimus, ut nec ſegniter id exploraſſe, nec temerè idem propoſuiſſe eum nobis tutari poſſe videamur. Quum frequentiſſima multò ea cadavera occurrant, in quibus luculentiſſimè inter Duræ matris ſive laminas, ſive duplicaturas eæ foveæ, ſeu ampla, ac penè inania ſpatia reperiantur, quæ Noſtri Anatomici ſecundum Vieuſſenium appellare Receptacula conſuevere, ex eo factum eſt, ut communiter ea recepta, quaſi perpetua, conſtanterque futura traducantur: Hæc autem ita nos aliquando, nec ſemel tantùm aut iterum, ac noviſſimè, quum in id præſertim acriùs incumberemus, deeſſe vidimus, ut ſi vel antea ea ſępiſſimè ac præclariſſimè non inſpexiſſemus, de iis profectò non modò fuiſſemus dubitaturi; verum eodem Ridleyo pertinaciùs ea prorſus denegaturi; In quæ quidem vel ſemper, vel ſæpiùs incidiſſe ſedulum alioquì Anatomicum conjicere licet, ut ne quid eum perperam commentum fuiſſe, dicamus. Quem neque impoſuiſſe, quod de hujuſmodi Viro ne ſuſpicor quidem, neque fuiſſe hallucinatum, tueri faciliùs poſſem, ſi nullum is in homine dari rete mirabile profiteretur; At tantum abeſt, ut de eo vel leviter dubitet, quin potiùs id firmiſſimè aſſerens, prodiderit. „ Nullo non tempo-

*Receptacula aliquando deſiderantur.*

„ re, & quidem abſque difficultate in hominibus ſemper in-
„ veni „ Cujus hęc deſcriptio eſt. „ Illud autem oritur ab
„ Arteriis Carotidibus, ad quarum quoque latera interiora,
„ eo potiſſimùm ſinus Circularis loco, qui ad quatuor ſupra
„ deſcriptos, & ſuperiores ſinus ſpectat in Cerebri baſi, &
„ certo modo juxta Sellæ Turcicæ longitudinem in utroque
„ latere inter Glandulam & arteriam Carotidem ſitum ſuum

*Ridley ſententię contra ſeſe pugnant.*

„ occu-

„ occupat „. Quæ dum ipſe proponit, etſi univerſa non diſſerit, ea tamen producit, quæ ſi non omnem Receptaculorum amplitudinem, aliquam tamen earumdem cavitatum partem evidentiſſimè declarant, quod quidem ampliùs conſtabit, quum de ſinuum Emiſſariis verba fient. Adeo apparet quacumque ratione ad ejus ſententiam reſpexerimus, in alterutro quidem, in utroque autem ex propoſitis nequaquam eum ſibi conſtare poſſe.

§. XXVI. Nec illud prætereundum cenſemus, quod in Oſſeo arteriarum Carotidum canali anatomica animadverſione dignum, obſcuriùs licèt quandoque, quandoque tamen evidentiùs adnotavimus. Non de earumdem obliquitate loqui animus eſt, quam jampridem anatomica ſedulitas attendit, nec de variis earumdem Iconibus, quorum an optimi ſint, optimèque rem exhibentes à Williſio propoſiti, dicente Ridleyo municipis ſui, cæterorum fortaſſe injurià, ſtudioſiſſimo, ſolertiores dijudicent Proſectores; Nec de producto in poſteriora utrinque tenui Carotidum ramuſculo interdum in Cervicalis truncum, ſæpiùs autem in ejuſdem laterales ramos inſerto: De altero Carotidum habitu noſtræ ſunt obſervationes: Hæ igitur dum ex Oſſeo ſpecu ad Pituitariæ glandulæ latera acceſſuræ emergunt, neque Oſſeo parieti, neque circumductæ Meningi arctè adhærent, ſed eidem laxiſſimè circumtenſæ ita inſidunt, ut inter eas non exiguum ſpatium intercedat, neque id propè earumdem egreſſum dumtaxat incidit; ſed ſic altè, ut aliquando Infundibuli ſpeciem quamdam exhibeant. Nec tantummodo ab arteriis diſita meninx eſt, verùm & ab eodem includente Oſſeo ſpecu, ut ſi uſpiam Dura mater contrahi, & criſpari poſſit, ibi maximè, & commodiſſimè id ei præſtandum foret. Verùm enim verò non modò ſummo Sapientiſſimi Conditoris conſilio id proviſum eſt, Carotides arterias Oſſis parieti non cohęrere, ne per id impediretur, qui in neceſſariam propellendo ſanguini agitationem venirent; verùm etiam ut par quodammodò influenti, atque effluenti ſanguini potentia & vis aptaretur. Siquidem quum intra id, penè dixerim, Oſſei Carotidis ſpecus infundibulum ſanguis, qui in Receptaculis eſt, neceſſariò deſcendat, non poteſt quominus ab diductis Arteriæ parietibus urgeatur ac propellatur, quo is

*An Williſii Carotidum iconiſmi optimi ſint.*

*Carotis nec oſſeo ſpecui nec duræ matri adhæret propè exitum.*

*Circum eam quædam alta cavitas ſæpè reperitur.*

*Uſus illius conjicitur.*

K ada-

adactus motu reliquum circum ea loca degentem urgeat, ac propellat neceſſe eſt; quo ſibi ſive per proximiores ſinus, ſive per cætera emiſſaria è receptaculis egreſſum aliquandò moliatur. Non inficiari tamen poteſt, quòd dum is vel mole, vel pondere, ſive ab ejuſdem copia, ſive ab arctatis quacumque demum id ratione ſit, aut ſinuum diverticulis, aut Emiſſariis, quamobrem egredi minùs expeditè queat, dum is inquam ad Carotidum parietes premit, non ſit quadantenus cohibiturus, ne ad eam arteria diducatur amplitudinem quam facilè, ſi contrà is niſus non fuiſſet, foret aſſequuta; Ex quo fit, ut minor Cerebro inferatur ſanguinis copia, eò quod tum maximè difficilior ſit ejuſdem exitus, ac propulſio; Atque hac quidem cohibita arteriarum majori diductione, & propulſo ab earumdem Carotidum motu exteriùs aſſidente ſanguine, illud tandem conſequi neceſſariò videtur, ut & contentus propellatur ne reſtitet, & ne contendens nimius inferatur maximo ſanè Cerebri Œconomiæ incommodo.

§. XXVII. Proximum nunc eſt, ut de iis viis diſſeramus, per quas ſive è Receptaculis, ſive ex adjacentibus Sellæ Turcicæ ſinubus ſanguis effertur. At quum nuperi potiſſimùm Anatomici de his ſatis multa dixerint, etſi quædam ſuperſunt levioris tamen momenti nonnullorum lapſus indicantia, ne actum agere videar, ad noſtras obſervationes properabo. Tria inter Receptaculorum cavitatem conſpicua hiare orificia, per quæ inde ſanguis triplici diverſo itinere transducatur, de nemine didicimus; Quamquam tamen duorum meminerit etſi minus rectè Ridleyus, quæ non tanquam Receptaculorum Emiſſaria, ſed uti venarum, quæ Circularem uſque ſinum properant, continuationem proponere ſatagit. At ſive ejuſdem circa Receptacula prolapſio hujus quoque parens ſit, ſive ab iiſdem mordicus oppugnatis idipſum proficiſcatur, circa utrumque eum tota errare via luculentiſſimè conſtat. Sciſſa etenim ſupernè Dura matre, nec ulla in Receptaculorum interiora vi illata, hiſque tantummodò diductis, concretoque ſæpiùs reſidente ſanguine ſola aquæ affuſione purgatis, id protinus, ac evidenter apparebit, de quo quæſtio eſt. Nulla enim vel levis venularum tunica, nulla ibi forma, nulla ramorum diductio; verùm id ſolum patet, quod Receptaculorum cavea

*Vena receptaculorum deferentia vaſa non ſunt.*

eſt

eſt firmiſſimis Duræ matris membranis compacta quàm abſimili figura vaſculorum diſpoſitione. Ut igitur ea, quæ poſthac Receptaculorum Emiſſaria nuncupabimus præclarè in conſpectum dentur hac methodo inquiſitio eſt inſtituenda. Reſeratis deſuper, diductiſque Receptaculis, neceſſum eſt nervum quinti paris extrinſecùs deducere, atque inter hujuſce propagines, & interiorem Meningis duplicaturam, quæ exteriùs Carotidi accumbit, ſingula ea, de quibus nunc ſermo habetur, Emiſſaria protinus conſpiciuntur. In edita igitur, & ſuperiore ejuſdem parte Primum ſeu ſuperius occurrit Emiſſarium, cujus non per ſecundum Cranii foramen annotante memorato Ridleyo, ſed per tertium, latam ſcilicet Rimam exteriùs propè oculi orbitæ fundum conſtitutam, exitus eſt. Id ſub Nervis tertii, & ſexti paris inter Patheticum, & priorem quinti propaginem, & poſtremum ſubituræ Carotidis flexum extrà Cranii caveam ducitur.

*Ratio ſingula Emiſſaria detegendi.*

*Situs primi ſeu ſuperioris Emiſſarii.*

§. XXVIII. Alterum verò cæteris majus per quintum Cranii foramen ob figuram Ovale nuncupatum cum potiori quinti Paris nervorum ramo ad exteriora migrat. Hujus Emiſſarii oſculum non ſine peculiari artificio conſtructum eſt: pluribus id ſiquidem tranſverſis lacertulis munitur, ſive ne affatim illac erumpens ſanguis, eumque canalem diducens, illac itidem emergentem quinti Paris propaginem nimium apprimat, ſive ut ſegniùs præterfluentem ſanguinem quadam contractione acceleret.

*Alterius emiſſarii ſitus.*

§. XXIX. Tertium verò cæterorum anguſtiſſimum, ſic tamen productum, ut jure optimo ſinus potiùs, quam Emiſſarium dici mereretur; at ne plus æquo nomina in Anatomen nunc temporis ſatis ſuperque difficillimam invehantur, Emiſſarii nomine adjecta Anguſtioris nota, id quoque nominabitur. Quod ſingulari naturæ conſilio comparatum, ac conditum, medio modò memorato Emiſſario paulò ſuperius eſt, ac in interiori latere conſtitutum. Hujus hiatus obliquè poſitus eſt, ſecundùm tamen longitudinem inſculptus, atque per tenuem, exiguumque oſſeum Canaliculum, dura interiùs matre obductum, infra Cranii baſim trajicitur. Non modo is Emiſſarii hiatus, qui quidem exiguus eſt ab nemine, quod ſciam, obſervatus fuit, ſed ne oſſeus quidem Canalis, qui

*Emiſſarium tertium, ſeu anguſtius.*

*Oſſeus Canalis perquem trajicitur ab nemine obſervatus.*

K 2 conſpi-

conſpicuus eſt tamen, & ultrò in oſſis ſphenoidis diſquiſitione in oculos incurrit, vel memoratus unquam fuit, vel animadverſus. Itaque is Canalis ſuprà Pterygoidis proceſſus baſim ſecundùm totam ejus longitudinem ad latera ſinus ſphenoidis inſculptus angulari poſteriùs orificio, priore verò conica quadantenus diductione finitur. Per hunc in ſinus modum compoſita Dura mater trajicitur, atque illac ceu per tertium Emiſſarium ſanguis in inferiora defertur. Porrò dum eum Canalem eſt machinata Natura tum poſitu, tum anguſtia difficilem, atque medio pertuſo oſſe productum, non aliud omninò, quàm quod oculis ſubjicitur, nec alio, quàm unius tenuiſſimi trajectus ſtudio intendiſſe, arduum quidem captu eſt, quum in ejuſdem operibus, quàm maximum brevitatis, facilitatis, atque ſimplicitatis conſilium ſoleat eluceſcere; ex quo ſi præter morem aliquando diſcedat, non eſt luſus, aut levitatis, ſed eſt latitantis quidem miſterii argumentum, cujus quum nos machinam atque inſtrumentum dexterimus, aliorum ſolertiæ rationem excogitare prorſus relinquimus.

§. XXX. Nos intereà novum aliud artificium huc uſque inviſum proponemus: deinde & ejuſdem rationem vel expiſcari, vel divinare curabimus. Statim ac è quinto Cranii foramine, è medio ſcilicet, cæteris tamen majore Emiſſario ſanguis effertur, non is protinus in interiorem Jugularem venam infertur, ſive rectà, ſive obliquè, ſive ſolus, ſive reliquorum illuc viciniæ corrivantibus Emiſſariorum vaſculis copulatus; Sed ductus ii quibus primò ſanguis illac effluens continetur, adeò variè, adeò mirè dirimuntur, ut non vaſorum rete, aut implexum, ſed elegantem cellularum formam, mutuamque comunicationem, ac penè labyrinthæum errorem ſpectantium oculis exhibeant. Horum tenuiores multò, quàm in venis membranæ ſunt, quæ tum ob firmitatem, tum ob uſum adjuncto Oſſeo parieti validè annectuntur; quæ poſthac Emiſſariorum diverticula nominabimus, inter exteriorem muſculum Pterygoidem, & ipſummet os ſphenoides interjecta ſunt, quà id in caveam flectitur mediam inter inferiorem & ſuperiorem ejuſdem Oſſis Alarem proceſſum. Quamquam divinare potiùs, quam rationem attingere credo, quamobrem ſit cum mira ea vaſculorum comparata diſpoſitio, tum maximè

*Loci deſcriptio in quem Emiſſaria corrivãt.*

*Diverticula emiſſariorum dicuntur, & quo artificio Conſtructa.*

*Quamobrem ea data ſint conjicitur.*

eò loci ſita; nihilo tamen minùs, ſi ſingula rectè diſquiſivero, quæ in illius diſpoſitionis modo occurrunt, nonnulla eorum certè, quorum gratia ea condita ſunt, me aſſequuturum fore confido. Primum igitur eſt perpendendum, cur ab tenuibus illis oſculis in eam amplam cavitatem plùribus diremptam membranulis, ac firmatam diſſepimentis ſanguini è Cerebro redeunti erat difluendum. Expedita hujus ratio unde depromi poſſe videtur, quòd quum attentiſſimè proviſum ſit, ſiquidem per omne corpus, per Cerebrum potiſſimùm quàm commodiſſimè ſanguis diſcurreret. Huic itaque naturæ conſilio per amplam eam vaſorum diductionem conſultum eſſe judico, in quam ab emiſſariorum anguſtiis liberè ſanguis delaberetur. At ſi quis fortè & per laxum venæ ſurculum huic inſtituto conſultum eſſe, regerat, non illud tantummodò attendiſſe ſapientiſſimum conditorem opinor, quum nec ille æquè diduci, nec hic facilè comprimi queat, ut non ſolùm, cum opus eſt, delabenti ſanguini quàm lata via pararetur, ſed & eidem ſanguini ubi contrà neceſſitas urgeat vel omninò, vel quàm maximè per ſtatum tempus eademmet via intercipiatur. Prætereà ſi tum emiſſariorum, tum eorumdem in primis diverticulorum poſitum ſedulò attendamus, & eorum planè rationem perciperemus, quæ nobis inſciis nos met ſpontè operamur, & ſentimus; tum fortaſsè etiam ad operis intelligendum conſilium, quàm proximè accederemus. Quæ ut præclara luce proferantur, animadvertendum eſſe cenſeo: quemlibet pro lubitu poſſe ſuas vires intendere, quod quum non à magna dumtaxat intra Cerebri penetralia degentium ſpirituum copia pendeat; verùm à majori eorumdem ad certas partes affluxu; id tum quiſque præſtare valebit, cum rationem noverit, qua ii vehementer, atque affatim ad membra adigi queant: quumque, ubi id nos molimur, & reſpirationem cohibere quàm maximè, & validiſſimè maxillam adducere nitamur, palàm colligere eſt, utroque illo molimine validiſſimè ſpiritus à Cerebro ad exteriora membra propelli. Quoniam per cohibitam expirationem effici, ne ſanguis per pulmones expeditè fluat, notum eſſe arbitror, ac non ſic liberè eumdem ſanguinem ut anteà de quacumque corporis particula excurrere, atque adeò de Cerebro delabi (idque ab tumentibus

*Qua ratione homo vires ſuas intendere valeat.*

*Quid intrà Cranium contingat homine non expirante.*

tum temporis exterioribus venis jugularibus maximè declaratur ) conſequi neceſſe eſt, eidem diutiùs eſſe intra Cerebri ſinus immorandum, quatenus in refertas jugulares ſenſim poteſt immitti tantummodo. Quamobrem ab iiſdem non depletos ſinus tanquam manu Cerebrum premi neceſſe eſt, quò & validiùs & copioſiùs in Nervos ſpiritus ingerantur. Perſpicuum igitur factum arbitror, non modò cur tametſi inſcii expirationem cohibeamus, verùm etiam cur adeò arctè inferior adducatur maxilla. Prima hujus & potiſſima ratio eſt, quod dum ea adducitur, cum cæteri huic muneri addicti muſculi, tum præcipuè dum Pterygoides exterior muſculus ac Crotaphites, quorum nominatim ob hanc rem poſitum ſuprà deſignavimus, contrahuntur, & tument, eam vaſorum diſpoſitionem, quam emiſſariorum diverticulum diximus, ſic comprimi, & ad Os urgeri neceſſe eſt, ut intercepto quadantenus per ea emiſſaria ſanguinis è Cerebro effluxu, ea etiam præſertim de cauſa, & contentas partes turgere, & in validiorem Spirituum expreſſionem venire, neceſſariò conſequatur. Quamvis maxima in hoc opere Pterygoidis exterioris actio eſt, utpotè qui plurima ſui parte Diverticulum urgeat; attamen & ea Crotaphitis portio, quam ab laterali orbitæ Rima deductam diximus, in id ſuam operæ partem manifeſtò impendit.

*Cur inferior adducatur maxilla, dum vires intendimus.*

OB-

# OBSERVATIONES ANATOMICÆ

## CAPUT IV.

### *De Oculo.*

§. I. ADeò allexit Anatomicorum cupiditatem Oculorum venuſtas, adeò exercuit eorumdem ſedulitatem tanti operis difficultas; ut niſi quædam quaſi deſperatio quidquam amplius reperiendi deterreat, quàm difficilimum certè eſt plura congerere, quæ utpote nova in Anatomen infundantur, poſt celebriores potiſſimùm Briggium, Nukium, Ruyſchium, atque Hovium: Idcirco de præclariſſimo hoc opere quædam tantummodo, eaque levidenſia ſubiiciam. Etſi perhibent plurimi poſt Cl: Nicolaum Stenonium innominatam hominis glandulam ſuper Oculo propè minorem angulum conſtitutam lacrymarum fontem eſſe; nec aliquis deſit Anatomicus, qui complures luculentiſſimoſque ex Brutis perperam ad homines traductos delineaverit ejuſdem ductus, eſt tamen, qui iiſdem fidem optimo jure ad huc cohibendam eſſe arbitratur; quum nec qui facilè nimium eos crediderit, vel pinxerit, quantum ſatis eſt fortaſſe exploraverit. Nos eos ſæpe & diligenter conquiſivimus, ſive in interiori palpebræ membrana, eorum oſcula ſcrutando, ſive intrà glandulam ſpeculando, nihilque quod ſatis eſſet noſtræ curioſitati comperimus. Semel tantùm in magni capitis magna itidem tumenteque glandula id nobis occurrit, ut qui ejus glandulæ ductus eſſe perhibentur, eos reapſe tales ſeſe, ſimus vehementer ſuſpicati. Plures igitur velut ductuli eſſe nobis ex glandulæ lobulis ſuperiùs evadentes exhibuere, qui parallelo fere inceſſu deducti in proximam palpebræ partem terminari videbantur. Ex *Lacrymalis glandula ductus.*

his

his nos unum explorandum ſelegimus, qui cùm colore pallidiuſculo, tum præſertim quia flaceſcere viſi ſunt, pro excretoriis ductibus ſunt habiti; ſciſſa igitur ſecundùm longitudinem ſuſpenſa, ac temperata manu tenui ejuſdem membranula ſetam indere non tentavi, quæ tantillo incongrua vaſculo videbatur, ſed tenuiſſimo ęreo filo obtuſo quantum licuit apice ea ſedulitate uſus ſum, quo non viam facerem, ſed explorarem: ac reverà leniter illud promovendo ad palpebram perventum eſt, quam tamen, ſive ductuli illius anguſtia, ſive obliquitas inſertionis in cauſa foret, ea ipſa vi pervadere potui nunquam; Quamquam tamen è regione illius ductus adverſa tamen facie, abſterſa curioſiùs exſiccataque palpebra, intentaque defixa acie, quædam viſus ſum vidiſſe foraminula, quæ in minori cantho circà ſuperiorem Tarſi crepidinem ex ordine poſita hiabant, multò quidem anguſtiora, quàm quidquam intrò poſſent à nobis inditum accipere. Hæc tamen nos ità proponimus, quatenus nobis ſemel tantummodo, eaque ratione oblata ſunt; pro quibus conſtituendis ultrò nos ipſi fatemur plurima, eaque luculentiſſima opus eſſe confirmatione.

*Ductus progreſſio tenui filo tentata.*

§. VII. Quoniam nulla ſunt, quæ circa oculi Muſculos adnotanda habemus, de eorumdem uſu quædam proponere libet: num ſcilicet præter ejuſdem oculi motum illum ſic vel retrahant vel producant, ut vel in planiorem, vel in acutiorem figuram ille conformetur. Hanc me in quæſtionem induxit oſſeam prorſus reperiſse in Thinni oculis ſchlerotidem membranam, ob cujus quidem ſoliditatem, ac duritiem nullo muſculorum vel valentiſſimo niſu conſtituta poteſt figura commutari. Quapropter ſi in eo piſce quidquam commodi ex ejus figuræ varietate natura ſperaviſſet, aliud quodpiam artificium in ejus vicem machinata fuiſſet. Quæ verò mutatio an in homine efficiatur, quorumque muſculorum ope, determinatu non eſt facile: Recti enim muſculi dum pariter agunt, etiamſi mediis eorum turgentibus poſſe videantur acutiorem oculum efficere; tanta tamen poteſt eorumdem extremorum, ſeu priorum potiſſimùm tendinum vis eſſe, ut vel complanari potiùs ea in parte, vel naturalem ſuam convexitatem nihilo minùs tueri queat. De obliquis autem eadem prorſus

*Thinni ſchlerotis omnis oſſea.*

ſus

ſus res eſt, quum ſic ab inferiore obliquo oculus ferè comprehendatur, ut adduci, atque contrahi ab eo poſſe videatur, quamvis reverà utriuſque obliqui extrema in poſteriorem oculi partem inſerta, vel in priorem locum eum omnem trahere, vel ex ejus poſticæ convexitatis debere quicquam adimere ex poſitu apparet.

*Viſi ductus aquoſi in Cæci oculo.*

§. III. Ductus autem aquoſos Nukii, dum cæci oculum diſſecaremus ſic evidenter ſpectavimus, ut de iis dubitare vel cæcitatis, vel levitatis in nobis foret argumentum. Ea hìc miſſa facimus, quæ in marini vituli Oculis obſervavimus, in quibus longiſſimos ductus, pellucidos, tenui tunica donatos, rectiſſimos, nulloque vaſorum ſeu propaginum diremptu diductos, ſed triplici, vel quadruplici in loco ſchlerotidem citra medium oculi pervadentes. Horum oſtia eleganti erant forma diſpoſita, quà enim ii ſchlerotidi applicantur, modò duplici modò triplici oſculo interiora ſubibant: Eaque oſcula leniter, atque paulùm obliquè terebrata in ſchlerotide erant. Re tamen verà rubellum tenuiſſimum, ac penè aqueum colore, ſubſtantia autem omninò continebant humorem, quo prorſum orbatum colore in iis cæci hominis ductibus humorem reperimus. Is igitur contentus humor decolor planè, ac pellucidus omninò erat, non in uno dumtaxat, ſed in ſingulis, quorum in oculum ingreſſus citrà medium ejus erat; non ea tamen elegantique figura quemadmodum in marino vitulo ſuprà adnotavimus: Horum etenim ſinguli nec ſenſim extenuatam ſchlerotidem, nec triplici diductam foramine, ſed uno eodemque penè tranſverſim poſito ſubibant. Non quatenus nova ſint, hæc attigimus; verùm ut per ea ex iis aliqua explanentur, quæ ſive a Nukio primùm, ſive ab Hovio luculenter, copioſeque propoſita habemus.

*Vitullini ductus humor rub.bat.*

*Humani autem decolor & abſimili modo ſchlerotidem pervadebant*

Scialograph. T 4 F 2. Tract. de cir. humor in oculo.

*Duplex vitiũ Cryſtallini.*

§. IV. Quapropter in re tanti negotii, in qua potiſſimùm illuſtranda non perfunctoriè agendum eſſet, ſatis nunc nobis erit ea proponere, quæ de duplici Cryſtallini vitio, ſeu opacitate, obſervavimus; Quorum etſi alterum Glaucoſis audit, ſuffuſio tamen, ſeu catharacta à vulgo nominari ſolet. Duplici igitur vitio corripi cryſtallinum humorem obſervavimus; quorum alterum ejuſdem tantùm ſummam partem tenet; alterum altiſſimè inſidet. Primum cum in Cadaveris,

L tum

tum in alterius mulieris viventis oculo adnotavimus. Diaphana utriuſque erat interior ſubſtantia, at ea, qua circumvallabatur membrana, ſic erat in candidas ſtrias conformata, ut Cryſtallini centrum vix puncto majus iiſdem vacuum foret. Hæ tamen ſtriæ radiorum in modum compoſitæ, aliæ breviores, longiores aliæ erant, illo tamen ordine, & lege ut longiorum ſingulæ pari inter ſe ſpatio diſtarent, breviores autem inter eas mediæ, ſic ſenſim decreſcebant, ut breviſſima omnium eſſet, quæ inter utramque longiorem media erat, cæteræque eò plus producebantur, quò propiùs ad longiſſimam accedebant. Harum erat firma ac velut tendinea ſtriarum ſubſtantia, ut eas non ab re alienum foret ſuſpicari, ligamenti ciliaris lacertoſas quodammodo productiones eſſe, quibus non modò humor ille, ſeu Lens Cryſtallina contineretur, verùm ubi opus, & comprimi, & complanari ab iiſdem poſſet: Præſertim cum mollis, ac penè aquea ſumma ejuſdem humoris ſubſtantia ſit. Quæ ſi, ut in iis evenit, vel nimium producantur, ſeu potiùs areſcant nimium, & concreſcant, opacitas continentis ejus membranulæ ſuboritur, unde poſtremò cæcitas.

*Exterius deſcribitur.*

*Unde cæcitas.*

§. V. Alterum verò notiſſimum vitium Glaucoma eſt, de quo ideò verba facio, ut hujuſce curationis primum, deinde ſectionis brevem hiſtoriam exhibeam: Etiamſi, vel hujuſmodi plurimas proferri ſcio, vel & Tonſoribus nunc temporis novum non eſſe, etiam ſine cryſtallino humore hebetem licet, viſionem tamen haberi. Senex itaque valentis corporis habitus mero ſæpè addictus, citrà tamen temulentiam, ſupra quinquaginta annos de viſus infirmitate ex utroque oculo conqueri cæpit. Eò tandem poſt aliquot annos ventum eſt, ut dextero nihil omninò, lævo autem vix minimùm cerneret. Quapropter promiſſam eorum curationem tentare decrevit, feliciterque in dextero per mediocriter peritum Chirurgum primò habita fuit, à qua ſtatim videre cæpit; eademque in lævo inſtituta, quemadmodum nullo in dextero, ſic graviore in ſiniſtro affectus dolore, non modò ex eo quoque meliùs; ſed peſſimè omninò ſe habere conquerens: neque tum, neque imposterum quicquam ampliùs cernere potuit: ſed acies ejus in perpetuum erepta fuit. Poſt id temporis ad eam curationem;

*Glaucoma alterum vitium.*

*Ex Glaucomate cæcitas, & curationis hiſtoria.*

quod

quod non nimiùm fuit, neceſſarii, ex dextero oculo obſcurè quidem objecta cernere, at utrinque convexi conſpicilli ope luculentiùs quidem, non tamen præclarè, ſic videlicet, ut legere, & ſcribere majoribus characteribus poſſet. Is cum acutiſſimo morbo ſeptuageſimum circiter agens annum defunctus eſſet, ejus nos cadaver incidimus, deque hoc oculorum vitio comonefacti eoſdem eduximus, & priuſquam eos conſecaremus, id notavimus, quod exteriùs ſpectando dignoſci poſſet. In dextero igitur oculo ad exteriùs latus, ſeu tempus illud inclinatum ſpectabamus, quod aciem vitiaverat; ſic tamen ut extrema illius ora pupillæ penè axi objiceretur, idque ſubalbum videbatur: in adverſo autem pupillæ latere nil cernebatur hujuſmodi, ſed vacua prorſus apparebat. Porrò ſiniſtri oculi pupillæ propiùs corpus illud admotum erat, per quod acies erepta fuerat, eademque pupilla paulò anguſtior, quam dextera reperta eſt, eaque circularis, hæc autem ferè eliptica. Quos ubi diſſecuimus, dexteri Cryſtallinum humorem concretum omninò, opacumque obſervavimus, atque in dexteriorem partem deductum ſic, ut obliquè planiore ſui facie Uveæ dextero eidem lateri apponeretur. Nulla is Ciliaris ligamenti portione nectebatur ampliùs; ſed per tenuem brevemque membranulam, quæ pupillæ propior erat, Cryſtallini humoris crepido proximæ Uveæ ſic firmiter copulabatur, ut per vim tantummodo evelli inde poſſet: Hujus Lentis moles paulò minor præ naturali erat; nec unius planè coloris, ſed varia erat ſuperficies; nulla cæteroquin membranula pupillæ obtendebatur. Siniſtro itidem oculo diſſecto, cui ante molitam curationem levis quidem, poſt eam autem nullus ne ſegnis quidem viſus ſupererat; idem erat Cryſtallini humoris vitium, hujus tamen obſcurior color, & ferè auro ſimilis, major altero moles erat, inæqualis ſuperficies; Ciliari ligamento ne is quidem nectebatur, etſi immobilis, hærenſque videbatur: Quo tamen ex ea ſede poſterius elevato quædam velut membranula pupillæ apponebatur, quæ & ægriùs inde divelli potuit, atque adeò in fruſtula conciſa. Hæc tenuis erat & alba, ſed validior quidem, & earumdem continentium humores membranularum productio, & continuatio quædam videbatur.

*Oculorum vitia quæ exteriùs conſpiciebantur.*

*Interiora vitia oculi deſcribũtur.*

L 2 OB-

# OBSERVATIONES ANATOMICÆ

## CAPUT V.

### *De Naſo.*

§. I. QUum ſuprà ea propoſuerim, quæ de Naſi muſculis habui animadvertenda, reſtat nunc, ut nonnullas interiorum proferam obſervationes: quarum quædam ad ejuſdem Cartilagines, quædam ad oſſa, reliquæ verò ad inveſtientem membranam pertinent. A Cartilaginibus orſus, quas Celeberrimi Ruyſchii ſedulitas adjecit, repetitæ confirmarunt quidem obſervationes, nonnulla tamen circà earumdem prȩterea numerum poſitum, & figuram adhuc conſideranda veniunt, per quæ tum certus, ſi fieri poſſit, earumdem firmetur numerus, quà & poſitus, & figuræ luculentior notitia habeatur. De Triangulari utrinque Naſi oſſibus ſupernè illigata ampliùs ſanè quærendum duco, utrum eæ per ſeſe par unum conſtituant, an ita Cartilagineo ſepto, ut nobis diſquirentibus videtur, continuatæ ſint, ut cum eodem unam dumtaxat Cartilaginem efficiant. Dum enim nulla illata vi accuratè perychondrio ea parte ſpoliata circà Naſi dorſum tum exteriùs, tum interiùs eam explorarem, ſic illam vidiſſe viſus ſum, ut Cartilagineum ſeptum ubi ad Naſi dorſum acceſſerat diſpartitum, tenuataque ſubſtantia diductum, atque ad latera reflexum velut in geminas Cartilagines, quæ re tamen vera una, continuataque erant, abiret. Quod ut luculentiùs percipiatur, quadam priùs maceratione opus eſt, cujus ope laxatis nectentibus fibrillis, faciliùs eæ membranulæ evelluntur, & ſic magis ex interiore præſertim facie res in conſpectum prodit. Non eſt

*Naſi Cartilaginum diſquiſitio.*

*Summa Naſi Cartilago Triangularis una eſt.*

eſt tamen inficiandum nullam hujuſce opinatæ diviſionis rationem ſubeſſe; Inferiùs enim ubi multò tenujores eæ fiunt, paullatim ſic à medio ſepto recedunt, ut eas inter, & ſeptum lineola, ſeu rimula diviſionis index appareat. Verumtamen, ut eædem prorsùs diviſæ ac ſui juris dicantur, non ſatis eſt, propè oram inferiorem ab eodem ſepto diſcerni: Quod ſi ſuperiùs tranſverſa ſectione inquiratur, unicam eam eſſe non triplicem diductam dumtaxat Cartilaginem, luculentiſſimè conſtabit.

*Inferior diviſionis nota.*

§. II. Earumdem verò cartilaginum poſitum non modò, prout is Tabulæ 9. Fig. 4. exhibet, verum etiam juxta eam deſcriptionem quam Tabulæ adjecerat, ſæpius cum Anatome comparavi, neque, prout mihi comperire datum eſt, reſpondentem deprehendi, quum Primo ſic ab eodem nominato Cartilaginum pari, ſeu triangulari, de quo modo verba fecimus, altera utrinque ſubiiciatur, quæ ipſi quarta, & quinta dicuntur, ſubdit mox „ Cartilago ſexta, & ſeptima par tertium conſtituentes jam jam memoratis Cartilaginibus, nempè quartæ & quintæ latere poſteriore cohereſcunt, ſuntque præter propter figuræ quadrangularis „. Quam quidem reperimus ad memoratam figuram aliquatenus accedere, at non eo tamen loco conſtitutam, quum utrinque hæ jungantur poſtremis, ſeu imis longioribus, quas nemo Anatomicus non novit, quæque pinnarum potiorem partem efficiunt.

Reſ. Probl. 8. *Cartilaginum deſcriptus poſitus aliter ſe habet.*

§. III. Idque tertium eſt, de quo circà eas dicendum ſupereſt. Si quid enim vel ex deſcriptione, vel ex tabula ſumus aſſequuti, non quod ad terminos modò, verùm etiam quod ad figuram, hanc nos diverſo modo compoſitam obſervavimus; utraque enim harum Cartilaginum extrema poſt longiorem ambitum, niſi ad ſeſe convertuntur, non ità tamen divergunt, uti in oppoſitas oras tendant, ac imperfectè licet S. tamen litteræ figuram exhibere quodammodò appareant, ut in eadem tabula oſtenduntur. Quod quidem nec veritati, nec naturæ ſatis conſilio facit. His ſiquidem quum porior narium laterum pars ſit firmanda, quæ quidem in orbem componitur; non ſatis intelligo, quo pacto ea figura, cujus extrema in diverſa diſponuntur, orbis unquam, vel quid ei ſimile, effici queat. At quidquid in ea tabula id eſt, auctoris

*Earundem figura diverſa*

tanti

tanti ſedulitatem in re nullius penè negotii defuiſſe non arbitror. Et ſi præterea diſſimilem, quo ad extrema eamdem Cartilaginem reperi: Nam quod ad interiora vergit, & imo ſepto ſubiicitur gracilè admodum eſt, & quadantenus tuberoſum; Alterum verò, quod exteriùs pinnas continet latum eſt, & amplum, extrema quidem parte tenuatum, atque huic profectò committitur ea cartilago, quæ ferè quadrilatera eſt.

*Et in conformatione extremorum diſſenſus eſt.*

§. IV. Nunc eas rurſus adeamus Cartilagines, non quatenus ab aliis propoſitas, ſed prout à nobis eæ obſervari conſueverunt, quæ tum à ſupra memoratis, tum ab iis, quas Cl: Verheyenius adjecit plurimum differunt. Præter mediam autem eam Cartilaginem oblongam, & gracilem, quam inter triangularem ſupremam, ac minus mobilem, & inferiorem longiſſimam, ac ſummè mobilem conſtitutam Celeb: Ruyſchius detexit, quædam tamen ulteriùs obſervavimus ſine ulla animadverſione non prætereunda. Ea igitur Gracilis cartilago non uno ſemper modo ſe habet, quum aliquando ſit circà medium diſpertita, aliquando circà extremum: ita tamen, ut in ſingulis extremis lateribus binæ ſint Cartilagines. Aliud prætereà adiiciendum eſt, præter memoratam & crebrò occurrentem Gracilis Cartilaginis diviſionem, quod fortaſſe ob tenuitatem, inquirentium oculos præteriit, atque minima ſunt. Veluti cartilaginum fruſtula, quæ ubi attentiùs obſervavimus, inter Gracilem eam, & inferiorem, ſeu pinnarum maximam, ſunt inſtar minimorum ſeſamoidum interjecta: Quæ tamen non ità eò loci ſunt, ut & alibi eas non inſpexerim, ac potiſſimùm in priore Cartilaginei diſſepimenti latere, quà ſcilicet maxima pinnarum Cartilago curvata in interiora ſub eodem convertitur. Ex his quidpiam Verheyenium vidiſſe colligo; Quum & is circà numerum ab eodem Ruyſchio ſe diſcrepantem faciat, ac ſi vel ejuſdem tabulam XXVIII. vel deſcriptionem aſſequor, aut Gracilis Cartilaginis diviſionem, aut unum vel alterum ex fruſtulis Cartilagineis obſervavit; Quæ quidem multò plura ſunt, quum interdum præter gracilis diviſionem, quatuor ex his, aut quinque utrinque adnotaverim.

*Anot. Corp. Hum. tract. IV. cap. XV.*

*Cartilaginū ſeſamoidum ſitus.*

*Ibidem.*

§. V. Non tamen noviſſimæ hæ ſunt Cartilagines, quas Anatomicorum induſtria poſſit in jis partibus detegere. Præter

ter enim minimas eas ſuperiùs locatas, quas deinceps Cartilagines ſeſamoidæas nominabimus: Binæ utrinque ſunt tenues ac molles, circà pinnarum angulum ſitæ tranſverſim inter ſe junctæ atque *Quadrangulari* comiſſæ ſic, ut tres hæ Cartilagines utrinque majoribus copulatæ velut earum appendices ſint; Et quaſi earumdem productione inferior pinnarum, ſeu narium orbis compleatur. Hæ præſertim poſtremæ, utpotè molles admodum, plurimoque ſunt, vel adipe, vel carne obvolutæ, ut alterutra de cauſa, vbi accuratiſſimè non diſquirantur, vel obtutum facilè fugiant, vel ultrò, quaſi membranulæ prætermittantur. Quæ quidem Cartilagines ſunt, jiſque inferior, ac poſterior alarum crepido terminatur. Quæ quum ità ſint, alia ratione computandæ ſunt illæ Cartilagines. Quoniam quum una ſit, utrinque ſepto aſſidens Triangularis cartilago, atque unà cum ſepto nihil præter unam Cartilaginem faciat, non par illud, ſed prima Cartilago, atque impar dicenda eſt. Primumque par, quando ulteriùs dividi non lubeat, Gracilis dicetur, quandoquidem ea indiviſa interdum occurrit. Secundum efficit inferior longiſſima, ac pinnarum maxima. Tertium Quadrata. Quartum verò, & Quintum inſequentes utrinque binæ, quæ acuto ferè extremo finiuntur. Quare ſeſamoidibus, quæ plures ſæpè ſunt, non ſupputatis, unà cum Cartilagineo diſſepimento naſi Cartilagines in univerſum minimùm undecim facimus.

*Binæ utrinque novæ Cartilagines.*

*Diverſa ratione Cartilagines ſunt numerandæ.*

*Undecim minimum ſunt naſi Cartilagines.*

§. VI. Profectò non me latet, quantus ſit, & celebriorum Anatomicorum de oſſium numero diſſenſus: At cum ea res non ſit infiniti laboris, dirimi iccircò aliquando eam poſſe puto. Ne tamen extrà id, quod nobis propoſitum eſt evagemur, de jis ſolummodo diſſerendum eſt, quæ ſive naſum compingunt, ſive ad eumdem quodammodò ſpectant. Ad hunc igitur in univerſum undecim oſſa pertinent, quorum alia priorem, alia poſticam, lateralem alia, & ſuperiorem partem compingunt. Bina igitur ſunt naſi propria, totidem Malæ maxima, unguis, & palati poſtica quoque gemina, triplex autem os frontis, ethmoides, & ſphenoides. At hiſce recenſitis non modo inter veteres, verùm inter nuperos Claros Anatomicos, Heiſterus fortaſſe ſciſcitabitur: Num oblitus fuerim, vel vomeris, ſeu naſi ſepti, vel inferioris potiſſimùm oſſis turbinati?

*Undecim oſſa ad naſum pertinent.*

Comp. Anat. num. 86. 88.

binati? Cui, etſi veterum plurimi, quos recenſere inutilis labor eſt, adſtipulantur, reſponſum tamen faciam: Me poſt diutinam diſquiſitionem in optimarum calvariarum ſtrue aſſerere non dubitare; Seu vomerem, ſeu ſeptum, unum idemque os eſſe cum Ethmoide, cujus laminas ſic luculenter productas, continuataſque cum Criſta Galli vidimus, ut nil luculentiùs inſpici, nil firmiùs decerni queat. Idque eo loci maximè obſervavimus, quà ad ejuſdem, ſuperioris ethmoidis proceſſus latera, præter crebra, & exigua foraminula, in ſingulis calvariis alterum utrinque longum foramen aſſidet, per quod commodè dura utrinque mater poteſt in naſi antra promitti. Ibi igitur facilè, ac præclarè vomeris cum Criſta Galli continuatio patet.

*Vomer unum os efficit cum ethmoide.*

§. VII. Quod attinet verò ad oſſa turbinata inferiora, de ſuperioribus mox dicemus, non per ſe oſſa ab reliquis diſſociata, quum de ſepto præſertim diſquirerem, ſic certò vidiſſe viſus ſum, ut nullus ſuperſit dubitandi locus. Hæc autem proceſſus ſunt non maximi oſſis malæ, quod quartum dicimus, verùm poſtici Palatum terminantis, cujus ambitus multò amplior eſt, quàm huc uſque fortaſſe creditum fuit. Hoc enim circà medium in ſuperiore Palati fornicis parte eam rimam, ſeu ſulcum efficit, cui vomer inſeritur: Exteriùs autem, poſteriùs ac inferiùs per triangularem quamdam productionem Pterygoidi committitur, tum tenui quidem, ſed lata lamina fuſum, narium cavitatis poſtico lateri ita circumfertur, ut non modò maximum malæ ſinum interiùs plurima ex parte obducat; Verum etiam ex eadem tenuata lamina turbinatum inferius os emmittat. Quod non in ſenibus dumtaxat, verùm & in tenerioribus ubi nulla vis aut vitium partes eas, aut fregerat, aut diſſociaverat, manifeſtò obſervavimus. Id quidem ſic tenui velut pedunculo ei laminæ annectitur, ut minima quaque vi tenue illud vinculum abrumpatur. Neque hic hujus oſſis finis eſt, nam circum poſtica Narium foramna tenui itidem lamina circumducitur, quò uſque ſupremam vomeris partem contingens, terminatur.

*Oſſa turbinata una proceſſus ſunt Oſſis poſtici palati.*

*Cujus productio deſcribitur.*

§. VIII. Superum autem os turbinatum, ſeu potiùs tuberoſum, quum oppidò circà imam crepidinem ſæpe turgeat, ethmoidis productionem eſſe, ſatis ſuperque cognitum cenſeo.

*Os turbinatum ſuperius ethmoidis productio eſt.*

In

*In quo ſinum pituitarii primi deteximus.*

In tumente autem, & tuberoſa ejuſdem parte Pituitarium ſinum includi ab nemine productum novi; Igitur primus tum in recentibus, tum in exiccatis calvariis deprehendi ſæpiùs, nam pro conſtanti, & perpetuo producere non auſim; quamquam tamen vel ætati, vel earum partium exiguitati, quòd is aliquando non reperiatur, poteſt jure tribui. Non enim multum ab re eſſe poteſt, & hunc quoque ſinum in povecta dumtaxat ætate perfici, quum qui in ſphenoide ſunt, non conſpici niſi in adultis, conſuecant. Prætereà quum in diverſis hominibus, diverſæ quoque ſint naſi magnitudines, & interiorem fortaſſe partium molem, exteriùs, ac prominenti reſpondere, non eſt alienum opinari. Quare ſi deeſt is aliquando, etiam referri earum exiguitati poteſt. Eum itaque ſinum deprehendimus molli, tenui membrana obductum, qualis in cæteris ſinibus conſpicitur, at nullum obſervavimus adhuc ejus ductum, ſeu emiſſarium, quod vel ob exiguitatem, vel ob membranarum mollitiem minùs ſub oculos cadit: Ejus tamen inveniendi alterius erit otii, & ſedulitatis opus.

*Oſſa turbinata minora.*

§. IX. Quamvis & de minoribus oſſiculis, quæ turbinatis poſſent accenſeri, quædam forent adiicienda; Quum tamen nec ea conſtantia numerò ſint, neque mole aut uſu valdè conſpicua, non eſſe in jis diutius imorandum cenſeo: Ea quippe nobis vel tria aliquandò utrinque conſpici ſolent, quorum conſpectus, ac productio minor ferè eſt in priore narium parte; Sed vel poſteriùs magis, vel circà intimiora. Ex his igitur primum ſeu inferius illud eſt, quod inter majus utrumque os turbinatum interjicitur, ac tranſverſo ferè ad ea ductu, ſeu rectiùs in poſteriora inclinato nectere velut illa videtur. Alterum verò, cujus quidem figura turbinata eſt, atque adeò aptum præ cæteris id nomen, ſic ſuperiùs locatum eſt, ut cæteris emineat, & medium locum obtinet inter priora, & poſteriora, ac ſecundo ex majoribus ſupernè nectitur. Cum ex his tertium adeſt, aliquando poſticæ hujus modò deſcripti parti jungitur, huic ſubiicitur aliquando, cui tamen ob ſuper inductam membranam ea moles adiicitur, quo inter turbinata recenſeatur, minimum alioquì mole eſt. Infrà hæc ſeu priora, ſeu poſteriora versùs ethmoidum ſinuum oſcula conſpiciuntur, quorum varia magnitudo, & numerus,

*Sinuum ethmoidis nec certus numerus, nec forma.*

prout jidem ſinus variant, quos nulla conſtanti umquam cellularum forma compoſitos obſervavimus, numero ultrà ſeptem utrinque aliquando vidimus. Locus verò & magnitudo non abſimili ratione ſe habent, niſi quod cæteris major, & longior jiſdem ſupereminеat. Hunc ſic inter frontis, & ethmoidis laminas conſtitutum reperimus, ut cui potiori jure tribuendus ille, ſit haud ſatis videam. Cujus ſi locum, quo potiſſimùm includitur ſpectemus, ad frontem quidem, ſin autem emiſſarium, quo ſecreta materia deducitur, ad ethmoides os pertinere videtur: Quum multùm diverſi ſint utrorumque hiatus. Frontales ſiquidem ſinus in priora inter utraque turbinata oſſa majora exonerantur; Ethmoidum autem jam locum alium modò deſignavimus.

§. X. Tota interior narium membrana de qua nobis poſtremò dicendum eſt, quamquam una ferè glandula videtur, adeò jis referta eſt, & cumulata, attamen pluribus in locis ſic eæ conſpicuæ apparent, ut non modò in recentibus membranis eas internoſcere facillimum ſit, verùm etiam in aliquot incidimus calvarias, in quibus velut exciſæ earumdem glandularum foveolæ, ſeu quædam veſtigia conſpicerentur. Quas cum luculentiſſimè demonſtrare volumus, purgatam priùs eam membranam, atque aliquantiſper maceratam cryſtallo imponimus, eoque lumini objecto commodè, atque præclarè, & numerum, & magnitudinem, & colorem dignoſcimus. Earum ſiquidem varia magnitudo eſt, nam oblongæ ferè ſunt, & ex jis aliquot ſinapis granum æquare vidimus, aliquot verò infrà, nonullas autem, & ſupra eam magnitudinem obſervavimus. Harum color ad ſubluteum pallidiuſculum ferè accedit: Diſcretæ ubique apparent, atque eo quidem in loco utrinque ſcilicet ad ſepti latera, de quo Diligentiſſimus Morganus, quà profectò ea plurimum membrana turget, & hæ facilè dignoſcuntur, cæterarum, & mole, & colore indicante. Quod autem ad foraminula ſpectat, hæc frequentiſſima quidem occurrunt, & nudo oculo dignoſcenda. Hæc nuſquam ferè non conſpiciuntur, ſic tamen, ut circa ſepti ima latera, oſſa turbinata ac narium potiſſimùm baſim quàm frequentiſſima occurrant. Quinimo in poſtica oſſium turbinatorum parte, ſummè ea conſpicua detegi ſolent. Quæ quum maximè

*Qua ratione membranæ naſi glandulæ ſint demonſtrandæ.*

*Glandulæ alterius generis in membrana naſi ſunt.*
Ad. Anat. 6. A. 88.

*Membranæ foraminula excretoria quà maximè occurrant.*

maximè in jis locis habeantur, unde plurima muci ſecretio haberi debet, non niſi glandularum oſcula cenſenda ea ſunt. At quum vel nulla ſubtus glandula deprehendatur, & alio quidem loco luculenter eæ obſerventur, vel ibi nullas glandulas eſſe dicendum, quod tantæ ſecretioni repugnat; Vel diverſum eas eſſe glandularum genus, quod quidem non adeò improbabile eſt; Demonſtrante præſertim luculentiſſimè oculo, ſublutea quadantenùs ea corpuſcula glandulas quidem videri, at tantæ impares ſecretioni. Ea verò foraminula nihil præter glandularum, quæ tamen non deteguntur, oſcula eſſe debere. Non eſt profectò mirandum, tantam ibi ſecretionem fieri, licet ſecretionis organa minùs appareant, quum in pituitariorum ſinuum membranis, è quibus muccus perpetim deſtillat, nulla non modò glandularum, ſed ne orificiorum quidem veſtigia detegi queant. Quorum omnium membranæ læviſſimæ omnino ſunt, quorumdam autem prætereà tenuiſſimę. Si cui tamen ſublutea ea corpuſcula quæ nos glandulas eſſe diximus, nerveas papillas credere libuerit, ubi is ad examen ea ſedulò revocaverit, nec loco, nec figurà, nec mole, nec poſitu iſtiusmodi corpora papillas eſſe comperiet.

*Subjis nulle glandula apparent.*

*In pituitariorum ſinuum membrana, nulla glandula nec oſcula apparent.*

§. XI. Porrò papillas nullas quidem, etſi ſedulò inquiſitas reperimus unquam; at quidpiam aliud animadvertimus in earumdem vicem comparatum, quod ad ſenſuum clariorem perceptionem perducere videtur. In hac igitur membrana, quam ſenſus potiſſimùm cauſa datam eſſe nemo inficiatur, villoſam nos productionem deteximus, illius ſanè facultatis organum, qua odores percipimus. Ejus igitur tenuiſſimos villos, & breviſſimos, ut quis clariùs deprehendere queat, Narium membranam, è quocumque interiore loco avulſam purgari priùs, ac macerari neceſſe eſt, tum aquæ inditam limpidiſſimæ, ita ut ſupernatet, varia inclinatione adverſo lumine intento inſpiciat oculo; ac facilè vel propè extremam oram eorum quidpiam villorum prominentium cognoſcet; vel in quavis alia parte quaſi muſcum quemdam fuſum deprehendet; atque hac una ratione, eos qui in humano ventriculo ſunt, certò villos deprehendimus. Omnis igitur interior narium membrana iſtiuſmodi eſt, eam præter, quæ circà imam interiorem extat Alarum oram: Cutis enim naturam præſefert. Quæ

*Villoſa interior membrana eſt.*

verò interior magis & ſuperior, quæque memoratis Pinnarum, ſeu Naſi Cartilaginibus ſubjicitur, extrema quidem mollior eſt, & intima multò firmior nullis villis, aut papillulis ſed frequentiſſimis, ac magis conſpicuis porulis donata, ob quos forſitan pleniores, nullus eo loci obſervari muccus conſuevit: ne eo perpetim ex ea parte deſtillante, quæ una via, eaque & pronior, & brevior eſt in Os, incommodè, & foedè homo afficeretur.

*Varia interioris membranæ ſubſtantia.*

§. XII. Eam itaque multò interiorem membranam, tum oſſeo ſepto, qua turbinatis ſingulis, cæteriſque oſſibus ſuper inductam, quamque nos villoſam vidimus; ſenſus potiſſimùm organum eſſe veritatem inquirentibus patebit; tum quod luculentiſſimos hujuſce rei teſtes & Cutis, & linguæ ſtructuram habemus; tum quod quocumque in loco ſenſum vividiorem natura inſtituere voluit, papillas, eaſque nudo oculo conſpicuas excitavit, quæ præ cæteris in glande penis, in vagina, in interioribus palpebris conſpiciuntur. Ex hoc autem non hos tantummodo ſenſus, ſic fabrefactos eſſe exiſtimo, verùm etiam duos reliquos non diſpari ſtructura conditos arbitror, quod non modò ex ſimplici naturæ operandi ratione colligo, ſed tum à multò majore facilitate, qua hujuſcemodi artificio objectorum actiones percipiuntur. Quod ſi ſagaci, prudentique conſilio in aliis rudioribus quidem conſultum fuit, multò maxima erat in hiſce neceſſitas, in quibus quum leviſſima ſit corporum vis, tantoque ſæpiùs intervallo disjuncta; opus erat tali ſtructura, quæ vel leviſſimo excitata motu obſequens fieret. Quamquam hujuſce rei non ſuppetunt Anatomicæ demonſtrationes: duo præſertim in Oculo ſunt animadvertenda, quæ dumtaxat utpotè veriſimilia argumenta propono: ultra enim, quò progrediar, non habeo. Primum ex ejuſdem Retinæ mollitie petitum eſt; quod etſi non uſque adeò præpotens eſt, ut planè evincat, ſi quis tamen rem ſedulò conſideraverit, validiùs fortaſſe multò, quàm quod videtur, reperiet. Re autem vera unde tanta in eadem Retina craſſities? quæ major proculdubio eſſe videtur, quàm quod ex ſimplici retiformi plexu ſummè tenujum fibrillarum emergere poſſit: quas verò ubi papillarum modo extantes, atque compoſitas concipiamus, nil ampliùs eſt, cur eam craſſitiem

*Villoſa membrana ſenſus organum.*

*Retinam papillarum in modum conditam eſſe conjicitur.*

dem-

*Cl. Mariotte experimentum circa viſus organum.*

demiremur. Alterum verò Celeber: Mariotte experimento innititur: quo chartulam albam in nigro fundo poſitam ad oculi altitudinem affixit „ ut in eam viſus acies dirigeretur; al„ teram duobus, aut circiter, pedibus à priori remotam ad „ dexteram collocari juſſit. Clauſo interim ſiniſtro oculo, „ & dextro ad priorem chartulam defixo, paulatim receden„ ti ad novem uſque pedes, tum poſterior Charta ſub obtu„ tum non venit, quaſi ſubducta fuiſſet, cum res circumje„ ctæ hinc inde viderentur: quod locus imaginis in baſi ner„ vi optici, ubi Choroides deficit, nullus eſſet, nulla adeò „ rei objectæ ſpecies „. Quo inquam experimento adversùs maximè Cl: Pecquet probare nitebatur, præcipuum Choroidem eſſe viſus organum. Nos autem non quod Retinæ id tribuendum ſit in præſentia contendimus, in quo quidem plerique omnes Anatomici conveniunt; verùm papillarum in modum fabricatam Retinam eſſe, ex eo ipſo experimento colligi. Nam quà nervus opticus Choroidem ſubit, fibraſque medullares circumjacit, nullam papillam habere poſſe in Axe videtur, utpotè qui iis erigendis firmandiſque locus non eſt, ut facilè & cutis, & linguæ corpus conſideranti patebit. Idcircò quum imago circuli chartacei in baſim nervi optici incidit, illamque integram tegit, illius imaginis nullus eſt ſenſus, nulla impreſſio.

*De Ductibus ab narium cavitatibus in palatum ducentibus.*

§. XIII. At fortaſsè nimiùm de ea re ab noſtro inſtituto aliena ſumus immorati; quamquam non omninò inutile fuerit ad ea divertiſſe: nunc autem rurſus ad Naſi tractationem regredimur. Ne verò contra, atque propoſitum eſt, iis inſiſtere videamur, quorum pleniorem notitiam cæteri protulere Anatomici, de iis foraminibus pertractabimus, per quæ inter narium cavitates & Palatum comunicationem intercedere primò quidem in bobus, & ovibus detexit, tum verò in homine, & canibus ſuſpicatus tantummodò eſt exercitatiſſimus Profector Nicolaus Stenonius. Eum autem dumtaxat ſuſpicatum diximus, quorum nec quot, nec quales ſint, neque demum quis ſit eorum terminus videtur eſſe apertè aſſequutus. Ne autem tanto viro videamur imponere, neque quod alienæ ſedulitatis opus fuit ad noſtram per injuriam gloriam traducere, juvat illius deſcriptionem proponere. „ A

„ na-

„ naribus itaque in Palatum, qui patet tranſitus brevis ad-
„ modum eſt, nec Canalis, ſed foraminis nomine deſſignan-
„ dus. Locum ſi quæris in extremo Naſo offendes, ubi ſupra
„ tertii maxillæ oſſis ſupercilium exurgens Cartilago allaben-
„ tem humorem, ne extrorſum profluat, remoratur. Hoc
„ intra repagulum in homine ad vomeris latera proximè in-
„ venies foramen rotundum, quod licet ſuperiori ambitu ſa-
„ tis ſit amplum, mox tamen arctatur adeò, ut ne ſetæ qui-
„ dem in Palatum tranſitum concedat. Quod ſi Palati cęlum
„ inſpexeris in homine quidem, ut & in Canibus ad anterio-
„ rum dentium radicem tuberculum emergere videbis, ad
„ cujus latera modò tantillùm preſſeris tunicam, gutta utrin-
„ que una proſiliens, oris cum naribus comercium manifeſta-
bit „. In qua quidem deſcriptione, ut cætera pręteream, quatuor ſunt animadvertenda: ac primum; non adeò brevem eum tranſitum eſſe, cujus incurva longitudo pollicem aliquando æquat. Alterum verò, quod ea quæ supernè patent, utrinque intra nares foramina, paulùm dein producta adduci, & contrahi, ut iis demùm imperviis, ſi quid illac ad Palatum tranſmittitur per interjectam membranam, tamquam per ſaccum trajici oporteret: quod quidem per Anatomen luculentiſſimè improbatur, quum utrinque per illa nos foraminula, quod contrà tertium ex propoſitis eſt, ſetam in Palatum commodiſſimè trajecerimus. Profectò non me latet, non ſic obvium eſſe, quod nos tum noſtris in ędibus; tum in frequentiſſimo Theatro demonſtravimus, in quocumque capite exiſtere, quod primùm occurrit. Id ſiquidem primùm in prægrandi capite invenimus, ità tamen ut in quolibet, alia quidem ratione, oſtendi facilè poſſit. Ut itaque promiſſis ſtarem, ita caput ſecundùm longitudinem ſerra diviſi (diviſio planè inter primores dentes, atque adeò inter quarti utrinque oſſis, ſic enim, quàm tertium vocare mallumus, comiſſuram incidet): quibus diductis, protinus utrinque, ubi ſectio probè facta fuerit, integri bini ductus apparent, quibus ſi leniter ſeta supernè promoveatur, facilè tum laxatis oſſium clauſtris, quorum anguſtia ſetæ tranſitus prohibebatur, trajicitur in palatum. Quos deindè ſi ſecundùm inceſſum, quem incurvum ſuprà poſuimus, diſcindi lubeat, non modò Canalis cavitas, ſed &

*Tranſitus non adeò brevis eſt.*

*Canalis eſt non foramen.*

*Per hos trajecta ſeta fuit.*

lævitas & color, & terminus apertè deprehenditur. Horum igitur terminus, idque quartum erat animadvertendum, duplex eſt: Alter utrinque porulus extat, qui quidem ſuperiore multò anguſtior eſt, attamen ſic evidens, ut non ſolùm ad poſteriorem primorum dentium faciem noſtris Alumnis oſtenderim, verùm ex iis fuerint, qui ſibi invicem per jocum ſetam per ea loca adigere tentaverint. Atque hi quidem ductus, ſeu canales ſunt, ut in principio, ita & in termino gemini, qui tamen duplici ſuperiùs oſſeo brevique canali incluſi dirimuntur; unico inferiùs dumtaxat contenti membranarum interjectu, nullo oſſe intercedente ad finem producuntur: per quos ex ſummis narium partibus, quod in eas velut convalles depluit, in palatum quidpiam ex eo deſtillare ab uno eorum poſitu intelligitur.

OB-

# OBSERVATIONES ANATOMICÆ

## CAPUT VI.

### *De Larynge.*

§. I. QUum ſinguli ferè, qui univerſim de re Anatomica egere, velut de præſtantiſſima corporis parte de vocis organis, & potiſſimùm de Larynge non perfunctoriè verba fecerint, quumque ex his aliquot ſolertiſſimi viri atque exercitatiſſimi, ſive ſingillatim tractatus ediderint, ſive præclariſſimas obſervationes adjecerint, tantumque organum nimiùm quantùm illuſtraverint, ita omnia peregiſſe videntur, ut nihil penè cæterorum induſtriæ reliquerint. Utcumque tamen id eſt, quodam ineundo ſedulitatis periculo, & nos illud organum ſcrutari conſtituimus; In cujus diſquiſitione, ſi vel exigua quædam, vel pauca numero proferam, aut majorum diligentiæ, aut partium tenuitati erit tribuendum. Ad illa autem, quæ habemus, ordine exponenda, dicemus primò de Cartilaginibus, tum de ligamentis, demum de muſculis. Ab Galeni igitur ævo uſque ad exercitatiſſimum Gabrielem Falloppium tribus Laryngem conſtare Cartilaginibus, excepta epyglottide Anatomici tradidere. Quum ſingularem eſſe cartilaginem Arytænoidem putaverint, quam duplicem eſſe Falloppius facilè detexit, ac demonſtravit. Eodem tempore duplicem eſſe Thyroidem, quæ quidem unica, ac ſimplex eſt, clarus alioquì Anatomicus Columbus arbitratus eſt, eique de more adſtipulatus eſt Archangelus Piccolhominus. Ætate noſtra geminas tantummodo eſſe Arytęnoides ab Anatomicis, & habitum fuit, & propoſitum. Nos verò licet diſpari nomine, & ſedulitate

Inſtit. Anat.

De re Anat. l. 1. c. 13.

Anat. Præl. l. 7. L. 4.

litate ac Falloppius, ex Arytęnoidibus ſingulas duplici conſtare cartilagine, & deteximus, & monſtravimus. Id ipſum autem dignoſcere cuicumque perfacile erit, ſi vel nulla ſcalpelli ope ſummo dumtaxat digito Arytænoidum apices, ſeu capitula, & ſuis in ſedibus locata contrectabit. Hæc enim nulla vi ſic quoquò verſum flexilia reperiet, ut ea protinùs non continua, ſed laxo vinculo copulata percipiet. Sin verò ad hujuſce rei confirmationem Anatomen, ſeu ſcalpelli opem adſciverit, id evidentiſſimè deprehendet, atque ſupremam Arytænoidis partem deteget ſcaleni trianguli curvilinei figura quadantenus ſimili, atque obtuſo Arytænoidis majoris vertici inſidentem, lato, validiuſculo ac laxo vinculo colligatam. Neque id tantummodò aut in infantibus, aut in pueris, verùm & in provectis ætate, & natu admodùm grandibus, ut nos conſtanter invenimus, reperiet. Hæc quæ nos impoſterùm Arytænoidum *Capitula* nominabimus, ſæpe laxiore, firmiore interdum nexu cum Arytænoide committuntur, ſic tamen, ut præclarè non continua, ſed ſuperaddita videantur; Atque tum non adeo facilè quoquoverſum trahi, & flecti poſſunt. Horum itaque baſis, quæ obtuſo Arytænoidis vertici committitur, lęvis eſt, & paulùm cava, ut ſummo gibboque vertici, cui jungitur, facilè, ac commodè aptetur. Porrò an circà harum partium oras ulla ſit mucoſa lacinia pro jis oblinendis, ut in reliquis aſſolet articulis, divinare potiùs, aut conjicere, quam aſſerere malim. Brevius horum capitulorum latus exteriora Laryngis ſpectat, longius verò interiùs, ac medium; Atque à binis longioribus horum capitulorum lateribus illud ſpatii relinquitur, quod ea intercedit capitula, ac pro varia Arytænoidum deductione, vel majus vel minus efficitur.

*Arytænoides duplici conſtat Cartilagine.*

*Arytænoidis capitulum novum deſcribitur.*

Tab. noſtr. 3. fig 3. lit. a.

*Summa inter Arytænoides rima ab capitulis fit.*

Tab 3. fig 1. lit. a. a.

§. II. Hæc eadem qua adjunctæ partes, circumjecta obducuntur membrana, ac ſi quid circa illam adnotandum occurrit illud profectò eſt, quòd per hanc ab ſummo capitulorum apice, alba, firma, teretia utrinque demittuntur ligamentis aſſimilia corpora, quæ infrà modò deſcriptam capitulorum intercapedinem firmiſſimè poſteriùs Arytænoidęo muſculo adhæreſcunt; Ac inferiùs deducta proximo Cricoidis dorſo, cui demum inſeruntur, eas partes connectunt. Atque per quamdam hujuſce tendinis ſpeciem Arytænoidi muſculo po-

*Arytænoidũ capitula ligamento fulciuntur.*

ſteriùs appliciti ei hallucinationi locum factum exiſtimo, cujus cauſa veteres plerique omnes Anatomici pro duplici illum muſculo habuere: Quem unum tantummodò eſſe poteſt Celeb: Morgagnum ac CoWperum cæteri cognovere. Nullam unquam ab hoc aliove muſculo fibram ad noſtra Arytænoidum capitula protendi, quamvis in optimè conſtitutis cadaveribus ſedulitate uſus, potui deprehendere. Quapropter ea vel cohærentium partium motibus obſequi, vel quod ſæpius contingere, & faciliùs puto, ubi potiſſimùm laxè copulentur, ad tremulum, è glottide erumpentis aeris alliſum diverſimodè cieri nullus dubito. Quæ quum, ut ſupra indicavimus, vel firmiùs vel laxiùs commiſſa interdum deprehendantur: Hinc præter innumeras alias pene cauſas incidere quoque puto, ſonorum, & vocum varietatem, quas aliquibus præ cæteris datum eſt mira facilitate, & ſuavitate modulari. Hæc tamen capitula faciliùs in poſteriora, quàm in priora velluntur, æquè verò in utrumque latus prona. Ob id fortaſſe ſummo illorum vertici teres illud innexum velut ligamentum cenſeo, per quod ſic providè natura conſuluit, ut ea non levi inſpirationis incommodo ab irruente aere in interiora non adigerentur, & per magna quandoque devorandi cibi volumina, ſuis è ſedibus diſtracta non divellerentur. Uni homini, quod hactenus novi, data ſunt Arytænoidum capitula, quum in nullis, quas ſecui animantibus, ut Bobus, Ovibus, Capris, Suibus, Canibus, & Felibus illa repererim; Utpotè quæ vel maximè ad ſonorum ſuavitatem, & modum, vel ad articulandas voces comparata videntur. Diverſa ſiquidem eſt brutorum Arytænoiduma figura, quum eas pleraque nec erectas, nec in acutum apicem productas habeant, quæque nec acuto vertice, & articulato, ſed retuſo ac in poſteriora reclinato poſitu plurima donentur; Ne per ſolidiorum ciborum illabentium attritum, aut eæ duriùs patiantur, aut frequens lacerationis, & divulſionis periculum ſubeant.

Adv. Anat. I. an. 28. Myot. ref. c. 15.

*Nulla muſcularis fibra ad hæc capitula pertingit.*

*Diſſecta à nobis Bruta carent capitulis.*

§. III. Cricoidis capitulum ab Arytænoidis ſinu excipi poſt Galeni ſedulitatem ab nonnullis veterum Anatomicorum propoſitum fuit, ab Solertiſſimoque Morgagno reſtitutum, & illuſtratum; Eumque articulum laxo, lubricoque vinculo firmari norunt in præſentia omnes. At præter id atque ea, quæ in

Adv. Anat. I. An. 15.

in priori Arytænoidum facie ſunt oppidò quidem, & jamdiù ſatis præcognita, nos duplici inſuper obſervavimus eas vinculo copulari, quorum alterum commune utrique latum eſt, & membraneum; Alterum ſingulis proprium, ac peculiare breve eſt, teretique figura donatum. Lato interiora adverſaque Arytænoidum latera laxè ſed validè tum invicem, tum cricoidis ſummo junguntur; Ne validiore utrinque poſitorum Crico-Arytænoidum, ſeu poſticorum, ſeu lateralium actione diducantur nimiùm, aut divellantur. Quod verò utrique ſingillatim datum eſt, teres ac breve, ſed firmum, tum firmitate, quà colore (is enim penè argenteus eſt) ab adjunctis partibus facilè dignoſcitur. Id ab ima ferè Arytænoidum interioris anguli parte prodit, ac paulùm inclinatum in poſteriora demittitur, & ſummæ, ac mediæ Cricoidis oræ acutum angulum cum compare efficiens, illigatur; Atque per id proſpicitur, ne validiùs nimiò in priora trahentibus Thyro-Arytænoidibus muſculis intrò nimiùm importunè, & incommodè adducantur.

*Bina nova Arytænoidum ligamenta deſcripta.*

§. IV. Triplex præterea circa Laryngem, ac præſertim Thyroidem exponendum ligamentum occurrit, cujus vel nulla ab Anatomicis habita, vel à nobis viſa mentio eſt. Duo ex his Thyroidem Cricoidi, tertium Thyroidem Hyoidi copulant. Primum igitur idque ſingulare, ac in priore parte conſtitutum illud eſt, quod ab cava graciliquè priore Cricoidis facie latum, ac prævalidum aſſurgens in imam mediam Thyroidis oram inſeritur, atque eo loci utraque Cartilago laxè quidem, ſed validè copulatur. Secundum verò utrinque unum laterale quadantenus, & poſticum eſt, atque ab extremo inferiori Thyroidis acuto exortum principio validum, & penè tendineum, ſub Crico-Arytænoidibus poſticis deliteſcens, in editam ejus ſinus partem diffuſum inſeritur, cui iidem poſtici muſculi inſident; Ac utramque cartilaginem adeò ſtrictim eo loci colligat, ut vel obſcurior vel ſegnior tantummodo motus ſub ea copulatione haberi poſſit. Hæc igitur, quæ bina ſunt remotis Crico-Arytænoidibus poſticis muſculis, priùs verò Sterno-hyoidibus diductis, perſpicuè in conſpectum ſe exhibent. Tertium porrò ſuperiùs, & latum, ſpecie quidem, & ſubſtantia membraneum, ſed munere, & firmitate diverſum ſupremam

*De triplici novo Thyroidis ligamento.*

*Primum imā Thyroidis partē ſummæ Cricoidis anteriùs copulat.*

Tab. 3. fig. 1. lit. I.

*Secundum geminum poſteriùs eas cartilagines nectit.*

*Tertium ſuperiùs fuſum membraneum Thyroidē hyoidi colligat.*

N 2

mam utramque Hyoidis, & Thyroidis oram utrinque ad cornua diffuſum interjacet, ac præter ea teretia vincula, cornuum extrema colligantia omnem harum partium ſuperiorem ambitum copulat. Per iſtud latum ligamentum non id dumtaxat commodè haberi exiſtimo, quòd ſingulæ partes proximis alligatæ, ea qua par eſt, firmitate muniantur, & communi quodammodò productoque vinculo facilior inter eas habeatur communio, & conſenſus. Id ampliùs beneficii ex eo eſſe colligendum opinor: Quòd is plurimus adeps in Thyroidis cavo ſupra Epiglottidis radicem appoſitus, ſive ad motus lubricitatem, ſive ad lenem, facilemque ejuſdem compreſſionem intra præfinitos fines cohibeatur, ne quoquoverſum difluat, & ſuis in ſedibus contineatur, & ne nimiùm tum vocis, tum reſpirationis incommodo ſuccreſcat. Hinc eſt fortaſſe in obeſis, in quibus crebra ut plurimùm reſpiratio fieri conſuevit, quòd accepta referri poſſet ratio, præter complures alias in id conſpirantes cauſas, qua nimiò redundante adipe arctata glottide ad eamque appreſſa, & adjecta epiglottide ob minus ſubeuntis aeris volumen frequens reſpirationis neceſſitas habeatur. Lati hujus ligamenti exterior facilis eſt conſpectus: Detractis ſiquidem ab Hyoide, & Thyroide muſculis Hyo-Thyroidibus, exterior omnis ejuſdem facies detegitur, à quo ſi temperata manu interiùs inhærens deducatur adeps, per lati validique vinculi ſpeciem ſuperior Thyroidis crepido ſuperiori itidem toti Hyoidis oræ colligata conſpicitur.

§. V. Ab his, quæ circà Laryngis cartilagines, & ligamenta comperimus ad ea tranſeundum eſt, quæ de ejuſdem muſculis proponenda occurrunt; quod ut accuratiùs, & nitidiùs effici queat, eos priùs qui ad unamquamque cartilaginem, pertinent, ſingulos muſculos ſingillatim expediam, tum cæteros reliquis inſervientes, ſive jam cognitos vulgatoſque, ſive à nobis nunc primùm detectos pertractabo. Quum vix novi quidpiam ſit Thyroidis muſculorum numero adjiciendum priùs, quæ circa eoſdem obſervanda occurrere, adnotabimus: Deinde ſi quid noſtrum erit proferetur. Tres igitur jamdiù cogniti Thyroidi cartilagini muſculi, ſeu muſculorum paria famulantur: Sterno ſcilicet Thyroides, Crico-Thyroides, & Hyo-Thyroides. De Sterno itaque Thyroide non id animadvertendum.

dum eſt, quod in Thyroidis baſim haud implantatur, prout à veteribus uno aut altero excepto, tradi conſuevit accuratiſſimè obſervante, & admonente Eruditiſſimo Morgano, ſed obliquam eorum inſertionem ad lateralia Thyroidis tubercula terminatam, eo pacto nobis obſervari conſueviſſe, quòd validior ejuſdem muſculi fibrarum lacertus, qui in interiore ſeu poſteriore ejuſdem muſculi latere eſt, ad editam ejus tuberis, atque adeò lateralem partem contendit; ex horumce muſculorum poſitu hoc colligi poſſe exiſtimo, quòd, quum ii ad Thyroidis latera potiſſimùm locentur, quà præ valido arctoque, eo præſertim loci per inferiora ejuſdem cornua cum Cricoide nexu, vel nulla vel minima fieri poteſt Thyroidis depreſſio, ut ſupra poſuimus, quin & copulatæ partes Cricoides nempè, & ſubiectus Tracheæ tubus deorſum pariter deducantur. Ob hanc propterea rationem non Thyroidem dumtaxat, verùm univerſam Laryngem deorſum par iſtud muſculorum vellere debet. Quod tametſi circa latera aſperæ arteriæ protendatur, non ab Sterni tamen latere, verùm ab ejuſdem media interioreque facie decuſſatis interdum principiis proficiſcitur ultra latum digitum infrà Sterno-hyoides, multòque latiùs, quam propè terminum carneo-tendineum exoritur; diductiſque ab ſocio fibris, quæ circà principium copulabantur, poſt tres ferè latos digitos è pectoris cavo emergens, obliqua ſæpè nervea inſcriptione donatus ſenſim ad latera vergit, atque illac ad deſcriptum terminum properat. Si quid in homine adulto vel humoris adhuc in Thymo ſupereſſet, vel quò tandem ille contenderet, ex Anatome conſtaret, nam de iis vehementer dubito, quæ ab diligentiſſimo alioquì Proſectore proponuntur, pro quodam vocis commodo, ab horum muſculorum extremis Thymum comprimi poſſe fortaſsè opinarer.

*De Sterno-Thyroidis muſculi inſertione.*

*De Thyroidis motu & depreſſione.*

*De Sterno-Thyroidis ortu & progreſſu.*

§. VI. Quod autem unus dumtaxat non ſit Thyroidis motus, iſque pariter cum adjunctis partibus, & ab ejuſdem Cartilaginis poſitu, & à Crico-Thyroidis muſculi exortu, & inſertione ſedulò perpendenti intelligere licet. Enim verò, ſi quis adjacentibus Thyroidem muſculis nudatam ſuo in poſitu, ſuiſque vinculis colligatam ſpectaverit, velut quemdam dimidiatum orbem, imis proceſſibus Cricoidi connexis, tamquam gemino cardine innixum deprehendet; cujus præ Cricoide eo

*Non unus eſt Thyroidis motus.*

eſt

eſt facilior motus, quo major eſt, & propendens Thyroidis moles, cujus gravitatis centrum extra cardines in priora tendit, extrà ſcilicet poſteriorem Cricoidi adhæſionem. Quamvis poſtica Cricoidis pars latior, & gravior priore ejuſdem ſit; attamen quum prior, quæ gracilior eſt, præ validiore Tracheæ nexu, contrà æquo ferè nitatur momento; Hinc perſpicuum eſt, non Cricoidem, ſed Thyroidem faciliùs motum edere pro re nata poſſe. Quapropter muſculi, qui utrique Cartilagini inſeruntur, rectiùs puto, Crico-Thyroides cum cæteris Anatomicis, quam Thyro-Cricoides cum Caſſerio nominandi videntur. Quibus prȩhabitis, ut luculenter Thyroidem Cricoide mobiliorem eſſe percipitur, ita & ejuſdem motum non univerſæ Thyroidis ad inferiora, ſed prioris tantummodò ejuſdem partis inclinationem futuram fore, ea penè ratione, qua coſtæ utroque extremo, & vertebris, & ſterno immobiliter ferè illigatæ media incurvaque dumtaxat parte, ſurſum deorſumque actæ moventur potiſſimùm, & revolvuntur. Hac fortaſsè de cauſa conſtitutum exiſtimo, quòd ſterno-Thyroides, & circà Thyroidis latera implantentur, & validior eorum lacertus interiùs, ſeu poſteriora versùs inſeratur, ut rectà ſcilicet ſecundùm proceſſuum directionem, & Cricoidi adhæſionem deorſum trahant, ne ſecus locati & inſerti in priora potiùs Thyroidem inclinarent, quam univerſam Laryngem deorſum vellerent. Quem inclinationis motum juxtà ea quæ propoſuimus, ab Crico-Thyroide fieri conſequitur. Quem quidem Muſculum quamquam cum Caſſerio adverſus Veſalium, & illius ævi nonnullos Anatomicos in duplicem utrinque partiri non audeò, quamquam tamen diviſionis notam cum Veslingio occurrere animadverti, quæ eò evidentior ſit quò illa interjicitur diversò tendentes fibrarum lacertos, quod conſtanter deprehendi ſolet. Mediæ ſiquidem ſeu in priore regione conſtitutæ rectà ferè ſurſum protenduntur, ac inferiori Thyroidis oræ ita applicantur, ut per earumdem contractionem Thyroidem inclinari neceſſe habeat: quum ex iis autem, quæ circà latera ſunt, aliæ magis inclinatæ; aliæ penè horizontales ſint; quæ imæ inferiorum proceſſuum parti extrinſecus inſeruntur, Thyroidis quadantenus explicationi, ſeu dilatationi, ubi ea fieri poſſit, opitulari videntur;

*Thyroides mobilior eſt Cricoide.*

Lib. 1. de voc. Org. c. 5.

*Thyroidis motus ſeorſim inclinationis eſt ut Coſtarum.*

Ibidem.

De Human. Corp. Fab. l. 2. c. 21.

Synt. Anat. cap 11.

*De Crico-Thyroidis fibrarũ inceſſu diremptu & inſertione.*

Niſi

Niſi potiùs rationabile magis ſit per illam fibrarum vim, & renixum effici, ne, dum prior pars deducta inclinatur, inferiorum Thyroidis Proceſſuum extrema diſtracta in poſteriora vergant. Quamquam nulla habita Thyroidis ſoliditatis in adultis præſertim, ac multò magis in ſenibus ratione Cl: Drakius ab Crico-Thyroide muſculo explicari, ſeu dilatari Thyroidem aſſerere non dubitavit: quod quantùm à ratione alienum ſit, cum ab ejuſdem Thyroidis ſoliditate, tum à multò plurium ejuſdem muſculi fibrarum inſertione luculenter evincitur, quarum plurimæ quum interiorem Thyroidis faciem præſertim ad latera, ſeu interiores proceſſus ſeſe inſerant, vel quàm maximè Thyroidis explicationi reſiſtere videntur: Imò, ubi id fieri poſſet, ejuſdem contractioni potiùs faverent; Si cui fortè non plus arrideret, tantulo huic muſculo duplex concredere munus, quorum altero exteriorum nempe fibrarum Thyroïdes explicaretur, ſeu diduceretur; altero verò interiorum nempè eadem foret contrahenda, præter tertium, de quo ſupra monuimus, quo videlicet, ac potiſſimùm pars ea inclinatur.

Antropol. Nov. l. 2. c. 6.

Tab. noſtr. 3. fig. 1. lit. E

§. VII. In tertium Thyoridis muſculorum par Hyo-Thyroides id unum mihi animadvertendum eſt, quòd non tantummodò ab illius contractione cum Thyroide colligatæ partes ad ſuperiora trahantur, quod acutis vocibus conferre experimur; verùm eademmet intentione mediam epiglottidis partem in poſteriora urgeri ex earumdem partium poſitu conjicere licet; quum Hyo-Thyroides non modò exteriùs ab Hyoidis ora prodeat, verùm quandoque plurima ſui parte ex interiore ejuſdem oſſis cavo proficiſcatur. Igitur dum contractus turget, non poteſt quin accumbens epiglottidis dorſum ad poſteriora compellat, atque ſimul ob appreſſum epiglottidis corpus glottidis rimula arctetur, unde maximè ſoni acuti.

*De Hyo-Thyroide.*

§. VIII. Levia quidem ea ſunt neque conſtantia, quæ de noſtro adjicienda ſunt, atque aliquando circa Thyroidem comperimus. Conſtans tamen illud eſt, quod ab edita Sterno-Thyroidis parte modò quidem major, modò minor pro varia cadaverum conſtitutione earumdem fibrarum faſciculus decedit, qui Thyro-pharyngæo muſculo ſic implantatur, continuaturque; ut cujus primùm ſoboles ſit, cuique muneri compara-

paratus, non ſit proclive decernere. Perrarò admodùm obſervavimus è proximo Cricoidis latere luculenter, atque ab reliquis diſcretum fibrarum faſciculum in priora proferri, ac tranſverſim validèque in lateralem Thyroidis oram ſe inſertum ire, qui profectò videbatur nulli alteri muneri comparatus, niſi ut vel eæ partes ſuis in ſedibus firmiùs continerentur, vel ut Thyroidis latera adducerentur. Is autem lacertus, de quo ſum verba facturus etſi, nec perpetuò, nec ſæpiùs mihi obſervandus occurrit: toties tamen illum obſervaſſe recordor, ut illius deſcriptionem, atque Iconem dandum eſſe putaverim. Ex interiore itaque Thyroidis facie paulò infra ſuperiorem mediam ejuſdem oram obliquè productum utrinque lacertum vidimus, cujus inferior pars ſuprà Crico-Thyroidis inſertionis terminum interiori ejuſdem Thyroidis faciei circa latus infigebatur. Utraque hujuſce lacerti extrema acuta erant, & tendinea, Medium autem carneum ac tumens nec ulli alteri parti, quàm eidem Thyroidi inſerebatur, cujus contractione vel Thyroidem curvari dicendum eſſet, vel ſi cui uſui ille comparatus eſt, quando nullam Thyroidis flexionem fieri, contingat, ad Ventriculorum Laryngis compreſſionem, quandoquidem iis exteriùs apponitur, illum fortaſsè accommodatum cenſemus. Sed hos, ut ſuperiorem lacertum, cum ſunt, non neceſſitatis ſed commodo datos eſſe arbitramur.

Tab. 3. fig. 1. lit. h. fig. 2. lit. M

*De Tereti muſculo interiùs Thyroidi utroque extremo inſerto.*

§. IX. Muſculos huc uſque ad Thyroidem pertinentes obſervavimus, mox eos qui Arytęnoidum ſunt, ſubjiciemus: quos ea ratione, qua ſupra uſi ſumus, priùs diligentiùs expendemus, tum quos noſtra detexit induſtria, adjiciemus. At quum vix ii proponi queant, quin & noſtra protinùs proferantur, neque circa eas plurima habeamus animadvertenda, continuò ad noſtras obſervationes properabimus. Quatuor in hanc uſque diem innotuere muſculorum paria, quæ Arytænoidibus inſerviunt Thyro ſcilicet Arytænoides. Crico-Arytænoides poſticum alterum, tertium laterale, quartum demum, ſi tamen par dici meretur, ſive Arytænoidæum cum nonnullis, ſive Ary Arytænoides cum Præcl: Morgagno. De utroque Crico-Arytænoide nulla ſuppetunt dicenda; de duobus autem reliquis nonnulla ſunt animadvertenda, & primò de Thyro-Ary-Arytęnoide. Unum igitur ab cava, mediaque Thyroidis facie in

*De muſculis Arytænoidibus datis.*

in Arytænoides inſertum muſculorum par Thyro-Arytænoides dictum emergere Anatomicorum obſervationes conſentiunt; Quod verò an unum dicendum ſit, malo, quam meum interponere, alienum ſacere judicium. Nam magis conducere cenſeo, ut quid per repetitas diſſectiones in optimè conſtitutis cadaveribus obſervaverim, & quid juxta Anatomiæ leges, ſeu communia Anatomicorum placita decerni poſſit, proponam. In triplicem Thyro-Arytænoidem partiri muſculum poſſe in idoneis potiſſimùm ſubjectis mihi ſæpiſſimè contigit animadvertere. Ut igitur ab ima ejuſdem parte exordiar, non eam omnem ab ima tantum Thyroidis ora ſæpè prodeuntem obſervavimus, verùm & à priore ligamento eamdem cum Cricoide nectente, de quo ſupra §. IV. ſermonem habuimus. Hujus inferioris portionis fibræ, quum horizontali ferè inceſſu, ſeu leviter aſſurgente, in brevius Arytænoidum crus, ſeu in baſim inſerantur, ſic ex poſitu agere debent, ut, quum neceſſariò baſis in priora trahatur (id enim paulò infra articulationem locatum eſt) vertices, ſeu capitula ad poſteriora aliquantò converti neceſſe habeant. Media verò hujuſce Thyro-Arytęnoidis pars non ſolum ratione exortus, & inſertionis ab utrinque poſitis, ſeu lateralibus diſterminatur; verùm & fibrarum ductu, & munere ab iiſdem diverſa eſſe videtur. Harum ſiquidem fibrarum examen quanta potui ſedulitate ſæpiùs repetenti, atque iis, qui mecum aderant oſtendenti, illas in diverſa tendentes obſervaſſe viſus ſum. Has autem non in baſim implantari, cuicumque ex Anatome conſtare duco, ſed exteriùs in tuberculum, ſeu convexam crurum Arytænoidis faciem ſupra baſim, hoc eſt ſupra Crico-Arytænoidis lateralis inſertionem; hujuſce verò fibras non rectà in deſcriptum Arytænoidis locum inſeri; Sed obliquè erectas, leniterque ad termini viciniam curvatas deſinere, facilè quiſque comperiet, ſi apta reſpondeant ſedulitati cadavera; Ex aptis cadaveribus namque nos noſtras obſervationes habemus, & Icones exhiberi curavimus. Ubi verò alter hic muſculus, ſeu media Thyro-Arytænoidis pars contrahitur, quoniam cæteris ſuperior ejuſdem inſertio eſt, ſuperiorem Arytænoidis partem in priora deorſum ferri, atque adeò editam Laryngis partem arctari cenſeo, quum ima ejuſdem pars ſeu glottidis rimula produci quadantenus neceſſe

*De diſcreto fibrarum Thyro-Arytænoidis inceſſu.*

Tab. 3. fig. 2. lit. K

Tab. & fig. ead. lit. L

Ibid. lit. I

*Ab altera horum actione ſoni diverſitas.*

Tab.3. fig.1. lit.g. fig.2. l o.

*Superi Thyro-Arytænoidis deſcriptio, & uſus.*

habeat; Atque juxta ea, quæ nos cenſemus, oppoſitis planè officiis duas haſce muſculi portiones edendæ ſonorum diverſitati famulantur. Quiſquis autem harumce partium imaginem noſtris ex tabulis ſpectabit, hæc ſciat volo iterum, deſumptos Icones ab partibus cadaverum optimè conſtitutorum: quos ſi ipſe conferet cum Anatome morboſorum, confectorumque longa ægritudine hominum non ita facilè conſentire animadvertet: verùm hoc in cauſa erit. Nos numquam niſi ex improviſo, & bene valentium ante defunctorum partibus uſi ſumus: quod ſi quis aliter in his partibus verſabitur, fruſtrabitur opere ſuo. Cæterùm in his, ſi non perpetuò eas partes comperimus, ſæpè tamen, quales in tabula exhibentur. Superior verò Thyro-Arytænoidis portio, velut ſæpiùs occurrit, ex eadem Thyroidis interiore facie emergit; non, quà bina ejuſdem latera coeuntia angulum efficiunt, ſed propè ſuperiorem oram quà curvari incipit, & leniter inclinata adverſæ occurrit, & ſuperiorem paulùm prominulam interjectam efficit cavitatem. Inde deductus non in unum faſciculum collectis fibris, ad eamdem Arytænoidis tuberis partem contendit; ſed in binos lacertos diremptus, atque ab eo fibrarum faſce diſcretus, qui ab ima prodit Thyroide ſurſumque mediùs profertur, de quo ſumus infra verba facturi. Non tamen eam inficias, & paulò aliquando inferiùs hunc natum, nec multùm à medio diſſeretum non ſecus in Arytænoidem ſeſe inſertum contendere poſſe. Ubi autem ſuperior hæc Thyro-Arytænoidis pars, ſeu potiùs Thyro-Arytænoides ſuperior intenditur, & agit ex ęquo, ferè Arytænoidum, & baſim, & verticem in priora duci, & quadantenus in ſuperiora, ex Anatome conſtat, contra atque in alterutra, quam ſupra expoſuimus, Thyro-Arytænoidis parte contingere poſſe credidimus. Quum igitur per imam hujuſce muſculi partem, ſeu mavis per inferiorem Thyro-Arytænoidem abductis verticibus adducatur baſis; per medium diducta baſi vertices introferantur; per ſuperiorem, cujus media inſertio eſt, utrumque extremum leviùs adduci ex dictis conſtare arbitror. Sic tamen ſingula hæc fieri puto, ut facilè cenſeam in acutioribus maximè ſonis, omnes ſimul in motum adigi poſſe, quo & contractior Laryngis tubus, & longior fieri queat; quod tum contingere credibile eſt, cum

produ-

producto maximè Larynge ſummè acutas Muſici voces facere nituntur.

§. X. Quæ ſuperſunt de Muſculis Arytænoidis, neque ex integro, neque luculenter proponi poſſunt, quin priùs, quæ ad Epiglottidem pertinent, fuero exequtus. Quinta huc uſque habita fuit, ac ſumma Laryngis cartilago Epiglottis: poſt hac verò ob duo detecta adjectaque Arytænoidum Capitula ſeptima recenſebitur. Hanc crebris pertuſam foraminibus, atque unı̃ utrinque aſſidenti glandulæ, geminoque laterali ſuperiùs firmatam vinculo in primis olim Adverſariis Amiciſſimus docuerat Morgagnus. Hujus verò imam, & acutiorem partem, ſive proprio ligamento, ut ſanè videtur, ſive obducentium membranarum nexu ſupra glottidem firmari docemur Anatome. Quum verò nobis deinceps de Epiglottidis motu, & munere nonnulla dicenda ſint, pauca priùs de ejuſdem figura & poſitu neceſſariò eſſe explananda cenſemus; quandoquidem de hac re aut qui ſingillatim tractatus ediderunt, aut qui ſunt in univerſum Anatomen proſequuti, ut ego noverim, non quantum ad rem noſtram, diſertè licet alioquì, & laudabiliter, par eſſe poteſt, diſſeruere. Epiglottis igitur etſi ederæ folio à veteribus potiſſimùm ſimilis habita fuit, longè abſimilem eam eſſe, quiſque facta collatione intelliget. Hujus etenim ima pars acuto mucrone aſſurgens, acuta productaque convexitate interiùs prominet, qua dein ſenſim paulatimque lateſcente circà mediam interioremque partem in concavam capacitatem explicatur, quæ circà ſuperiora reflexis exteriùs undequaque oris, tandem extrema reducta, & leniter circà medium cava revoluta crepido in ſuperiora fertur. Inferior hujuſce pars latum ferè digitum ſupra glottidem, atque adeò paulò ſupra Laryngis Ventriculorum priora extrema interiori Thyroidis angulo innectitur, inde ſenſim producta paulùm in poſteriora inclinatur, atque acuta ea, ac prominente interiore parte, quæ velut in oblongam aciem componitur, ita glottidi imminet, ut pro diverſo hujuſce applicationis modo, diverſimode ſpiritus è glottidis arcto erumpens diremptus, in cauſa potiſſimùm eſt, cur ex eo primùm ſonorum diverſitas habeatur. Superior verò media ejuſdem epiglottidis latior, & cava pars in poſteriora ulteriùs inclinatur, atque circum

*De Epiglottide ſeptimo loco numeranda.*

*Ejus figura poſitus, & nexus.*

Tab. 3. fig. 1. cc

O 2 latera-

laterales oras laxè eo loci illigatur per membranea quædam producta vincula, quæ ſupra Arytænoidum glandulas, quas in Anatomen invexit ſolertiſſimus Morgagnus, perque noſtra earumdem Arytænoidum capitula obliquè inferiùs deducuntur. Per hæc ſiquidem aut alterius machinulæ opem diverſimodè inclinata, & adducta, diverſa quoque ratione aerem apta cavitate cogit, qui per imbricatam evadens ſummam ejuſdem oram, tot tantaque ſubire cogitur, quanta ſenſim procedens à circumſitis Laryngi partibus, à Pharyngis ſcilicet pariete, & fornice, ab anfractuoſis narium antris, ab tereti, fuſaque Columellæ parte, Linguæ convexo, crenato Palati cavo, Dentibus tandem, Buccis, & Labris perpeti poteſt. Media ferè ea Epiglottidis pars, quæ ſupra linguæ baſim protenditur, triplici, diſparis tamen firmitatis vinculo, copulatur, ita circa eam adhæſionem gibba eſt, ut priùsquam ab ſumma ora finiatur, cava rurſus efficitur, quò potiſſimùm præcavetur, ne aut fortè illabente, aut dedita opera illuc devoluta, ſeu ſomni tempore, ſeu vigiliarum, minori ea humoris copia, quàm quæ vel muſculorum contractionem excitare poſſit, vel pondere epiglottidem deprimere valeat, in patulum Laryngem interfluens inferatur. Per ea ſiquidem inclinata latera facilè diffundi poteſt, & ſecundùm lateralia Epiglottidis ligamenta, de quibus modò verba fecimus, quæ utrinque aggeris in modum Laryngem tutantur, nullo animalis incommodo, quocumque poſitu conſiſtat, in Pharyngem defluit.

*Adv. Anat. 1. An. 2.*

*In quot partes aer emergens allidat.*

*Summa ora Epiglottidis commodè ad deglutionem facta.*

§. XI. Epiglottidem diverſimodè cieri, interdum ſcilicet deprimi, interdum attolli, ſive Laryngis, & hyoidis nexu, ſive linguæ, & vinculorum motibus, ſive ejuſdemmet cartilaginis elatere, aut erumpentis aeris impetu neminem dubitare puto. At plurimos Epiglottidis motus muſculorum præſtari miniſterio, quos huic dumtaxat muneri ſummus Opifex comparavit, aſſerentibus aliis, pluribus negantibus, diù inter Anatomicos certatum eſt. Hos inter cum primis Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, mox Julius Caſſerius Placentinus Clariſſimi ambo Anatomici, hujus ille Dominus & Præceptor diſceptavere. Fabricius igitur quum princeps vocis organa ſedulò tractaſſet, atque ſingillatim tum Hominum, tum

*Nam epiglottis muſculis moveatur.*

tum Brutorum huic muneri addictas partes benè, ac naviter conſecuiſſet, & eas compluribus exhibuiſſet iconibus in Brutorum anatome eorum comperit Epiglottides utrinque conſpicuis muſculis ſic inſtructas, ut neque humanas iis deſtitutas eſſe fuerit arbitratus; Præſertim quum obſcura quædam, ut is ait, membranoſa veſtigia ſit vidiſſe viſus, ab anatome comparata rationabili deſumpta inductione, non eos ſuſpicari modò, ſed reapſe in noſtram Anatomen traducere non dubitavit. Quum verò eamdem ſpartam excoluerit Caſſerius; ſive ut, ita harum partium, ut & cæterarum quas tùm promiſerat, eſſet in lucem daturus „ imagines omnibus perfectas nu„ meris, & abſolutas, quæque fortaſsè cæteras omnes quot„ quot hactenùs prodiere, elegantia, perſpicuitate, artificio „ denique, ac ſtudio ſuperent univerſas „; Sive, quod ab homine probo alienum duco, & ſine plagii, aut ingrati animi vitio in Dominum, & Præceptorem patrare haud licuit; Sive ut, vel tùm temporis editi, vel inſtantis operis gloriam „ quadraginta annorum laboribus, & vigiliis partam ante„ verteret „; Quorum, quum publicè Anatomen profiteretur, Auditoribus, atque adeo Diſcipulis, & Caſſerio copiam eum feciſſe cenſendum eſt. Huic itaque planè, etſi diſertè non nominato Caſſerius adverſatur, qui tametſi famulantes Epiglottidi muſculos „ egregiè in quibuſdam Anima„ libus, ut puta, Bobus, Suibus, & Quadrupedibus om„ nibus „ conſpicuos ultrò fateatur; Eos tamen in Homine „ omni etiam diligentia in ſectione adhibita „ reperiri conſtanter negat. Hujus ego Hominis, ut & cæterorum ſimilium Anatomicorum Clariſſimo nomini, & memoriæ magnum quidem habendum honorem ſentio; Ita tamen ut, non diſſentiendi, aut diſceptandi libidine, ſed uno veritatis ſtudio, quid frequentiſſimis conſectionibus, iiſque plurima ſedulitate inſtitutis, repererim, in lucem proferam. Non vacat impræſentiarum, neque noſtri inſtituti eſt diſquirere: cur hiſce muſculis eſſet fraudandus Homo: Quum longè conſpicuos Quadrupedibus maximè Natura donaverit, quibus diuerſus eſt, utpote pronus corporis poſitus, ac nulla eſt tàm variarum edendarum vocum aut utilitas, aut neceſſitas. Hæ quippe diſceptationes iis ſunt omnino relinquendæ, qui non re, ſed verbis, dirimere quæſtiones conantur.

De Laryng. voc. org. de epig. part. 1. cap. 3. part. 3. cap. 3.

*De Voc. aud. org. Hiſt. Anat. ad Lect.*

*Epiſt. nuncup. ad Leon. Donat.*

*Muſculi Epiglottidis conſpicui in Brutis.*

§. XII.

§. XII. Binos igitur muſculos, in dextra, ſiniſtraque, alterum ab lateribus ſursùm evehi ad Epiglottidem comperimus; Hi detectu faciles ſunt, quippe qui, ab decuſſatis ponè Arytęnoides fibris compinguntur. Muſculus, qui Arytænoidum latera copulat, Ary-Arytænoides nominatus, cujus accuratum Iconem Euſtachius propoſuit, duplici conſtare fibrarum ordine, in hanc uſque diem creditus fuit; Quarum interiores plures, validioreſque ab exteriore Arythænoidis angulo univerſæ proficiſcuntur, ac tranſverſim ad comparis Arytænoidis adverſum angulum protenduntur; harum ope adduci Arytænoides, atque adeò arctari glottidem conſpicuum eſt: Ex his autem, nullas ad noſtra Arytænoidum capitula proferri, ſupra memoravimus. Illarum verò fibrarum, quæ exteriùs, ſeu poſteriùs huic muſculo decuſſatæ aſſident, nullam ab Cricoide profectam reperi; Sed eæ omnes poſteriùs ab Arytænoidis baſi exortæ ad decuſſim cum ſociis in oppoſitum latus ſursùm provectæ, nulla in Arythænoides inſerta fibra, Thyroidis interiora ſubeunt, ad ſuos quæque terminos proſequuturæ; Pars etenim quandòque major detorquetur, & Thyro-Arythænoidum fibris immiſceri videtur; Interdùm extantes, & ab reliquis diſcretæ in inferiora Thyroidis deducuntur ſic, ut ab interiore Thyroidis angulo natæ, ultra medium Arytænoidis protenſę, in alterius baſim, ſeu propter ejuſdem articulationem inſeri luculenter comperiantur. Atque hic ex iis muſculis eſt, qui nobis ſupra erant proferendi, utpote ad Arytenoides pertinentes; Quos hùc explicandos ideo remiſimus, ut ne eadem bis forent, neque adeo luculenter declaranda. Et horum muſculorum contractione non adduci modò Arytænoides conſtat, verùm ſic eas ad interiora apprimi, ut ab reliquis muſculis hiſce datis, id effici minimè poſſit; Obliqua etenim earum preſſio eſt, quam nullus muſculorum præſtat: Atque adeò ſive à poſitu, ſive ab officio hoc muſculorum par Thyro-Arytænoides Obliquum nuncupabitur.

Tab. 4ª. fig. 1. 2.

Tab. 3. fig. 1. lit. ee.

Ibidem lit. d.

Ibidem lit. L.

*Muſculi Thyro-Arytęnoides obliqui.*

§. XIII. Altera verò, ſuperior ſcilicet deſcripti hujuſce lacerti pars, circa exterius Arythænoidis latus ſuperiùs producta, in laterale inferius Epiglottidis ligamentum, tenuatis fibris inſeritur. Tametſi is fibrarum faſciculus, quarum extrema, & gracilia ſunt in Epiglottidis ligamentum conjecta,

eidem

eidem potiſſimùm deprimendæ inſerviat; Nihilominus tamen, & Arytænoidibus eumdem opitulari poſſe non dubito; Utpote qui, Arytænoides amplexus, ubi in contractionem venit, non poteſt, quin & Epiglottidem deprimat, & memoratam Arytænoidem adducat; Quare in commune geminæ inſerviet parti. Quum is tamen potiſſimùm pro Epiglottide comparatus videatur, habitâ & exortus, & termini ratione, nos in poſterum Ary-Epiglottidæum nominabimus. Hunc perpetuò reperiri muſculum, decuſſatas ſcilicet ponè Arytænoides fibras, cùm veterum, tùm recentiorum monumenta teſtantur; Ex iis autem priùs diremptis, mox alteram demitti, attolli alteram, atque in Epiglottidis viciniam ferri, ſepiſſimè repetitis diſſectionibus, in optimè conſtitutis, iiſque vaſtis cadaveribus ( aliquandò tamen, & in ſequioris ſexus gracilioribus ) & certò comperimus ipſi, & iis, qui tùm aderant, apertiſſimè commonſtravimus. Quod autem hùc uſque ab nemine eæ viſæ fuerint, neque ab iis, qui decuſſatas luculenter inſpexerunt, eas minimè improbare videtur, tùm quia non omnia poſſumus omnes, tùm maximè, quia illæ ad Arytænoidum latera ſic tenuari conſueſcunt, ut niſi quis, vel attentiſſimè contempletur, vel in lacertoſa cadavera incidat, vix earum queat veſtigium internoſcere; Ubi autem in optimis cadaveribus ſedulò diſquirantur, quin eas ſit quiſque reperturus, non dubito.

*Epiglottidi deprimendæ, & adducendis Arytænoidibus.*

*Muſculi novi Ary-Epiglottidæi.*

*§.* XIV. Id ipſum dicendum eſt de novo altero muſculorum pari, quod à media interiore Thyroidis facie lato carneo prodit principio, & inter Thyro-Arytænoidis ſuperioris lacertos conjectus ſursùm provehitur, & in idem Epiglottidis ligamentum inſeritur. Hujus fibræ prope terminum gracileſcentes, & in tendineam penè naturam mutatæ, ad acutum angulum cum Ary-Epiglottidis extremo coeunt; Quæ ſive unà cum modò deſcripto, ſive ſeorsùm agant, Epiglottidem inclinari neceſſe eſt. Sicut memoratam hujuſce muſculi actionem, quem Thyro-Epiglottidæi majoris nomine vocandum cenſeo, potiſſimùm Epiglottidis depreſſioni datam eſſe exiſtimo; Ita tamen, & eadem contractione Laryngis Ventriculorum cavitates coarctari, & ex iis fortaſſe quidquam exprimi poſſe opinor: quod maximè acutis edendis vocibus convenit; Eodem

Tab. 3. fig. 1 lit. *f.* lit. N. fig. 2.

*Tyro-Epiglottidæi majores novi.*

*Epiglottidi deprimendæ, & ventriculis arctandis.*

rum ſiquidem ventriculorum cavitates cum diductæ ſunt, atque explicatæ vocum gravitatem, & reſonitum, ita de hac re ſentientibus Præſtantiſſimis Viris, promovent: Sic eorumdem adducta latera oppoſitum ſonorum modum præſtare reor. Ad hanc rem Virum diſecuiſſe meminimus, cui uſque adeò ventriculi ſursùm protendebantur, ut ferme ſummam Thyroidis oram ſuperarent; Huic tenuis, dum viveret, vox erat, & acuta, qualis omnino in ſpadonibus percipitur. De hoc autem muſculorum pari minùs eſſe video dubitandum, quandòquidem non Fabricius modò, ſed etiam ipſemet Caſſerius, aliique ex eo quidquam viderint, tametſi neque ejuſdem progreſſum neque terminum noverint.

Morg. ad An.1.An.16. Dodart.M.de l'Acad.R.D.S.1700.

Tab.3.fig.2.lit. P

§. XV. Poſtremum muſculorum Par, quod infernè ad Epiglottidem contendit, detectu quidem multò cæteris difficilius eſt; Hoc interiùs prope ſuperiorem Thyroidis oram utrinque exoritur, ac diductis ſuperiùs fibris juxta ima Epiglottidis latera inſeritur. Brevis is, & gracilis lacertus eſt, cujus tantummodò in lacertoſiſſimis cadaveribus inſtituenda diſquiſitio. Hunc etenim, & in aptis aliquando ſubobſcurè, interdùm clariùs, evidentiſſimè tandem intuitus ſum in vaſti Viri Cadavere, tres ſupra triginta annos nati, ex fungoſo durioreque cordis vitio, ſiniſtro adnato Ventriculo, ſubita morte defuncti. Si hujuſce muſculi difficilior inquiſitio in aptis cadaveribus contingat, neque leviter deductis circumſitis membranulis is detegatur, tracta leniter, & lumini ea objecta parte, is fortaſſe conſpicuum ſeſe dabit, atque à proximis, diverſiſque rebus, cùm formà, tùm colore internoſcendum. Is non eumdem prorſùs uſum ac cæteri deſcripti Epiglottidis muſculi præſtare videtur; Qui cum in imam ferè Epiglottidis partem inſeratur, atque adeò, vel minimùm, vel difficiliùs deorsùm vellere illam queat, præ valido ejuſdem cum Thyroide nexu, illius inferam partem, quam ſcilicet acutam interiùs, ac prominentem ſupra poſuimus, deducit; eamque, puto, propiùs Glottidi, velut aptè, eleganterque conformatum operculum, applicat quodammodò, & accommodat. Bini autem, de quibus diximus, Ary-Epiglottidæus ſcilicet, & Thyro-Epiglottidæus major, ( hunc etenim minorem dicimus ) etiamſi, cum ſuperam Epiglottidis partem deorsùm ducunt,

Epiglottidi flectendæ datum.

Par Thyro-Epiglottidæum minus novum.

ducunt, & inferam quadantenùs deprimere neceſsè habeant, ad id tamen potiſſimùm videntur comparati, ut mediam, atque cavam, cui præſertim adhæreſcunt, partem inclinent; Quum ab Thyro-Epiglottidæo minore infera maximè ſit adducenda.

§. XVI. Ut ea tandem expediam, quæ de Epiglottidis muſculis obſervare conſueverim, de Attollentibus, ſi qui ſunt, mihi ſermo habendus eſt, quandoquidem de deprimentibus hactenus verba feci. Id ipſum hac de re, ac de inferioribus ſentit Fabricius, cui tamen de more refragatur Caſſerius; Quos præter, ſi quis, de Epiglottidem attollentibus muſculis in Homine, ab Anatomicis ſermo inſtituitur, Caſſerio ferè conſentit; Iique uno id effici Cartilaginis elatere, aut ligamentorum renixu contendunt. Quod etſi, verum eſſe quadantenus aſſentior, non omnis tamen, ſeu rationis, ſeu auctoritatis gratia, neganda ſenſibus fides eſt, ut ea prorsùs, & quæ nos ipſi vidimus, & aliis, nobiſcum eadem intuentibus patefecimus, aut refellenda ſint, aut prætermittenda, hoc potiſſimùm ævi, quo & minima quæque, majoribus jamdiù detectis, ſedulò inquiruntur; quibuſque in Anatomen invectis, memoriam ſibi quiſque peperiſſe ſempiternam arbitratur. In vaſto igitur corpore, quo nullum majus vidimus unquam, cuique ſingula mole ſua, & perſpicuitate reſpóndebant, detracta leviter medii ligamenti Epiglottidis membranula, validum eam ſubter ligamentum deprehendi; quod ab adjuncta Linguæ baſi deductum, non ab interiore Linguæ tunica, aut à planis, explicatiſque lacertoſis ejuſdem fibris exoriebatur, verùm ab iis quidem,& in cunei modum compoſitis,& protenſis,ac in tendinis ſimilitudinem abeuntibus in Epiglottidis dorſum contendebat. Quum autem ſæpe ſæpiùs eamdem repeterem obſervationem, res votis, ac ſedulitati ſæpe reſpondit; & quamquam, in diſparis magnitudinis cadaveribus idem perquiſivi, aliquid tamen aliquando conforme reperi, ac lacertoſas fibras quadam cunei imagine in poſteriora productas, nulla licèt vi tractas, huic ligamento, ſeu potiùs tendini, originem præſtare animadverti. Quod quum, poſt repetitas ſæpiùs ſectiones, meum in animum induxiſſem, fortè in exercitatiſſimi Bartholomæi Euſtachii Tabulam XLII. alia quæritans incidi; quà vel idem

*Num ullus muſculus ſit Epiglottidem attollens.*

Ibidem.

Fig. 5.

 pror-

prorſùs exhiberi, vel confirmari, opinatus ſum, dum eæ fibræ, quæ in ſimilitudinem cæterorum muſculorum ſuis in Tabulis expreſſæ ſunt, lacertoſum potiùs, quam quidquam aliud, commonſtrant. Quamvis eas ad Epiglottidem productas, eà formà, nunquam reperi: quod ſive meliori ejuſdem fato, ſive curatæ intuentium benefitio perſpicuitati, ſeù potiùs Artificis manui id ſit quadantenus tribuendum. Hunc itaque, quem non alium, quàm Epligottidem retrahendi, uſum præſtare decet, ejuſdem Retractorem, ſi quis nominare voluerit, per mè facilè licebit: quum hoc eodem longè validiſſimo Animantia Bruta, utpote prona, Natura providè inſtruxerit. Anatomen nos penè obruere tot exiguis productis muſculis, cuiquam fortaſſe videbimur; at ſi ea quæ propoſuimus quidquam reverà ſunt ( ut nobis, iiſque, qui noſtris in ædibus conſectionibus aderant, luculenter conſtat ) Natura potiùs, quàm Profector ( ſi iis ita lubet ) redundantis copiæ arceſſenda, & culpanda videretur; Si quis autem non obiter, ut plærique conſueſcunt præ Brutis Animantibus, Hominis organa, ac vocis maximè ſcrutabitur, hæc ubi tot motuum diverſitatibus, totque ſonorum varietatibus eſſe comparata perpendet; neque tot ſupervacuas particulas, quas prodidit Anatome: neque adeo eas temerè Naturam inſtituiſſe: neque dictas, alium detexiſſe, aut nominaſſe Anatomicum, quiſquam ſanus, aut convellet aut mirabitur.

*Retractor Epiglottidis muſculus.*

§. XVII. Abſolutis obſervationibus, quæ ad Ligamenta, Cartilagines, ac Laryngis muſculos pertinebant; unum eſt dumtaxat adjiciendum, quod circa Thyroidem glandulam obſervavimus. Hanc itaque ſic placuit Veteribus nominare; neque Thyroidi incumbere Cartilagini, minimùm Cricoidi: ſed eas infra, ſuperioribus Aſperę arteriæ Cartilaginibus adhærere, eamque unam eſſe, medio Iſthmo velut copulatam, ex Anatome conſtat. Ex hac ſi appendicula, quam ante ęditas Euſtachii Tabulas, præter cætera, animadverterat Doctiſſimus Morgagnus, ſursùm producatur, per ſiniſtrum ſæpiùs Thyroidis latus in Hyoidis cavum protenditur; Cujus ima pars inferiori Cricoidis oræ, atque adeo Crico-Thyroidis muſculi principio incumbens tenuari conſueſcit, & circa ſuperiora, velut in plures diſcretos glandularum lobulos dirimi;

*De Glandula Thyroide.*

*Ad. An. 1.*

qui

qui tandem, ſive in ligamentum, ut ſpecies exhibet, ſive in vas aliquod, ut aliquandò, & obſcurè vidiſſe ſum viſus, abeant, nondum mihi ſatis comperire contigit. Contigit quidem me ſæpè hallucinatum fuiſſe, quaſi ejuſdem glandulæ ductum, ſi unicus is eſt, reperiſſem. In Glottidis igitur cavo circa priorem faciem, quà ejuſdem ligamenta ferè coeunt, & utrinque medià gracili velut Cartilagine Thyroidi inneċtuntur, primò in lacertoſi, ac ampliſſimi Bajuli cadavere, ſubitò ex diſrupto magnæ Arteriæ Aneuriſmate defuncti, oſculum ſeſe conſpicuum dedit, cui non difficile fuit ſetam indere; ac ultra tranſverſum pollicem ſic eam promovi, ut tandem ad metam properaſſe viſus eſſem: at quum partes reliquæ, atque continuæ obtruncatæ priùs fuerint, non ultra progredi diſquiſitione datum eſt; Quum id autem poſtea ſæpiùs pertentaſſem interdùm nec oſculi veſtigium inveni, vix interdùm ſetam indere valui, nec ſemel tamen ſic porrò producta fuit, ut Coelum digito jam tetigiſſe putarem, at irritum id omne fuit, & ſæpe tentatum opus, nunquam abſolutum dimiſi: Ex quo dumtaxat colligere licet: ſive ex Thyroide, ſive aliundè in priore Glottidis angulo, ubi prægrandes erant cadaverum partes, canaliculi oſculum ſeta ſæpe tentatum, atque productum reperiſſe: quod vel in alterum ævum, vel majori fortaſſe ſedulitati detegere ſervatum eſt. Hanc autem glandulam, non modò aut vocis, aut reſpirationis commodo datam eſſe, verùm, ut humorem quempiam in proximas partes immittat, non locus tantùm indicare videtur, ſed & circumſitæ potentiæ, quæ vel perpetuo, vel frequenti motu, ita eam urgent, & apprimunt, ut humorem ſenſim ſecretum excernere neceſſe habeat. Ea ſiquidem circa priora à muſculis tùm Sterno-Hyoide, tùm Hyoide intentis premitur, ad latera exteriùs à Maſtoide, interiùs quadantenus à Coraco, ſeu Coſto-Hyoide, ac poſteriùs perpetim ab Arteriarum Carotidum diaſtole ſuccutitur, præter eos motus, quibus, etſi leviter, aliquantulùm tamen, tùm undique, ab levi quidem Tracheæ contractione, tùm maximè poſteriùs circa latera, à vehementi aliquandò Oeſophagi deductione agitatur.

*De Oſculo intra Glottidem.*

*Potentiæ quæ Thyroidē glandulam urgent.*

§. XVIII. Quamvis ea ſumus exequuti, quæ de Larynge adnotanda occurrere, quædam tamen adhuc reſtant, quæ

quodam viciniæ jure, ad hunc eumdem locum pertinere, quadantenus videntur, ut potiſſimùm os Hyoides, & Lingua: Quibus, etſi nulla ſunt, utpote nova, adjicienda, quædam nihilominùs ad Hyoidis muſculos pertinentia animadvertenda proponimus; ac primùm: Minùs mihi probari poſſe videtur, muſculum Sterno-Hyoidem dictum, interdum ab Sterno, ab Clavicula aliquando deduci; Hunc nos ſiquidem, tametſi ſæpiùs à Clavicula, ne tacto quidem ſummo Sterni cavo, diductis eo loco capitibus, prodire obſervaverimus; re tamen accuratiùs diſquiſita, ſcrutatoque principio, nunquam reapſe à Clavicula illum exoriri comperimus; Sed licèt inde exordium ſimulet, ſi illud tamen ſedulò quis perſequatur, non à Clavicula, cui dumtaxat jungitur, ſed à Sterno ab ejus videlicet crepidine ſinus, quo Claviculæ caput excipitur, perpetuò deductum deprehendet. Latum, tendineum, ac tenue hujus principium eſt; teres verò, firmus, & carneus exteriùs in Hyoidis baſim terminus eſt, ac tantùm hic ultra Sterno-Hyoidem ſuperiùs inſeritur, quantùm ille, infra hujus exordium, infernè naſcitur. De Coraco, ſeu Coſto-Hyoide ſatis nunc habent Anatomici, neque medium ejuſdem tendinem Carotidis Arteriæ commodo, ſed firmitatis potiùs gratia datum eſſe intelligunt.

*De Sterno-Hyoide.*

§. XIX. Mylo autem Hyoidem muſculum, neque par muſculorum eſſe dicimus, neque uni Hyoidi conſulere credimus; ejus ſiquidem fibræ omnes, ad illud non contendere perpetuò deprehenduntur: Eæ etenim, quæ priores brevioreſque ſunt, mento adjunctæ, ex ea vicinia pronatæ, recto ductu tranſverſim feruntur; & eo loci perſpicua, & evidens earum continuatio eſt, nullo interjecto tendine, aut linea, diſcreta. Atque quum hujuſce muſculi uſum, & quadantenus fibrarum ductum Cl. CoWperus noverit, non tamen omnem ejuſdem exortum indicaviſſe videtur: qui non modò ab interiore latere, prope dentes molares, verùm etiam à prioribus lateribus, atque adeò, uno excepto interiore menti angulo, ab univerſo maxillæ ambitu oriatur. Quæ verò proximè ſubſequuntur fibræ, licet media quadam tendinea ſecundùm longitudinem producta linea, diſpertiri videantur, eædem tamen, continuatæque ſunt, & rectè ut priores in tranſ-

*De Mylo-Hyode muſculo.*

*Myot. Ref. cap. 13.*

ſurſum feruntur; Atque ex his nulla ad os Hyoides pertingit; Sed ab uno ad aliud latus protenſę, deorsùm incurvatę, immobili utrique extremo infiguntur; quę dum in contractionem veniunt, quum media earum pars, immobilibus extremis, utpotè convexa, inferior ſit, eam attolli, atque adeò linguam ad palatum adurgere, neceſſe eſt; minùs enim, adductis dentibus, diſtat lingua à palato, quàm convexa inferior hujuſce muſculi pars, ab ſuis adheſionibus. Cæteræ autem Hyoidi proximiores fibrę, quæ longiores multò ſunt, ita ad illud contendunt, ut non ſingulę in ſuum latus, ſed ex iis nonnullę ultra medium protenſę, ubi & decuſſantur, obliquè in adverſum ferantur, & in tendineam ſubſtantiam mutatæ, in Hyoidis baſim terminentur. Ubi alterutra tantùm hujuſce pars ageret, non in priora, ſed in latus, Hyoides deduceretur: ubi autem utraque tenditur, ne tum in priora quidem trahitur, ſed in ſuperiora propellitur, ac tum voci, tùm deglutitioni, tùm maximè exprimendæ è ſublingualibus glandulis ſalivæ opitulatur: quippe qui eas arctè complectitur. Quod ſi in priora Hyoides deducendum eſt, atque ejus quoque ope lingua exerenda, per Genio-Hyoidem potiſſimùm efficitur.

§. XX. Binos utrinque Stylo-hyoides muſculos comperimus ſæpè; quorum quidem, tùm diverſa inſertio, tùm magnitudo eſt; Novus etenim, & gracilior alterius adminiſter, & ſocius, ejuſdem prorsùs figuræ, ab eodem productus principio, tereti tendineo termino obliquè ductus, in interiorem Hyoidis partem, propè cornicula infigitur: majoris autem terminus ad eum locum eſt, quà, hinc extremæ Mylo-hyoidis, inde Coſto-hyoidis fibræ inſeruntur, ac inter eas conjectus, exteriùs ad Hyoidis baſis angulum habetur. Ut ſæpiſſimè à maxillæ digaſtrici tendine is diremptus eſt: ſic aliquando ab eo non pertuſus deſinit, aliquando autem proprias aliquot fibras ita ei adjungit, ut pariter ad unum maxillæ locum terminentur. Ubi autem eum accuratè diſſecuimus, duplici velut prodire principio comperimus: altero ſiquidem ab Styloide proceſſu, altero ab interiore facie maxillę anguli. Tereti tendineo exortu ab exteriore, & ſuperiore Styloidis parte emergit, ac per ejuſdem poſteriora demittitur. *De Stylo-Hyoide muſculo.* *Styloidis ligamentum.*

Ma-

Maxillæ autem angulo, quà is maximè flectitur, & in priora profertur, lato admodum, & membraneo ligamento copulatur, ita tamen, ut tendinis ſpeciem luculenter præſeferat; tametſi ligamentum latum Styloidis eſt huic muſculo præcipuè innexum: quod, ſive ob Styloidis firmitatem; ſive ob quamdam adſitarum glandularum compreſſionem, aut motum, ſeu potiùs, ne rectà contractus, vel nimiùm partem attollat, vel nimiùm Arteriam Carotidem apprimat, quæ inter eos muſculos aſcendit, qui ab Styloide procedunt, ſive ob univerſa, determinatu facile non eſt.

# OBSERVATIONES ANATOMICÆ

## CAPUT VII.

### *De Pharynge.*

§. I. PRiuſquam de ſingulis Pharyngis partibus, quas habuimus obſervationes, proferamus, juvat quædam in univerſum, de illius figura, & poſitu (quod ab Diligentioribus Anatomicis prætermiſſum fuit) verba facere. Poſterior Pharyngis facies lata eſt, & planæ ſuperficiei, niſi, quantùm Cervicis Vertebrarum lenis convexitas detrahit: Ab una Cranii baſi rectà demittitur; in cujus dextra, ſiniſtraque procedentes Arteriarum Carotidum, ac prolabentes è diverticulis Jugularium Venarum trunci, unà cum ſexti paris, ſive Intercoſtalis, & octavi, ſive Vagi majoribus propaginibus accumbunt. Non una, ac ſimplex eſt hujus organi figura & diſpoſitio: ſuprema ſiquidem ejuſdem pars, quà Tubarum Euſtachii extrema tuberoſa prominent, latior eſt; quam infra, mox contrahitur, & multò anguſtior fit; quod ab iis potiſſimùm efficitur muſculis, qui ab utriuſque maxillæ extremo profecti, in poſteriora converſi feruntur: de quibus fuſiùs ſumus ſermonem habituri. Sub hac contractione, rursùs Pharynx explicatur, cujus major amplitudo eſt, quà Stylo-pharyngæus muſculus eidem applicatur, ac potior Hyo-pharyngæi portio ad poſteriora reflectitur; Is ubi ad Hyoidis, & Thyroidis extrema devenit, contrahitur iterum, iterumque ſub eo loco paulùm diducitur, ac poſtremò ſeſe contrahens, tùm ob figuræ, tùm ob partium diverſitatem mutato nomine, in Stomachum, ſeu Œſophagum terminatur. Poſteriùs, ac præſertim circa ſuperiora, utrinque in

*Figura, poſitus, nexus Pharyngis deſcribitur.*

in acutum angulum Pharynx conformatur, & ſuperior, de qua diximus, lateralis coanguſtatio, ſeu cavitas, molli adipis ſubſtantia pro maxima parte repletur: vel ut is muſcularium fibrarum rigiditatem prohibeat: vel ut earumdem frequentiſſimæ contractioni faciliùs obſequatur. Et prior Pharyngis pars variè compoſita eſt; quoniam quæ poſteriùs à Palati extremis, ſeu veriùs ab inferis (ita nobis in præſentia loquendum eſt) Sphenoidis proceſſibus propendet, contractior poſtica eſt: quæ verò infra eum locum eſt, & ab inferiore maxilla emergit, latior multò cæteris omnibus partibus eſt; atque eò fortaſſe, ut cibis deorſum detrudendis laxior via pararetur: ne, ſi fortè hac amplior ſupera foret, per ampla poſtica Narium foramina, facilis nimiùm illis egreſſus pateret: atque ob hanc potiſſimùm rationem proviſum puto, ut qui ſuperiori, atque anguſtiori cavitati muſculi inſerviunt, validiores, atque latiores multò inferioribus ſint: ne, per potiorem inferiorum vim, ad ſuperiora propulſa alimenta, in Narium Antra immitterentur: quod quandòque in inferiorum partium validiore contractione, ſeu inflammatione, contingere obſervamus.

*Muſculi hujus ſuperiores validiores ſunt.*

§. II. Quò autem ea magis, magiſque in aperto ſint, tùm quæ de figura, & poſitu diximus, tùm quæ potiſſimùm, de muſculis, cæteris Anatomicis non omnino conſentientia, ſumus expoſituri, neceſſe eſt, aut legenti concipere, aut inquirenti partem hanc ſuis in ſedibus conſecare. Itaque antequam quiſquam Pharyngis conſectionis initium expediat, vertebræ Cervicis omnes unà cum muſculis, cautè ſunt (quod facile eſt) removendæ: ut poſterior univerſa Pharyngis facies ſeſe in conſpectum præbeat; Quo inutilibus purgato membranulis, ſingula tum luculenter dignoſcenda ſe exhibebunt. Ut autem & ejuſdem latera detegi poſſint, ab imo capite exſcindendæ utrinque erunt Carotides arteriæ, Jugulares venæ, ac nervi ſecundùm eas decurrentes; quibus præparatis, in oculos ea protinus incurrent, quæ cæterorum Anatomicorum ſedulitatem, ob diverſam fortaſſe diſſecandi rationem, præteriere. Atque hìc loci prætermittenda non eſt ſine æqua laudatione, præ cæteris, Clariſs: Valſalvæ magna in hiſce partibus proſecandis diligentia, quæ quum plura detexerit, atque illuſtraverit, quamquam opus hoc non abſolvit, reliquis tamen Anatomi-

*Pharyngis conſectionis ratio.*

tomicis faciliorem viam compoſuit, quò id ampliùs perficeretur. Nobis igitur per tanti viri manes licebit, non quem ipſe inſtituit, ordinem conſequi, ſed eum proſequi, atque detegere, quem illius partis ſtructura conſpecta exhibebit. Edita itaque media Pharyngis pars validè ſubtus priori Occipitii proceſſui juxtà primæ Vertebræ, ſeu Atlantis corpus illigatur; lateralis autem, utrinque extremo petroſi proceſſus innectitur: ſummæ partis quod medium eſt, lacertoſas fibras exhibet, acutum in angulum conformatas; quæ nonnullorum illuc uſque procedentium muſculorum extremum ſunt, qui quum utroque extremo immobilibus locis inſerantur, utrobique aut terminum habent, aut principium. Quæ verò partes ſumma hujus latera efficiunt, prorſus ſunt membranoſæ, frequentiſſimis tamen cumulatæ glandulis, atque hæ à Tubarum prominentibus extremis ſuffultæ, ne concidant: tùm vocis commodo, tùm maximè reſpirationis, ubi hæc præſertim per Narium cava efficitur. Editam autem eam Pharyngis partem, quam in angulum compoſitæ lacertoſæ fibræ, tendineo velut vertice, Occipitii proceſſui copulant, nos aliquando ſecus illigatam vidimus: per validum nempè fibrarum faſciculum, qui teres supernè demiſſus ſenſim fuſis, tenuatiſque fibris, per quatuor latos digitos rectà deducebatur, ac in poſteriorem, exterioremque Pharyngis faciem cæteris implexus fibris, penè evaneſcens deſinebat. Is quum adeſt, eum enim adeſſe & nos non ſemel vidimus, nec ſemel iis qui aderant luculentiſſimè demonſtravimus, ſive Solitarius, ſive Impar, ſeu Pharyngis Azygos dici mereretur: cujus contractione Pharyngem attolli probè conſtat.

*Pharyngis muſculus ſolitarius, ſeu azygos.*

§. III. Præter eum, quem imparem diximus, neque perpetuum deprehendimus: primum, ex noſtro diſſectionis ordine, Pharyngis muſculorum par, illud eſt, de quo ſucceſſivis temporibus Clari Anatomici, Joannes Veslingius, Dominicus de Marchettis, Antonius Molinettus diſſeruere; ac ab aliquibus Spheno-pharyngæum, ab aliis Ptherygo-pharyngæum, nominari conſuevit. Illud tùm à Ptherygoidis corniculo, tùm ab interioris alæ crepidine, latuum, ſed tenue prodit: atque demiſſis paulùm fibris, circa lateralem angulum rurſum aſſurgentibus, in poſteriora fertur iiſdem collectis, & in verticem

Syntag. Anat. c.3. Anat. c.2. Diſ An. Path. l.3. c.11.

*De pari muſculorum Ptherygo-pharingæo.*

ticem compoſitis, per ſummum, mediumque Pharyngis properans in Occipitii baſim illigatur. Quum media hujuſce muſculi inclinata pars, utroque immobili extremò inferior ſit; ubi in contractionem venit, decurtatis fibris, & majorem nactis rectitudinem, eam Pharyngis partem in ſuperiora trahi, neceſſe eſt. At non modò eum attolli, ſed & priorem ejus cavitatem coanguſtari oportet; quum enim, inter utramque interiorem Pterygoidis alam interceptum ſpatium, minus ſit, & contractius, quàm poſterior circa eum locum Pharyngis cavitas, dum muſculi ad hanc partem tenduntur, ea non contrahi, adductis lateribus, non poteſt.

*Par muſculorum novum Salpingo-pharyngæum.*

§. IV. Secundi Pharyngis muſculorum paris, quod nos, habita utriuſque extremi ratione, Salpingo-pharyngæum dicimus, non modò Euſtachius (nè de cæteris loquamur) qui Tubæ primùm notitiam in Anatomen invexit, ſed ne Clariſ. quidem Valſalva, qui & Tubæ nomen impoſuit, & circumſitos ei muſculos, ſi non detexit, certè illuſtravit ampliùs, non modò deſcriptionem, verùm ne indicium quidem dedere. Muſculus is itaque, utrinque alter, tenuis, ſed longior, & gracilis, eleganti figura donatus, tenui itidem oritur tendineo disjecto principio, obliquè à poſtica crepidine cartilaginea Tubæ Euſtachianæ; inde mox in carneum mutatus, ad decuſſim cum Salpingo-ſtaphylino, cui leviter jungitur, rectà demittitur: ac ſub Pharyngis membrana per interiora ejuſdem latera in ima deſcendit. Ubi vel apta non ſuppetant Cadavera, vel is ſedulò non inquiratur, quin vel unquam, vel luculenter detegatur, vehementer dubito. Duplici autem ratione inquiri is poteſt, utraque tamen ſuis in ſedibus confectis partibus. Prima igitur eſt, cum accuratè tùm ab ſuo principio, tùm ab exteriore Tubæ latere, Salpingo-ſtaphylinus muſculus deducitur: ita tamen, ut vel quidquam ex eo, Tubæ potiſſimùm extremò non adhæreat, vel ex ea quidpiam, quod detrahendi muſculi non ſit, haud eximatur; Ubi id peractum eſt, atque earum fibrarum extrema, quæ Occipitio innectuntur, ſimul ſed leviter, atque accuratiſſimè, diducta ſint, & utraque ea parte inclinata, primò fuſus muſculi tendo, deinde reliqua ejuſdem pars, interiori Pharyngis membranæ innexa, ſeſe in conſpectum dabit. At cum facilior, &

*Inquiſitionis duplex ratio.*

lucu-

luculentior altera ſit, hanc potiùs adhiberi methodum, Auctor forem. Detracto itaque earum fibrarum vertice, quem Occipitis proceſſui jam diximus copulari, ac pariter, quò fieri poteſt accuratiùs, ab cartilagineo Tubæ latere, tum ab adjuncto Pharyngis loco, obducens membrana ſic deducatur, ut duos ferè tranſverſos digitos infra Tubæ extremum demiſſa ſit: quò protinus, uno obtutu, in conſpectum dentur, interius cartilagineum Tubæ latus, ac ex ejuſdem crepidine prodiens, & demiſſus muſculus noſter, quem ponè, ad decuſſim in priora productus Salpingo-ſtaphylinus facilè ſpectabitur. Duplici quadantenus officio fungi hic muſculus poſſe videtur: tum, ut intentus ad attollendum pharyngem operam præſtet; quà, ut, adducendo cartilaginoſum Tubæ latus ad exterius alterum membranoſum, eum queat arctare meatum. At vel quo tempore, vel quo beneficio? Niſi fortè, Tubæ viam intercipi aliquando opus eſt; vel, tracta, aut laceſſita Tuba, ut, quod lenti humoris intus habet, tùm pro deglutitionis commodo, tùm pro auditus facilitate, emittat: At quum planè aſſequi vera non liceat, ulteriùs divinare non auſim.

*Par novum noſtrum Mylo-pharyngæum.*

§. V. Tertio ad Pharyngem pertinenti novo prorſus muſculorum pari, cujus nullam in Anatome factam mentionem, me legiſſe, recordor, Mylo-pharyngæi nomen jure inditum eſt: quippe cujus utrinque exortus eſt, ab inferiore maxilla, ponè ultimum molarem dentem. Huic principium acutum, tenue, tendineum eſt: mox laxior, proximique Pterygo-pharingæi fibris copulatus, poſt lenem inclinationem provectus ad poſteriora Pharyngis contendit, fibrarumque extremis in tendinem mutatis, infra Pterygo-pharyngæi terminum, Pharyngi applicatur. Hujus non modò munus eſt Pharyngem in priora trahere, & utramque faciem quodammodò adducere, ut & paululum inferiorem partem, cui adhæret, attollere; verùm etiam Tonſillas glandulas, quas complectitur, comprimere, & detrudendis cibis, expreſſum inde humorem immittere, quò ſeu magis ſolvantur, ſeu prolabantur faciliùs. Noſtri hujuſce muſculi nihil produxiſſe induſtrium alioquì Valſalvam, non miror: quum de eo, vel nullum indi-

*Tonſillas complectitur, & arctat.*

catum unquam ab aliis veſtigium, vel nulla unquam habita verba fuerint; at non vidiſſe par alterum Pterygo-pharyngæum, ſuis adeò proximum diſquiſitionibus, de quo quippe factum ab aliis ſermonem ipſemet noverat, haudquaquam percipio: quum & data nomina, & concreditum iiſdem munus quampiam ſaltem de ea re ſuſpicionem in ſcribente excitare debuiſſent; qua ductus, & conſtantem, & perpetuum ejuſdem exortum, ac fibrarum inceſſum & noviſſet ipſe, & ſine ulla ſedulitatis nota, in re alioquì perfacili, aut congruentius dediſſet nomen, aut minùs à veritate alienum Iconem exhibuiſſet; qui in utraque Tabula v. vi. alterius I, alterius B, litteris deſignatus, utpotè Gloſſo-pharyngæus exhibetur; quem quidem adeſſe, negare non audeo; at qualis à prælaudato Auctore proponitur, neque à nobis, neque à quocumque accurato Proſectore haberi poteſt.

Tract. de Aur. Hum.

*Gloſſo-pharyngæus tantus non eſt, atque exhibetur.*

§. VI. Quartum id muſculorum par dicimus, quod cum Valſalva, nos pariter Gloſſo-pharyngæum nominamus, licet & tenujus multò illud ſit, ac ab eo delineatum habemus, & vel bis infra illud muſculares fibræ occurrant, à Lingua ad Pharyngem procedentes. Is igitur muſculus, ab Linguæ latere prope baſim abſcedit, & ſursùm provectus, infra Mylo-pharyngæi fibras, in poſteriorem Pharyngis partem ſeſe inſertum conjicit, ac ſuperiori muſculo coadjutorem ſe præbet; quem ſi aliquantò latiorem Clar: Valſalva delineari curavit, id eo contigiſſe dicendum, quod tùm Pterygo, tùm Mylopharyngæi fibras ab hoc luculentiſſimè diſcretas, Gloſſo-pharyngæo minùs rectè adjudicaverit. Quamquam nè id quidem eum ſatis tueri poteſt: ſiquidem, tantum fibrarum intereſt inter Hyo-pharyngæi verticem, & Pharyngis ſummum, quò ferè dumtaxat lacertoſæ ejuſdem fibræ in acutum terminantur, ut vix, quadrantem interjecti illius ſpatii æquent eæ Gloſſo-pharyngæi fibræ, etſi latioris ab eo propoſiti, quod re vera obducitur à ſupra deſcriptis Mylo, & Pterygo-pharyngęi fibris. Præterea nè illæ quidem extimam partem tenent, ſed vel omnes, vel plurimæ ſeſe in interiora, ſub Mylo-pharyngęo conjiciunt „ Inceſſum autem circularem „ quem deſcribit, vel in eo nullum reperio: ſiquidem, is in edita Pharyngis parte, utrin-

*De Pari Gloſſo-pharyngæo.*

Ibid. Tab. 6. lit. B.

utrinque ad latera, poſteriùs occurrit, atque ille Pterygo-pharyngæi eſt:vel in quolibet ſupero Pharyngis muſculo penè comperio.

*Stylo-pharyngæum par num plures noverint.*

§. VII. Quinti porrò alterius utrinque conſpicui Pharingis muſculi, cujus originem primamque diſtributionem omnes quidem novere Anatomici, genuinos fines, atque Officia, quot ex iis intellexerint, ea declarabunt, quæ mox ſumus expoſituri. Unus utrinque Pharyngi adſtat muſculus, ab Styloide profectus, (quamquam non ſemel binos reperi ab utroque latere demiſſos) cui Stylo-Pharyngæi nomen eſt: etſi non uni Pharyngi conſulit. Lato hic carneo tendineo exortu, ab Styloidis radice, medià inter priorem, & interiorem facie proficiſcitur: poſt tres circiter latos digitos, demiſſus ad Pharyngis lateralem angulum bifariam dirimitur, cujus tenujor,

*Pars ejus in Pharyngem.*

& ſuperior pars Pharyngem ſubit infra deſcriptum fibrarum faſcem, Gloſſo-Pharyngæum dictum; quæ rursùs bipartita, ſuperior, & tenuior interiùs in poſteriora Pharyngis contendere videtur; altera inferior, & craſſior, in interiorem Pharyngis faciem producta, ad inferiora deducitur. Altera verò major à primo diremptu ejuſdem muſculi portio, nulla emiſſa

*Pars in Thyroidem inſeritur.*

fibra ad Hyoidis ſive baſim, ſive latera, tota quanta eſt in Thyroidis latera implantatur: eo tamen diſcrimine, quòd pauciores hujuſce fibræ in ſuperiorem Thyroidis oram, reliquæ autem confertiores in ejuſdem Thyroidis latus, infra ſuperiorem proceſſum inſeruntur. Quamobrem non tantummodò Pharyngi muſculus hic proſpicit, verùm, etiam Laryngi plurimùm famulari, non modò nobis conſtitit, ſed & Spectatiſſimo Morgagno, quì de Falloppio id receptum, utpotè reſtituendum propoſuit. Quamquam circa hanc Exercitatiſſimi alioquì Profectoris diligentiam, tria occurrunt animadvertenda, quæ faciliùs ex ejuſdem verbis, qualia ſint, dignoſcentur. Ait itaque „ Quartum, quod & Faucibus adſcribi „ poteſt, oritur ab interna facie calcaris, gracile admodum, „ atque ad interiora declinans, in membraneum veluti deſi- „ nit tendinem, qui primæ Laryngis Cartilagini, ac Hyoidis „ lateribus, necnon & extremæ Linguæ inſeritur „ Qui ſinguli fibrarum faſces, etſi veri reapſe ſunt, & exiſtunt, atque eo ferè inceſſu ſe habent: non ſunt idcircò ſingulæ ab eo exortu derivandæ; quoniam, quæ harum duæ, poſtremæ ſunt,

Adv. An. 1. An. 8.

Obſ. Anat.

*Tria in Falloppio animadvertenda.*

neque

neque ad Oſſa Hyoidis, aut Styloidis quicquam pertinent. Primum igitur eſt, ut rectè Diligentiſſimus Falloppius, pro ea, quæ illi erat, Cadaverum humanorum copia, animadvertit, quòd „ hujuſce muſculi fibræ in membraneum velu„ ti tendinem deſinunt, qui primæ Laryngis Cartilagini inſeritur „. Ex his alterutrum dicendum eſt: eum videlicet non comperiſſe, potiores hujuſce fibras in lateralem Thyroidis oram inſeri, vel earumdem ſubſtantiam minimè dignoviſſe; noſtris ſiquidem obſervationibus perpetuò deprehendimus, quemadmodum eam Stylo-pharyngæi partem, quæ in ſuperam oram inſeritur, vel conſtanter, membraneam eſſe, ita potiorem aliam, quæ in ejuſdem Thyroidis latus inſeritur, luculenter carneam occurriſſe. Quod autem (id alterum eſt) ab eodem Stylo-pharyngæo quædam fibræ decedant, quæ in Hyoidis latera inſerantur, noſtris obſervationibus minùs conſentire videtur. Quin imò apertè proferam, quid tanto Viro impoſuerit, quod nulli vel diligentiſſimo perpetuò declinare, fas eſt, ubi præſertim, vel non ſæpiùs repetatur accuratum examen, vel id in iis inſtituatur Cadaveribus, quibus minùs lacertoſæ atque diſcretæ fibræ ſunt; quæ quum id ipſum exhibere videantur, eadem ſemper ſpecie fallunt. A' poſteriore igitur media Pharyngis parte exteriùs fibrarum faſciculus diſcedit; qui, vel aliquando ab reliquis diſcretus, Stylo-pharyngęi interiori lateri apponitur, vel ſæpiſſimè ſub eodem; ubi primò in ſuperiorem & inferiorem partem dirimitur, velut inter ejuſdem crura ſubiens, in priora profertur, ac leniter in arcus modum incurvatus, cum Genio-gloſſi acuto termino, videlicet interiùs ad Hyoidis Cornicula jungitur; atque illud fuit, ni multùm ego fallor, quod Falloppio impoſuit: cujus quidem difficillimum eſt fallaciam detegere. Is pariter ex iis lacertulis eſt, de quo ſuprà verba fecimus, & ad Linguæ baſim terminatur. Quod autem, tertium diximus eſſe animadvertendum, ad illud pertinet: quod nempe Falloppius vidiſſe viſus fuerit ab Stylo-pharyngęo ad extremam Linguam demitti fibras; quæ quum ad Linguam quidem pertineant, minimè tamen ab Stylo-pharyngęo procedunt: verùm ſummis ejuſdem fibris adjunctæ, ad eum ſanè non terminantur; ſed ulteriùs profectæ, & ad poſteriora delatæ in

*Lacertus alter ab Lingua ad Pharyngem.*

Pha-

Pharyngem poſtremò inſeruntur. Atque hic quoque utriuſque fibrarum permixtio hallucinationis fortaſſe in cauſa fuit; quum is non ad Stylo-Pharyngæum, ſed ad Gloſſo-Pharyngæum pertineat.

§. VIII. Hyo-Pharygæum par, quod Valſalvę quartum eſt, nobis ſextum, neque prorsùs novum eſſe, neque eo omnino modo ſe habere, aut Falloppium legentibus, aut Pharyngem ſedulò diſecantibus, perſpicuum planè fiet. Non enim omnino novum eſt, quum de eo ſcripſerit Falloppius „ Tertium ortum ab ea parte, quà baſis capitis cervici jungitur, tenue admodum totam faucium poſteriorem, ac lateralem cavitatem veſtit, & deſcendens in Hyoidis latera, & primam Cartilaginem Laryngis, & aliquando in radicem linguæ, obſcurè tamen „. Ne quiſquam autem merita fraudetur laude: Falloppius id primo vidit, & propoſuit, Clar. verò Valſalva diviſit, illuſtravit, nomenque impoſuit; quamquam non duplex, ſed una ac ſimplex eſt ejuſdem inſertio: id etenim extremo cornui primùm inſeritur, ac ſenſim productis fibris, in omnem continenter cornuum longitudinem, poſtremò in cornicula inſertum terminatur. Quem autem alterum ſubdit prælaudatus Falloppius fibrarum faſciculum, ab Lingua ad Pharyngem contendentem, noſtris pariter obſervationibus compertum habuimus; quum is juxta Hyo-Pharyngæi latus, ab ejuſdem acuto termino demiſſus, illud inter, & Stylo-Pharyngæi adhæſionem multùm reflexus, & aſſurgens in priora agitur. Quà in binos diremptus lacertulos, altero ad Hyoidis cornicula, altero ſub ſtylo, & Hyo-Gloſſo, ad Linguæ radicem properat; atque hic inferior lacertus eſt, qui nonnullis, ſive muſculis interjectis, ſive fibris, ab cæteris diſcretus, ab Lingua ad Pharyngem contendit. Quare triplex eſt, diverſæ magnitudinis faſciculus, qui ad ſuperiorem Pharyngis partem protenditur; quapropter, vel triplex eſt Gloſſo-Pharyngæum, vel triplici diſcreto faſciculo Gloſſo-Pharyngæum par compingitur. Neque eo omnino modo Hyo-Pharingæum ſe habere, atque ab Clar. Valſalva proponitur, inſpecto potiſſimùm ejuſdem Iconiſmo, declaratur; quum nec tantum illud ſit, ut vel inferius alterum par, Thyro-ſcilicet pharyngæum, altitudine

*De Hyo-pharingæo.*

Obſerv. An.

*Continua Hyoidi inſertio eſt.*

*Tertius Lacertus ab Lingua ad Pharyngem.*

tudine aut ſuperet, aut æquet: neque ſummum apicem illud conſtituat, quum à ſuperis jam deſcriptis muſculis, unum præter Stylo-Pharyngæum, atque alterum interiùs conſitum Salpingo-Pharyngæm, efficiatur; In quo, ſi probè Iconis fibras dignoſco, fibræ omnes vel inferiores, aſcendere videntur: quum aliter obſervare conſueverim, & res ipſa ſe habeat; ſuperiores enim, quæ ab lateribus Hyoidis propè baſim decedunt, in ſuperiorem, quæ verò in faſciculum collectæ ab extremis cornubus derivantur, in inferiorem Pharyngis partem deſcendentes, ſub Thyro-Pharyngæo (quod diligenter animadverſum fuit) producuntur. Quam porrò „ rectam tendinoſam lineam cum oppoſitis concurrentes fibras componere „ & deſcribit, & delineat, ipſum quidem vidiſſe reor; at id mihi ſæpiſſimè obſervanti, nullum hujuſce lineæ veſtigium conſpicere datum eſt: ac noviſſimè præſertim in ſene propè octoginta annos nato, cui plena, ac lacertoſa contigit corporis conſtitutio, morboque quàm breviſſimo non confecta (etſi in iſtiuſmodi ſubiectis lacertoſæ partes plurimæ ſeu tenues ſeu extremæ, præſertim maximè exercitatæ, in tendinoſam ſubſtantiam migrare conſueſcunt) aliud quicquam ſanè notavimus, de quo mox ſumus verba facturi. Hujus muſculi actio eſt, ut utrumque extremum ad priora adducatur, atque adeo Pharyngis cavitas contrahatur.

Ibid. n. 20. *De poſtica Pharyngis linea.*

§. VIV. Ad ſeptimum me properantem, Thyro-ſcilicet Pharyngæum, nulla ab Clar. Valſalva dirimit obſervatio; prætérquam quod nec talis, nec tanta, aut tam conſpicua tendioſa linea poſteriùs in ejuſdem medio conſpiciatur: Non talis quidem nec tanta, quum in inferiore potiſſimùm ejuſdem parte, nil occurrat, quod linea dici mereatur: nec tam conſpicua in edita ejuſdem Thyro-Pharyngæi parte deprehenditur; quà ſi quid eſt, & breve, & obſcurum, ac latiuſculum apparet: licet ex his profectò non pauca Scalptoribus tribuenda ſunt. Quum & alterum adjicere lubeat, inferius ſcilicet Thyro-Pharingæum, non modò à Thyroide, verùm & à Crico-Pharyngæi membrana, cui inſidet aliquatenùs, fibras ſuas derivare.

*De Thyro-Pharingæo.*

§. X. Octavum nobis ex iis, quæ poſteriùs in Pharynge ſine ulla, aut levi ſectione deprehenduntur, Crico-Pharyn-

ryngæum par dictum eſt; cujus tranſverſæ fibræ ab eodem Auctore proponuntur, & in Tabulis exhibentur: quarum quidem, etſi hujuſcemodi plures ſunt, nec omnes tamen ita eſſe cognovi, nec ex ejuſdemmet Tabula ita exhiberi poſſe videntur. Non ita quidem exhiberi poſſunt; quæ enim circa ejuſdem verticem ſunt, ſi tranſuerſim rectà, ut in Tabula monſtrantur, protenderentur, non ab Cricoide, ſed à Thyroide eas proficiſci ſignificaretur. Sic verò ſuperiùs potiſſimùm non ſe habere perſpicuum eſt. Non de iis loquor, quæ ab eadem Cricoide, nullà diviſionis nota, ab Thyro-Pharyngæo diſiunctæ, exteriùs Crico-Pharyngæo imponuntur; ſed de ejuſdemmet ſuperioribus, quæ prorsùs ab Thyro-Pharyngæo diſcretæ, nec ab inferioribus ſociis ſejunctæ, & unum muſculum efficere jure videntur, & facilè diverſum inceſſum præſeferunt. Has etenim in ſuperiora productas circa medium decuſsari ſedulò inquirenti manifeſtiſſimum cenſeo. Atque ne quid ad hunc locum pertinens, minus commodè aliò traducam: quænam ſit horum muſculorum diſpoſitio, quæque veræ earumdem fibrarum inſertiones hìc loci proponere juvat. Quamquam fuſiùs fortaſſe de hujuſmodi mirifico muſculorum opificio diſſerendi occaſio incidet; ubi præſertim luculentiùs conſpicua eorumdem ſtructura potiorem opportunitatem exhibebit. Præter binos ſupremos Pharyngis muſculos, Salpingoſcilicet, & Pterygo-Pharyngæos, atque lateralem alterum Stylo-Pharyngæum, cęterorum omnium, Mylo-videlicet, Gloſſo, Hyo, Thyro, ac ſuperioris partis Crico-Pharingęi fibras decuſſari, qui non obiter illas intuebitur, luculenter perſpiciet. Hę ſiquidem cum ad medium pertingunt, in tendinem ferè mutatæ non rudi quodam artificio, ut hucuſque creditum fuit, conglutinantur, ſed in membranoſam, ac tenuiſſimam ſubſtantiam intextæ intrò conjectę prætervehuntur, ac ad oppoſitum latus migrant: atque ita nulla tendinoſæ illius rectę lineæ neceſſitas, quum eæ ſubter in tenujorem, ac latum tendinem abeant.

Idem Tab. 6. fig. 1. lit. H.

*De Crico-Pharyngæi fibrarum diverſo inceſſu.*

*De nonnullarum fibrarum decuſſatione.*

§. XI. Locus nunc eſſet, ut quæ hiſce muſculis ſubjiciuntur, continuò exponerem, neque aliò evagarer, turbato dicendorum ordine; ſed quum opus ſit, antequam de Oeſophago verba fiant, ut de hac re obſervationes expediam:

R de

de muſculo itaque Staphylo-Pharyngæo, ſeu, quod idem Auctori eſt, de Pharyngo-Staphylino, utpote de conſpicuo, ac pręſtanti Pharyngis muſculo, ſermo priùs habendus eſt. Verùm quum, juxta laudabile Valſalvæ inſtitutum, minimè deceat à Pharynge Vvulam diſiungere, atque excidere, id nos ultro proſequemur: non tamen rati mobilem eam partem, undè teres Columellę corpus propendet, Columellę, ſeù Vvulę tantummodo nomine eſſe donandam. Quoniam ea neque ita conformata eſt, ut proximè ad id nominis accedere queat; neque tantula ut præ Columella multò maxima non ſit; neque tantuli uſus, cui vel nulli muſculi famulentur, vel nullum addictum commodum, & neceſſitas intelligatur. Nos igitur cum Doctiſſimo, ac Celeberrimo Hermanno Boerhaavio, ſeorſum hanc partem nominandam eſſe cenſemus, ſive lubeat, cum prælaudato Viro, eam „ palatum membrana„ ceum, ſeu muſculoſum „ ſeu mobile pendulumque, dicere, perinde erit: dum per id nomen non teres Vvulę corpus, ſed alteram fuſam expanſamque partem à nobis ſignificari intelligatur. Id igitur Palatum mobile, modò majus, modò minus deprehenditur, pro cæterarum partium ratione; raro ſiquidem in minoribus duos latos digitos non æquat: rarò in majoribus tres ſuperat; oſſeo Palato continuum eſt, poſtremiſque ejuſdem Oſſibus validiſſimè innectitur: atque ad latera interiori Pterygodis ſinus alæ illigatur. Laxior, ac mollior ſupernè integit membrana à narium antris deducta: huic minor glandularum copia ſubſternitur; quę verò ſubter eſt, ab oſſeo palati fornice deducitur multò validior eſt, quam confertiſſimi glandularum acervi interiùs tenent; Lateribus per nectentes muſculos jungitur, inferiùs omnino ſoluta, & propendens: niſi quatenùs laxè per circum ambientem membranam copulatur. Hanc multifariis motibus partem cieri, ſine Anatomica moventium muſculorum poſitus diſquiſitione, facilè deprehenditur; ſolo quippe intuitu, prę varia illius partis agitatione, diducto ore innoteſcit. Hanc ſcilicet ſurſum, deorſumque agi, modò in priora, modò in poſteriora reduci, compoſitis aliquando motibus, liquidò conſtat.

*Quæ pars Collumella dicenda.*

Inſtit. Med. num. 630.

§. XII. Quibus pręjactis: ad eorum muſculorum diſquiſitionem veniendum nunc eſt, qui ad hujuſce potiſſimùm

par-

partis motum fuere comparati. Quod ab eodem Cl. Valſalva par Pharyngo-Staphylinum appellatur, atque hiſce proponitur verbis „ Hoc latam, & amplam habet originem à parte „ inferiori Pharyngis, ubi iſte incipit in Oeſophagum reſtrin- „ gi, & per ejuſdem Pharyngis partem anteriorem lateralem „ aſſurgens, cum ad ipſius ſuperiora pervenit, fibras ſuas inſtar „ arcus inflectit, quæ ſub Tonſillis excurrentes, parti inferio- „ ri, & laterali Vvulæ ſe annectunt „ cum noſtris obſervationibus minùs convenit, tùm quod ad illius principium pertinet, tùm maximè quod ad terminum, & inſertionem. Harum enim fibrarum originem, neque ſemel, neque oſcitanter quæſitam, ut ab eo quem ipſe ponit loco, ita etiam ab imo Thyroidis latere productam certò comperimus; Earumdem verò faſciculos non uno tantùm locari poſitu, neque ad unum inſeri terminum, & perluſtravimus ipſi multò diligentiùs, & commonſtravimus aliis. Neque id nobis, poſtquam multa ſedulitate conſtitit, fuit ſatis: id porrò ſumus proſequuti, ut ex earumdem lacertis, quis ad hanc, quis ad aliam partem pertingeret, etſi ii maximè implicati ſunt, tandem conſequeremur. Atque crebrò repetitis diſquiſitionibus iiſque in ſelectioribus Cadaveribus, cognovimus denique, non modò rectè, & utiliter, verùm etiam neceſſariò quidquid à Cl. Valſalva Pharyngo-Staphylinum dicitur, in duplicem muſculum eſſe diſpertiendum: quum non modò principii, ſed & termini, atque adeo muneris diverſitas id jure optimo requirat. Quoniam igitur ex illius fibris nonnullæ ab imo Thyroidis latere, quædam autem ab extrema Pharyngis ferè poſtica facie prodeant, earum priùs proſſequemur inceſſum, quæ vel à memorato Thyroidis latere, vel eidem maximè adjunctæ in ſuperiora feruntur; quò ubi ſeſe contulere, in priorem mobilis Palati partem funduntur ſic, ut diſiectæ non ſummam ejus partem teneant. Quod quum accuratiùs obſervaverim: ita hujuſce muſculi fibras progredi, ac proferri animadverti, ut unam eſſe eamdemque in utroque latere, neque ullam inedita ejuſdem parte mutationem ſubire, deprehenderim. Quapropter non video, quì par muſculorum potiùs, quàm unus, ac ſimplex muſculus, licèt inflexus, ac incurvus, dicendus ſit. Neque hæ quidem „ parti inferiori, & laterali Vvulæ

*Pharyngo-ſtaphylini Valſalva deſcriptio.*

*Minùs noſtris convenit obſervationibus.*

*In duplicem muſculum diſpertiri debet.*

ſe annectere „ queunt: quandoquidem in arcus modum compoſitæ fibræ, atque uno eodemque lacertulo, ab altero, ad alterum latus prætergreſſo, vix concipi poteſt, quo pacto propendenti potiſſimùm Vvulæ lateri queant annecti. Quid tandem de eo muſculo ſit, poſt has obſervationes, ſive quod ad ſimplicitatem, originem, & terminum, atque quod ad nomen & uſum facile eſt judicare. Eum unum muſculum eſſe, jam poſuimus; quum verò utrumque illius extremum, continuatis ab uno ad aliud latus fibris, in ima laterali Thyroidis ora habeatur (quæ quòd ſupera multò firmior eſt, ei ſanè principium eſt adjudicandum): quumque mobilior ſuprema pars, quam Vvulam is nuncupavit, neque eo nomine

*Thyro Palatinus muſculus.*

prælaudato Boerhaavio, neque nobis, neque cæteris, puto, Anatomicis, donata placeat: iſte potiùs, ſi quid eſſet circa nomen innovandum, Thyro-Palatinus dicendus videretur. Quamquam autem firmior Thyroides eſt, quàm ſupera ea pars, cui innectitur, atque adeo dum is intenditur eam deorſum velli neceſſe eſt: non inficias tamen ibo etiam quadantenus attolli Thyroidem poſſe. Eà verò ſummopere depreſsà,

*Thyroides depreſſo Palato ellevari poteſt.*

quod potiſſimùm in deglutitione evenire puto, cum peropus eſſe videtur, ut elata Thyroide prò faciliori ciborum delapſu, quàm maximè mobilis ea Palati pars deprimatur, tùm ut eos quodammodo urgeat, & premat, tùm ne ea elata, ad ſuperiora contra Naturæ conſilium proferantur. Eum autem & in vocibus multam operam præſtare nullus dubito.

§. XIII. Alia prorsùs ratione alterum, ac potiorem fibrarum faſcem incedere, atque à prælaudato Valſalva deſcriptum eſt, quàm luculentiſſimè conſtat. Has etenim, quę magis versùs poſteriora locantur „ ſurſum profectas inſtar „ arcus inflecti „ vidimus nunquam. Adnotavimus quidem, nec id ſumma indiget ſedulitate, ubi eæ ad mobile Palatum perducuntur, ſic dirimi, ut tenuior earum faciculus, per poſticam mobilis Palati faciem, ad Vvulæ baſim, ſeu ad narium diſſepimentum, utrinque concurrentes adeo proximè accedant, ut tendineo extremo in illud penè inſerantur. Alter autem faſcis aliquantò latior in priore penduli Palati parte,

*Fibrarum alia ſupra inſeruntur.*

videlicet ſub eo muſculo, qui ab eodem Salpingo-Staphylinus vocitatur, ſic profertur, ut latera tenens, rectà ad Oſſeam Palati

Palati oram contendere videatur: quà tenuatis fibris, & in tendineam ſubſtantiam mutatis, eum nonnullis etiam, transverſim muſculi Tubæ proprii dicti tendini immiſceri, comperimus. Quæ ſi vera ſunt (ut non nobis modò, ſed & unicuique conſtare facilè poteſt) nec Pharyngo-ſtaphylinus, nec Staphylo-pharyngęus dici is poteſt. Verùm quum illius principium ab firma Palati ora ſit deducendum, ſi is rectè nominandus eſt, Hypero, ſeu Palato-pharyngęus dici meretur. Unus hic utrinque eſt omnino diſcretus; quare par id jure nuncupandum eſt: cujus eſſe, Pharyngem potiſſimùm attollere, & pendulum Palatum quàm maximè deprimere, & poſtica Narium foramina paululùm diducere, ex harum partium poſitus notitia proclive eſt intelligere. Ne quis fortè vitio det nobis, & ſingulas penè nos dirimere fibras, atque eas veluti novos muſculos in Anatomen invehere, ac ſingulas donare nomine, vel ad inventionis captandam gloriolam, vel ad reliquorum Anatomicorum nominibus ignaviæ notam inurendam; tantùm enim ab noſtro id abeſt ingenio, ut ad Anatomen dumtaxat promovendam, noſtras nos contuliſſe Obſervationes, qui nos norunt, probè intelligant. Per has ſiquidem factum cenſeo, ut quidlibet, jure ſuæ parti adjudicetur: atque diverſis nomenclaturis id dignoſcatur rectiùs, quod antea, nec quid foret, nec qualem præſtaret uſum, nitidè internoſcebatur.

*Par novum Hypero pharyngæum.*

§. XIV. Gloſſo-ſtaphylinum par Valſalvæ ſedulitate detectum, atque Vvulæ donatum, utpotè tenue, atque exile, vix ita perſequi potui, ut ſingulare quidpiam in eo mihi adnotandum occurrerit. Cujus tamen fibræ omnes, quum ad id loci pertingant, quem mobile Palatum dicere conſuevimus, ad id ipſum deorſum vellendum, & in priora protrahendum potiùs, quàm ad Columellam producendam datæ videntur: itaque in Gloſſo-palatinum, nomen foret commutandum. Memini tamen in craſſiori ſubjecto ita earum fibrarum inceſſum adnotaſſe, ut minor earum numerus, ad teretem, ac deſcendentem Columellæ muſculum applicari videretur, major autem ad ſuperiora paulùm provectus, cæteris aliorum muſculorum incurvis fibris immiſceri; quæ utrum eò terminarentur, an unà cum reliquis, tenuatæ quidem, ſed conti-

*De Gloſſo-ſtaphylino, ſeu Gloſſo-palatino.*

continuæ in oppoſitum latus perductæ detorquerentur, atque ad idem in adverſum Linguæ latus contenderent principium: etſi ſubobſcurè quidpiam vidiſſe viſus ſum, quum non ſatis aſſequi potuerim, pro comperto proponere, non audeo. Quamquam id mihi multò probabilius eſt, quum nullum hucuſque viderim, prout recordor, muſculorum extremum, ubi id ad ſolidam quampiam partem non pertingat, illique non adnectatur, ultra non progredi, & ſimulato termino, porrò non pergere, & ad terminum contendere ſuum: quod tametſi indicavimus, id fuſiùs deinceps nos demonſtraturos eſſe confidimus.

*Salpingo-ſtaphylini, ſeu Salpingo-palatini.* Ibidem. Obſer. An. §. XV. Quamquam Anatomicorum plurimi, qui perfunctoriè, ac majori diligentia muſculorum diſſectionem ſunt perſequuti, Pterygo-ſtaphylinum nominarunt, quem rectiùs Salpingo ſtaphylinum Clar. nuncupavit Valſalva: non tamen in id omnes prolapſi ſunt; quoniam Falloppius potiſſimùm ab eo ipſo loco, unde Auctor noſter, ſeu à Tubæ vicinia, eum deducit: de quo quædam incidunt animadvertenda. In triplicem, hunc dirimi faſciculum, ex noſtris diſſectionibus apertè comperimus: quorum laterales tenues ſunt, medius autem multò plenior. Inferior ad Columellam demittitur, atque inter hunc, & medium, aliquot ex iis fibris ſe conjiciunt, quæ ad Narium diſſepimentum provehuntur. Medius autem craſſior faſcis in plurimam inferiorem, ſeu priorem penduli Palati faciem diffunditur; atque hujuſce potiſſimùm fibræ, non modò „ fibris comparis muſculi quaſi continuantur „ verùm earumdem adeò perſpicua, & evidens continuatio deprehenditur, ut unus planè, continuatuſque muſculus, dici mereatur. Poſterior verò ſuperior faſciculus ab reliquis deſciſcens, perſpicuè in adjunctam Palati oram, prope interiorem Pterygoidis alam, ſæpè tendineus inſeritur. Quod idcircò fortaſſe factum arbitror, ne, dum per validam illius muſculi contractionem, ea pars ſurſum, & in poſteriora adducitur, ſeu ita per vim divellatur, ut partes moleſtè ſentiant; ſeu ita attollatur, ut vel in deglutiendis cibis, magis ad ſuperiora, quàm ad inferiora ſternatur aditus, vel potiſſimùm in gravioribus edendis vocibus, ſic inconcinnè trahatur, ut vitiata mira utriuſque Palati conſona cavitate, minùs poſ-

*Triplex faſciculus.*

*Fibrarum continuatio.*

Idem cap. 2. n. 19.

ſit.

ſit ad modum vocis accommodari. Hunc igitur muſculum, quem penè fuſum ab ima ad ſummam penduli Palati partem propoſuimus, ne vix quidem in ullo ex datis Valſalvæ Iconibus dignoſcere poſſumus; quum neque ejuſdem amplitudo, neque diviſio, neque inſertio cernatur; non amplitudo: quum is teres, & tenuis exhibeatur; non diviſio: quum unicus & ſimplex; non tamen, aut poſitus, aut inſertio: qui quaſi continuus, ac nuſpiam adhęrens, non modò in v., & vi. Tabula, ſed neque, ubi commodè id effici poterat, in iv. ſcilicet, proponitur. Etſi quædam in iſtis quoque deſiderantur, fuſum tamen, disjectumque, nec velut Oſſeæ Palati oræ protenſum, multò antea veriſimiliore imagine commonſtravit Tabula 42. Fig. 4. & 6. Exercitatiſſimus Euſtachius. Tametſi per hunc potiſſimùm Orificium ad Nares occludi non negaverim: ne aſſumpta alimenta, inter devorandum, illud inferantur; & ſuam tamen ad id operam conferunt, tùm noſtri Salpingo-pharyngęi, & Hypero-pharyngęi, tùm Pterygo, & Mylo-pharyngęi: non modò pendulum Palatum elevando, ſed tùm lateralem, quà poſticam Pharyngis faciem ad illud adducendo, contrahendoque. *Amplitudo, diviſio, inſertio.* *Uſus.*

§. XVI. Quem tandem vel Peritiſſimi Anatomici prætermiſère muſculum, Vvulæ Azygon, ſummus detexit Anatomicus, eumque ita aptè nominavit Morgagnus. Quum hic de eo, unum, aut alterum verbum dicat, ſatis illum eo loci indicaſſe ratus de quo diſertè in epiſtola hactenus inedita „ data nuper „ jam tum, ut ait, in Primis nempe Adverſariis „ ad Cl. Antonium M. Valſalvam „ verba fecit. Quumque ſatis ſuperque fuerit Clariſ. Heyſtero „ à tergo corporis Vvulæ ſitum, valde tenuem, & teretem tandem offendiſſe „ mihi nunc penſum ſupereſt, qua is ratione ſe habeat, ex repetitis diſquiſitionibus proponere. Hunc, quocumque in ſubjecto quæſitum (quæſivi autem ſæpè) ſemper teretem quidem, & tenuem, comperi muſculum. Is penè ab Oſſea Palati ora, quà Narium ſeptum imminet, inter muſculos Hypero-pharyngęos, ſupra Salpingo-Thyro, ac Gloſſopalatini fibras, per poſticam mobilis Palati faciem, ultra imam illius oram tranſverſum digitum, ſiſtitur; quà, multò gracilior fit, ac proximiùs confertis Glandularum acinis, ex- *De Azygo muſculo.* Comp. An. Præf. p. 24. *Deſcriptio.*

teriùs

teriùs laxa tenuique membrana circumfunditur. Atque hæc ea moles eſt, quam tot nominibus Gargareonis, Gurgulionis, Uvæ, Vvulæ, Columellæ, Veteres donavere: quamque ſæpiùs, aut malè affectis, ac turgentibus circumſitis Glandulis, ultra juſtum modum proferri, aut interdum in Celtica eaque vetuſtiore Lue vexatis, exedi obſervant Clinici. Uno, ſimplici muſculo, unde ejuſdem nomen, Columellam formari, ſi primo oculorum intuitui credimus, dicendum eſt; Sin autem ea, vel inquirantur, vel offendantur Cadavera, quibus ampla illa Organa ſint, aliter ſentiendum eſſe videtur; etſi is unus in Brutis, ac ſimplex muſculus apparet; quæ quamquam, ad Anatomen, ſive illuſtrandam, ſive detegendam, aliquid quandoque præſtare, non negaverim: non idcircò tamen, ex iis, in noſtram, non collata priùs diligenter diſquiſitione, quidquam eſſe traducendum cenſeo; quum maximè & organorum diſcrimina, & uſuum diverſitas, id improbent: quod fuſiùs perſequi opus non eſt. Hunc igitur Columellæ muſculum, non ex Brutorum faciliori Anatomica diſquiſitione unum omnino, ac ſimplicem eſſe dicendum puto; eum ſiquidem in vaſtis corporibus transverſim prope ſuperiora, infra tamen ejus tendineum principium, diſſectum, ſic perſpicuè, nulla manus vi, aut ſcalpelli dirimente induſtria, in geminas velut extantes papillulas diductum vidi, ut eum duplici quaſi cylindro compingi animadverterim. Quæ etſi vera ſunt, uti nos ſumus vidiſſe viſi, non ob id tamen à Præſtantiſſimo Anatomico, jure & rectè inditum Azygos nomen eſt commutandum, quum is vel unus revera ſit, vel unius ſpeciem exhibeat. Ut cæteri quique muſculi, & is in contractionem ex Hominis arbitrio venit; quo ſive prolabente, ſive contracto, reductoque, probè intelligitur, quantum unà cum reliquis conſpirantibus Organis, vocum, & ſonorum diſcrimen habeatur; hoc ſiquidem, aut ferramento exciſo, aut tabo exeſo, rauca effari voce ii deprehenduntur; quibus verò tumidus plurimùm deducitur, fuſca velut vox elici ſolet. Quare cum Diſertiſſimo Fernelio Columella „ voci ad ſuavitatem, atque moderationem, velut plectrum, conducibilis „ data videtur.

*Nomina.* *Vitia.* *Uſus.* De Part. Corp. Hum. cap. 8.

§. XVII. Porrò ad voces, ne Laryngem dumtaxat, aut Columellam conſtructam credamus, nam & ſuperos quoſque Pha-

*Et ſummos Pharyngis muſculos ad vocē conferre.*

Pharyngis muſculos ad eas plurimùm conferre, is intelliget, qui varios eorumdem motus, pro vario vocum ſono, in hiantis Os introſpexerit. In gravioribus enim, quemadmodum partes omnes in Larynge diducuntur, ſic in Pharynge explicantur univerſæ: præ cæteris maximè, tantùm in gravi ſono Hypero-Pharyngæum expanditur, quantùm in acuto adducitur: atque in iſtiuſmodi ſonis, minimùm Salpingo-Palatini, ſeu Staphylini contrahuntur, tum validiſſimè Gloſſo-Palatino operante; Quum contra hoc inerti, ii in vehementem contractionem in gravioribus veniant, ſic, ut poſtrema mobilis Palati ora ad poſticam Pharyngis faciem quàm proximè adducatur; quo amplior fit Palatini Fornicis capacitas, cujus potiſſimùm cavitatis, & amplitudinis modus ad ſonorum diſcrimina conducit. Hinc in Fæminis, præter cæterarum partium, quæ voci datæ ſunt, exiguitatem, non modò ampla minùs Palati cavitas eſt, ſed ne in profundioris Fornicis quidem modum compoſita: qualis in Viris obſervari plurimùm aſſolet. At quum ſingula pro dignitate exequi, & ſummi laboris ſit, & ab noſtro propoſito alienum; aliò me traducam, & de Pharyngis Fornice, de quo minùs antehac actum eſt, quædam ſubiiciam.

*In Viris Palati convexitas major, in Fæminis minor eſſe velit.*

*De Pharingis Fornice.*

Hic, ſub priore, ac retuſo Occipitis proceſſu ſitus, cartilaginoſa Euſtachii Tubarum extrema interiacet, poſteriùs Pharynge, priùs verò Narium ſepto, & cavitatibus terminatus. Denſa, craſsaque membranà obtegitur, plurimis cumulatà Glandulis, è quibus ſpiſſior mucus deſtillat. Hanc in læves cavitates, quodam velut ordine compoſitas, aliquando diſcretam offendi, aliquando in inordinatos loculos diductam, aliquando ſic cavernoſam reperi, quæ conſpicuis oſculis, ac profundioribus ſinubus, propemodum Tonſillas æmularetur, è quibus pronum fuit mucoſum humorem ellicere: cujus ſi redundet proluvies, eam ſic affecti prolabentem percipiunt, quaſi ex edito Capite, aut è Cerebri penetralibus diffluentem. Hujus aut lævem, aut ſpongioſam, aut probè in loculos ordinatam ſuperficiem, non ſolùm ad vocis modum, & ſuavitatem conferre; ſed plurimùm, ubi ea malè habeat, proximarum partium vitiis ſubſervire arbitror: quę quum minùs oculis pateant, neque in denatis inquirantur, minùs autem inter ornata Clinicorum Conſilia agitari conſueverunt.

§. XVIII. Ne quid autem eorum, quæ ad Pharyngem quadantenus pertinent, atque à nobis obſervata ſunt, deſideretur, ad imam hujuſce partem deſcendam: ac de Oeſophago nonnulla ſubjiciam, ad hujuſce partis Anatomen illuſtrandam, & ſi plurimùm ego non fallor, ad quaſdam fortaſſe dirimendas controverſias accommodata. Imam igitur Pharyngis muſculorum partem, quam Vetuſtiores Anatomici Oeſophagæum dixere, quæque ab inferis Cricoidis lateribus proficiſcitur, duplici fibrarum ſtrato compingi, eaſque duplici ordine progredi, ex Tabulis Cl. Valſalvæ, cui id Cricopharyngæum dixit, perſpicuè cognoſcitur. Illarum exteriorem fibrarum ordinem, ſeu ſtratum, ad ſuperiora paululùm vergere, atque medio, ut jam retulimus, decuſſari, & facile eſt attendenti conſpicere, & facilius nobis fuit, optantibus demonſtrare. Alter verò inferior fibrarum ordo, dimidiati orbis in modum, ſive imam Pharyngis partem, ſive ſummam Oeſophagi circumvallat. Earumdem autem tertius, etſi eodem plano comprehenſus, atque productus, vel utpote detectu deſſicilior, ab eodem Valſalva non animadverſus, vel utpote extra propoſitam ſibi tractationem prætermiſſus, neque ab alio, prout novi, memoratus, ab eodem Cricoidis latere, acuto deducitur utrinque principio: cujus lacertoſæ fibræ paululùm inclinatæ ad Oeſophagi principii poſteriora mutuò ſibi occurrunt, ac in adverſum latus, peracta eo loci decuſſatione, æquè ferè inclinatæ proficiſcuntur: Cujus ubi priorem faciem, paulòque inferiorem attigerunt, denuò decuſſatæ, in poſteriora rurſum utrinque commeant: atque ea ratione ad Spiræ inceſſum circumfuſæ, in Oeſophagi inferiora ſenſim, paulatimque demittuntur. Id non in Brutis dumtaxat Animantibus detectum propono, verùm in humanis cadaveribus ſæpiùs ſcrutatum, ac perpetuò primis diſquiſitionibus reſpondens exhibeo. In Brutis quidem, ut ab nonnullis Claris Anatomicis Brutorum magis, quàm Hominum confectioni, eorumdem fortaſſe inopia, addictis, propoſitum fuit, non modò luculenter cognovimus, verùm, ex eorumdem Anatome, in noſtram id ipſum invectum, vehementer ſuſpicamur; quod nos, præ cæteris Animantibus in Vituli Marini Oeſophago evidentiſſimè conſpeximus, qui duplici, decuſſa-

*De Oeſophagi principio, & fibrarum inceſſu.*

Ibidem.

*Triplex fibrarum ordo.*

*Fibra Oeſophagi ſpina in modum ducũtur.*

*Quod evidentiſſimum in Vitulo Marino.*

cuſſatoque Spiræ in modum incedentium fibrarum ſtrato ; ſummà elegantià compingitur.

§. XIX. Unde autem de eorum ductu, qui quidem conſtans, & perpetuus eſt, in Exercitatiſſimis alioquì Anatomicis variæ exortæ ſententiæ ſint: ex iis, quæ mox ſubjiciam, perſpicuè, puto, dignoſcetur. Dum igitur memoratæ Oeſophagi fibræ ab latere Cricoidis prodeuntes in poſteriorem, inferioremque partem demitti incipiunt, nonnullæ ex iis plùs, nonnullæ minùs inclinantur: atque cum oppoſitis ad angulum obtuſum primùm poſteriùs decuſſantur ; quæ deinde in priora ductæ, ac ſenſim inclinatæ, ad obtuſiorem itidem angulum ſibi mutuò occurrentes, iterum decuſſantur, atque quò inferiùs circumferuntur, eò minùs inclinatæ in adverſum latus, cum oppoſitis decuſſatæ detorquentur : ut & lynceis penè oculis, non ſpiræ, ſed orbis ſpeciem, ſeu circuli exhibeant. At quum id infra Oeſophagi principium incidat ; accuratiùs tamen ſcrutanti, circa ſuperiorem ejuſdem partem aliter eam rem ſe habere, evidenter demonſtravimus. Hinc ulteriùs intelligitur, minùs veritati congruere eos Icones, qui, quamlibet Oeſophagi partem, æquum in modum inclìnatis, decuſſatiſque fibris compingi, ſignificant; quum is decuſſationis, ac inclinationis modus in ſumma dumtaxat humani Oeſophagi parte conſpiciatur. Neque ulla id arte conſequitur ; Sed in lacertoſi Viri Oeſophago, tùm in priore, quà poſteriore ejuſdem facie, ubi minor exiſtit fibrarum rectarum numerus, ſi præclaro lumine partes eæ inſpiciantur, extimis tantummodò purgatæ membranulis, quod à nobis propoſitum fuit, in conſpectum dabunt.

*Fibrarum ductus in ſummo Oeſophago inquirendus.*

§. XX. Quamquam minùs de rectis Oeſophagi fibris inter Anatomicos diſceptetur, de iiſdem tamen habitam obſervationem præterire, non eſt conſilium. Has adamuſſim non rectas eſſe, facilè inſpicienti conſtabit : atque eodem intuitu deprehendetur, non omnem Oeſophagi partem ab iiſdem circumvallari: Nam quum eæ ex priore Oeſophagi facie, Cricodis dorſo innexæ oriantur, ac inde productæ ad inferiora deducantur : protinus utrumque percipietur, ab iis ſcilicet nec univerſam ejuſdem partem obduci, neque in rectum planè protendi. Hæ ſiquidem gemino, acutoque principio à po-

*De Oeſophagi rectis fibris.*

ſtica inferiore Cricoidis ora derivatæ, ad latera ſenſim divaricantur, atque ibidem, craſſiori agmine deorſum productæ, ſummam Oeſophagi poſteriorem partem prorsùm deſtituunt; ad quam leviter inferiùs incurvatæ, atque utrinque ad priora itidem diffuſæ, circa aſperæ arteriæ diremptum, ex æquo omnem Oeſophagi ambitum circumeunt. Hinc circa ejuſdem poſticæ partis principium, nullæ rectæ occurrunt, circa priorem verò faciem, ſub rectarum exortu nullæ obliquæ in ſpiræ modum circumfuſæ deprehenduntur. Hæ etenim ubi in priora primò detorquentur, ſic inclinari opus habent, ut ſummam, prioremque Oeſophagi faciem, ab iiſdem intectam relinqui oporteat; rectæ autem, quarum prior exortus eſt, cum ad poſteriora vergunt, ſic infra principium ad poſticam faciem convertuntur, ut eam nullo pacto obducere queant, atque ea ratione, ſicut prior Oeſophagi pars ab obliquis intecta, ſic poſtica ab iiſdem rectis penitùs ſpoliata occurrat. Ex quo clarum factum arbitror, quo ſcilicet pacto, utraque cavi hujuſce muſculi actio contingat; quoniam Cricoidi, tamquam immobiliori termino geminus fibrarum ordo alligatur; Dum uterque in contractionem venit, tùm Oeſophagi longitudo decurtari, quà ejuſdem cavum contrahi, atque contenta, circumprimente fibrarum actione, tamquam propellente manu, in inferiora devolui neceſſe habent.

*Ortus utriuſque ordinis, & actio.*

OB-

# OBSERVATIONES ANATOMICÆ

## CAPUT VIII.

### *De iis, quæ intra Thoracem ſunt.*

§. I. PAuca quidem, nec prorsùs anatomica ſunt, quæ intra Thoracis cavum animadvertenda habemus: ejuſmodi tamen, ut à propoſito noſtro non ſimus plurimùm diſceſſuri: quippe quæ, ſi non omnino anatomica ſunt, anatomicis certè obſervationibus erunt ſuperſtructa. Binas in caveas dirimi Thoracis amplitudinem palàm eſt, eas verò diſparis eſſe capacitatis, is intelliget, qui & ſæpè, & ſedulò in earum partium contrectatione verſabitur. Mediaſtinum ſiquidem, ea videlicet interioris lamellæ Pleuræ productio, quæ ex interiori omni Sterni longitudine deducta, in priorem Vertebrarum Dorſi partem confertur, non ita ex æquo id cavum diſcernit, ut illud in peræquas partes diſpeſcatur; verùm ubi ab Sterni ſummo illa demittitur, ſic ſæpiſſimè in ſiniſteriorem partem inclinatur, ut evidentiſſimè utriuſque caveæ inæqualitas deprehendatur; ac pariter illius diſcriminis ratio innoteſcat. Hæc namque duplex eſſe poſsè mihi videtur: altera ſcilicet, ob quamdam Pulmonis loborum inæqualitatem: inſequens autem, propter Cordis, atque adeò Pericardii obliquum, ſeu maximè inclinatum poſitum. Pulmonis loborum inæqualem magnitudinem indicaſſe Natura videtur, quæ bifariam minorem ſiniſtrum lobum diviſerat, dextero, utpotè majori, tripartito; jam tum animadvertente Galeno, ac ſecundùm eum, vetuſtioribus Anatomicis: quod in Brutis magis conſpicuum eſt, unde cum eodem Galeno, Aſſeclæ didicere, inanem puto hujuſce rei rationem

*Thoracis cavitates inæqualiter diſcretæ.*

*Unde id, & cur.*

tionem commenti; cognovit tamen id ipſum in Homine, & propoſuit, nemine fortaſsè prçmonſtrante Celeberrimus Ruyſchius, (Theſ. Anat. 9.) quod multò antea Euſtachius animadverterat, Tabulæ xv. ſingulis vi. Figuris luculenter teſtantibus. Minorem quidem ſiniſtrum Pulmonis lobum præ contractiore caveæ ſpatio neceſſariò eſſe intelligimus; At neutrius tamen rationem planè percipimus. Quod utrumque, tum maximè aſſequemur, cum ſectis utrinque ad Sterni latera Coſtis, eoque diducto, atque elevato, utriuſque protinus Pulmonis prior proſpectus in oculos incurret; quo uno loborum poſitus, & inæqualis molis ratio percipietur; quoniam dexter rectà ſubter Sternum productus, per Thoracis priora in viciniam Diaphragmatis deducitur; ſiniſter verò, præterquamquod ab Sterni medio in ſiniſteriorem paulò partem declinat, ubi ad Cordis verticem accedit, adeo in latus flectitur, ut Cordis conum intectum prorsùs relinquat: quod declarat planè, non modò locum illius lobi deflectus, verùm etiam rationem penè demonſtrat: Ne ſcilicet ab allidente eo loci cordis vertice, vel perpetuò pateretur Pulmo, ſi ibi adeſſet, ne vel eo Cordis motui commodum ſpatium adimeretur. Id omne itaque ob maximam Cordis poſitus obliquitatem comparatum eſt, unde altera, quam ſupra poſuimus, emergit ratio: qua ſcilicet Mediaſtinum ſiniſtrorſum vergat. Quum etenim per hoc Pericardium dorſo, & Sterno copuletur, atque firmetur, congruentius opus eſſe videtur, ut illud quàm maximè Pericardio conſulat: quod commodiùs quidem efficitur, cum ſiniſtrorſum inclinatur Pericardio obſequens, quod ab Cordis poſitu plurimùm in eam partem abducitur. De Pericardii Glandulis, quædam ante animadvertere opus eſt, quàm ab eo dimoveamur, vel ut ea confirmentur, quæ ab Diligentiſſimis Viris de illius humoris fontibus propoſita ſunt; vel ea elidantur, quæ vel novam excretionis rationem comminiſcuntur, vel locum longè alium iis fontibus aſſignant. Nullas Glandulas in Cordis baſi comperimus unquam, nullas in Pericardio aut figura, aut mole conſpicuas deteximus; verùm creberrimos in hoc porulos, ſic ſæpè nobis licuit obſervare, ut omni proculdubio, inde humorem deſtillare, ferè non dubitemus. Quos quidem, neque facilè, neque in quocumque ſubjecto offendimus; verùm in iis

*Loborum Pulmonis poſitus, & ratio.*

*Cordis obliquus poſitus.*

*Glandula nulla in baſi Cordis, nulla conſpicua in Pericardio.*

dum-

dumtaxat, quibus, ob potiſſimùm Cordis vitium, incidit interitus: ubi ob plurimam Cordis molem, vel craſſiſſimum Pericardium, ſeroque refertum, ita eos nobis porulos conſpicuos præbuit, vel ob humoris affatim deſtillantis copiam patulos, vel ob ejuſdem acritatem exeſos quodammodò, & adauctos, ut ea folliculorum, etſi minùs viſibilium, oſcula tamen eſſe, pro certo habeam. Eos autem nullo locatos ordine deprehendi: variam quidem magnitudinem ſic, ut ex maximè patulo, levem humoris guttulam aliquando expreſſiſſe recorder.

§. II. Quamvis nonnulla, ſive de Cordis ejuſque vaſorum poſitu (quod paucioribus rectè Tabulis exhibetur) ſive de binis ejuſdem cuſpidibus, quarum vix ullum aliquando veſtigium, ſive de lacertoſarum ejuſdem fibrarum inceſſu eſſent animadvertenda, ſatiùs eſſe ea attingenda duximus, quæ à Nuperrimo Clariſs. Auctore, tamquam propugnatæ ſententiæ fundamenta habita ſunt, & propoſita: quæque potiſſimùm circa Auricularum, Cordis, vaſorumque magnitudinem verſantur. Tantò hæc fidentiùs proferimus, quantò à Solertioribus Viris minùs improbari videbantur, dum in gliſcentem ſententiam hæc ferè eadem in Anatomica Exedra anno ſuperiore diſputavimus. Præclariſſimus itaque Auctor, attenta cum Auriculæ Cordis dextræ ſupra ſiniſtram, tum Pulmonaris arteriæ ſupra Pulmonarem itidem venam magnitudine: eoque preſſiùs animadverſo, nullam arteriarum ſocia ac deferente vena, præter arteriam eam Pulmonarem, majorem eſſe: cæteriſque fortaſse in hanc rem facientibus (quæ minimè anatomica ſunt, nec adeò hujuſce loci) ſedulò penſitatis: non ſuſpicatus eſt modo, verùm in Pulmonibus ſanguinem ab aere denſiorem effici, decernere non dubitavit; atque hoc uno aſſerto, non ſolùm veritatem eſſe aſſequutum duxit, verùm etiam luculentiſſimam inæqualium, tùm Auricularum, tùm Pulmonis vaſorum, tùm denique cæterarum venarum omnium ſupra arterias, magnitudinum rationem expoſuiſſe autumavit. Sanguis ſiquidem, juxta prælaudati Auctoris mentem, quum in arteriis omnibus denſior, ac ſpiſſior ſit, quàm in reducentibus venis, in quibus rarior exiſtimatur, minorem continentis vaſis capacitatem in arteriis, quàm in venis requirere certò videbatur; quum is ipſe, poſt Pulmonum trajectum, ſpiſſior multò ſit,

*Num ſanguis ab aere intra Pulmones denſior evadat.*

tùm

tùm in Pulmonari vena, quà in adjuncta ſiniſtra Cordis Auricula, quàm ipſe foret in Pulmonari arteria, atque adeò in dextera auricula; nullus, his poſitis, ne ſuſpicari quidem poſſe videtur, quin res eo modo ſe habeat: ac ob eam imprimis cauſam, diverſam vaſorum, ac Auricularum magnitudinem confictam fuiſſe. At vel is Anatomen diligentiùs conſulere, prætermiſit, vel nos nimiùm fuimus circa hujuſmodi obſervationes, contra atque elaboratum fuit, hallucinati. Siquidem per Anatomen tantùm, non modo ea ſententia refellitur, verùm etiam præclarè inæqualitatum omnium ratio ſubjici facilè poteſt. Itaque ei primùm dabimus operam, ut quanta ſit Auricularum, Ventriculorum, Vaſorumque Cordis magnitudo decernatur; Deinde quid adversùs auctoris ſententiam ex iis ſit hauriendum; tandem quid iisdem rectiùs opinari poſſit, producemus.

§. III. Quum cavitatum Cordis, atque Auricularum magnitudinem aſſequi non accuratiùs poſſe, ratus ſim, quàm contentorum in iiſdem ſingillatim ponderibus inſtitutis: Cor hominis boni habitus probè circa eam partem ſe habentis ſumpſi examini ſubjiciendum. Id unius pondo erat cum annexis auriculis, eaque vaſorum portione, qua dumtaxat ad hanc rem opus erat. Aqua itaque dextram auriculam, dextrum pariter ventriculum prorsùm implevimus ſic tamen, ut quidquam intra adjunctos vaſorum truncos non redundaret, idque lanci impoſitum, deducto cordis pondere, decem omninò uncias pendebat; Eodemque in læva cordis parte confecto, octo dumtaxat uncias pendere comperi. Circumciſis deinde, ac obtruncatis auriculis, utrumque ſeparatim ventriculum eodem modo implevimus, ſeorſumque lanci impoſitum ſingulorum omnino contentę aquę pondus æquum erat, quum uterque ſingillatim dracmas duas ſupra uncias quinque aquę comprehendiſſet. Ex quo facilè colligitur, tantumdem ferè dexteram auriculam continere, ac ſingulos ventriculos, eorumque parem eſſe capacitatem; Dextram verò auriculam ad ſiniſtram ea ſe ratione habere, ut 5. ad 3. Hìc tamen adnotatum volo, me eam omnem capacitatem, quæ citra utriuſque Cavæ, aut pulmonaris Venæ orificia eſt, auriculis adjudicare. Aliam autem ad vaſorum cordis diametrum habendam, rationem adhibere,

*De menſuris Cordis cavitatum.*

*Æqua Ventriculorum, & dextræ auriculæ capacitas.*

*Auricula dextra ad ſiniſtrã ut 5. ad 3.*

hibere, neceſſe fuit, qua quantò potuimus accuratiùs deſumpta, id habuimus denique, quod ſolerti opera Amiciſs: Viri, ac Sereniſs: Venet: Reipub: Math: Cel: Bernardini Zendrini firmatum proferimus. Corrivantis igitur in dextram auriculam Venæ Cavę inferioris diametros erat lin. 12 $\frac{3}{11}$; ambitus autem ſeu Peripheria lin. itidem 38 $\frac{3}{7}$. Superioris verò Cavę diametros 8 $\frac{10}{11}$ Peripheria 28 Pulmonis Arteriæ mox ſupra valvulas diametros erat lin. 13 $\frac{5}{7}$: Peripheria 43. Porrò Venæ pulmonaris quum non unum emiſſarium, ſeu oſculum ſit, ſed quatuor ſeorſum truncis in auriculam ſiniſtram confluat; primùm ſingulorum magnitudines proponemus, tum quanta ſit univerſorum capacitas, ac ratio ad cætera vaſa, videbimus. Hujus venæ rami bini ab dextro totidemque a ſiniſtro latere deducuntur, quorum ſuperiores exteriores ſunt, bini autem inferiores ex interiore magis parte locantur. Dextri igitur ſuperioris, & exterioris diametros lin. 6 $\frac{9}{11}$: Peripheria 21 $\frac{3}{7}$ erat; Socii autem inferioris, & interioris Diam. lin. 5 $\frac{9}{11}$: Periph. lin. 17. ſiniſtri verò lateris ſuperioris trunci, atque adeò exterioris, cujus perpetuò major amplitudo eſt, diam. 6 $\frac{11}{11}$: Periph. lin. 21. Inferioris; interioriſque 6 $\frac{1}{11}$; Periph. lin. 19. Aortæ autem Arteriæ ſupra Sygmoides valvulas, ac coronariarum arteriarum ortum diametrum tantam prorsùs reperi, quantam in Arteria pulmonari deprehendi. Ratio itaque omnis Diametrorum, & peripheriarum facilè patet, quum Arteriæ pulmonaris atque adeò Aortæ ad utramque ſimul cavam ut 7744. ad 11935.; ad Diametrum autem univerſorum pulmonaris venæ truncorum, ut 2112. ad 3843. Harum verò arteriarum Pulmonaris ſcilicet, & Aortæ capacitas ad eam omnem pulmonaris Venæ truncorum ita ſe habet, ut 188. ad 156. ſeu ut 47. ad 39. Ad utriuſque verò Cavæ capacitatem ea ipſa arteriarum ſe habet, ut 188. ad 228. ſive ut 47. ad 114.

*Singulorum Cordis Vaſorũ dimenſiones, capacitates, ac inter ſe rationes.*

§. IV. Quæ quidem poſuimus, non ut tantummodo ea facilè refelli poſſint, quæ circa horum vaſorum inæqualium magnitudinum cauſam commentus eſt Auctor Celeber:, ſed vel ut cæteri diligentiores Anatomici diſquirant; utrum ea firma, & perpetua ſint, an in corporibus integris (de horum enim partium vitiis non loquimur) eadem vigente earum partium ſanitate, non levis, (quæ vel artificis aliquandò error,

T vel

vel naturæ conſilium eſſe poteſt ) ſed magna interdum varietas habeatur, quod vel ad judiciorum modum, vel ad diverſam methodum excogitandam conferre plurimùm poteſt. Ut autem id exequar, quod deinde mihi faciendum propoſueram; illud protinus perpendendum eſt, quod circa cavitatum, vaſorumque cordis magnitudinem ſupra animadverti. Rectè ſcilicet ab eo ſancitum eſſe dexteram auriculam ſiniſtra, pulmonarem arteriam pulmonari itidem vena majorem eſſe. At non ob id tamen continuò, ac neceſſariò conſequitur, in majoribus iis rariorem ſanguinem eſſe; ſpiſſiorem adeoque minore loco contentum in contractioribus contineri. Qui dum ea velut ſpontè oblata collegit & prodidit, cætera vel perfunctoriè advertiſſe viſus eſt, vel cum reliquis comparare prætermiſiſſe. Quandoquidem igitur rarior ſanguis, qui in Venis ac citrà pulmones eſt, ampliorem requirebat dexteram auriculam ſiniſtrà, arteriam itidem pulmonarem compari vena pulmonari; Quamobrem non pari neceſſitate capacior dexter ventriculus ſiniſtro datus eſt? quos nuper æquales eſſe monuimus. Præterea ſi quò longiùs ſanguis è pulmonibus abſcedit, eò rarior eſt ob aeris ſcilicet evaneſcentem vim, quæcumque tandem ea ſit, in pulmonum trajectu impreſſam; Is rarior quidem, paulò licet, in Arteria pulmonari ſit, quàm in utraque cava, neceſſe eſt; atque adeò ſi ea raritatis ratio efficax eſſet, utraque cava ampliorem futuram fuiſſe Pulmonarem Arteriam nemo inficiaretur; Atqui (ſi vera ea ſunt, quæ ſupra poſuimus) Pulmonaris Arteria non modò major non eſt utraque Cava, quod ab Auctoris ſententia requiri videbatur; verùm ſic ea utraque cava minor eſt, ut utriuſque cavæ capacitas ad pulmonaris Arteriæ capacitatem ſic ſe habeat ut 228. ad 188, ſeu ut 114. ad 47. quod maximum profectò diſcrimen majorem ſanguinis raritatem utpote earum rerum cauſam vehementer improbat. At ſi quid fortè de æquali Ventriculorum amplitudine, ut de inæquali utriuſque cavæ, & pulmonaris Arteriæ capacitate pro ea tutanda ſententia comminiſci aliquando poſſet; Quid porrò de utraque Arteria, pulmonari nempè & Aorta, quarum æqualis diametros eſt, supereſt excogitandum? quarum quum diſpar longè ratio ſit, in pulmonari ſiquidem rarior, in Aorta denſior ſanguis eſſe debet; Nihilo

*Si auricula dextra major ſiniſtra, & Arteria pulmonaris major vena compari eſt, num & dexter ventriculus ſiniſtro major eſt?*

hilo tamen minùs par utriuſque amplitudo ſupra fuit à nobis animadverſa, quæ ſanè, ſive ſingula, ſive univerſa ſic eam ſententiam hac una Anatomica ratione elidere videntur, ut vix aliud vel evidentiùs excogitari, vel firmiùs extra rem noſtram proponere ſupervacaneum cenſeam.

*Ratio cordis cavitatũ inæqualis capacitatis.*

§. V. Reſtat nunc quod poſtremò nobis abſolvendum erat, ut de Naturæ conſilio in iis partibus compingendis tum magnitudine, tum poſitu, quà validitate diſcrepantibus quicquam attingamus; etiamſi id minimè propoſitum noſtrum anatomicum poſtulat; Ex quibus nonnulla idcirco potiſſimùm proponemus, ne aliena potius videamur evertendi artem callere, quam de noſtro exſtruere valeamus. Ut autem eorum quæ ſumus expoſituri facilior perceptio habeatur; id præmonendum eſt, quod fortaſſe ſine ulla contemplationis vi aſſequi omninò poteſt: Non æqua aut velocitate, aut copia quocumque reſpirationis tempore ſanguinem per tenuja potiſſimùm pulmonum vaſcula trajici; perſpicuum arbitror; ſive id ex eorumdem pulmonum munere, & vi colligatur; ſive oculorum judicio, dumtaxat habeatur fides. Dum enim quis diutiùs aut reſpirationem cohibet, aut concitata ediſſerit oratione, tamdiu ei jugulares venas turgere cernimus, quoad intermiſſa pauliſper oratione, inſpiratoque uberiùs aere, ſubito eæ decidunt atque flacceſcunt. Sin tardioris hujuſce ſanguinis motus, ſeu ejuſdem inęqualitatis rationem aveat quis intelligere, ex duplici dumtaxat fonte eam eſſe hauriendam autumo. Ex inæquali ſcilicet ſpiritus vi, & pondere pulmonis veſiculas diſtendente, atque adeo inæquali momento ſanguinis vaſcula premente. Quum tanta eſſe poſſit aeris momentorum inæqualitas, ut ſanguinis motum aliquando urgere, aliquando retardare, nonnumquam, & omninò tollere queat; quum ſcilicet ejuſdem ſpiritus tanta preſſio ſit, ut vaſculorum latera ad mutuum contactum adurgeantur, atque ſic aliquantiſper detineantur, palam profectò, eſt non ſingulis æquè temporibus premi vaſcula ſanguinis debere, dùm nempè aut inſpiramus, aut expiramus, ac ab utroque ceſſamus motu, quod quidem tertium reſpirationis tempus eſt. Quoniam igitur pro vario reſpirationis tempore, diverſa ſunt, ſeu inæqualia aeris ſupra pulmones momenta, & inæqualis ſit ſanguinis vaſorum preſ-

*Sànguinis motus inæqualitatis duplex ratio; altera ab aere.*

*Tria reſpirationis tempora.*

ſio, ſeu varia ejuſdem, & celeritas, & inęqualis trajectus copia, neceſſe eſt; Quæ ultrò, ſanè quin fuſiùs explicentur, attendenti patent. Pro diverſis autem reſpirationis temporibus varius profectò pulmonum habitus alteram impartiri rationem poteſt; cur non eadem, & copia, & velocitate feratur ſanguis. Ubi enim expirato aere concidunt pulmones, tenuia præcipuè ejuſdem vaſcula criſpari quodammodò, & corrugari maximè debent, quod dum incidit vel ob majorem eorumdem vaſculorum obliquitatem, vel ob minorem laterum lævitatem, vel hærere aliquantiſper ſanguinem, vel minori fluere celeritate, concipere pronum eſt. Igitur quum utràque ea de cauſa modò tardiùs, modò celeriùs excurrere ſanguis debeat, & in homine nullo percito motu, multò quidem aut tardius aut celeriùs propelletur, ubi aut crebra, aut longa, aut alta reſpiratione opus erit, quod frequentiſſimè ſive dicentibus, ſive laborantibus uſuvenit. Hanc verò de qua loquimur, ſanguinis alternatim incidentem tarditatem, celeritatemque, non in utroque pulmonum vaſe, arteria ſcilicet, & vena æquè haberi conſpicuum eſt; verùm motuum horum varietatis cauſa omnis in extremis potiſſimùm pulmonaris arteriæ vaſculis conſiſtit, quæ ſimul ac ſanguis prætergreſſus eſt, nullo ſibi oblato obice ſive ab oppoſito vaſorum inceſſu, ſive ab aere nequicquam fluxum ejus cohibere valente, continenter, atque celeriter per pulmonarem venam ad ſiniſtram auriculam properat; ac ſi qua ei tarditas adjicitur, id ob minorem reſtitantis in arteria ſanguinis impetum evenit: Quæ ſi vera ſunt, ut nos penè demonſtrata arbitramur, illud neceſſariò conſequitur, tardiorem multò eſſe ſanguinis motum in arteria, quàm in vena pulmonari, atque adeo, ſi rectè natura ſapit, ampliorem pulmonari vena compingendam fuiſſe reſpondentem arteriam. Quæ quum non omnem ab dextero ventriculo ſuſceptum ſanguinem ob memoratas nuper cauſas una ſyſtole poſſit in pulmonarem venam propellere, neceſſe eſt ex eo aliquantulum ſingulis cordis motibus ſuſcepto tamdiu detinere, quouſque reſerata prorsùs tenujum vaſculorum via affatim ſanguis poſſit in pulmonarem venam trajici, & elutriari: Ubi verò ita ſanguine tumet pulmonaris arteria, non tantam tum recipit à corde ſanguinis quan-

*Sanguinis motus inæqualitas non æquè in utroque pulmonum vaſe eſt.*

quantitatem, atque dum minùs eodem ſanguine turgebat. Quæ cum contingunt, nempè nec omnem in pulmonarem venam trajici, neque tantum atque alias ab arteria à corde ſanguinem ſuſcipi, conſequens eſt; nec dexterum Ventriculum penitus exhauriri; in quem dextera auricula debeat à cavis receptum ſanguinem immittere; ſed ex eo tantumdem propellet, non quantum ipſa receperit, ſed quantum dexter ventriculus expulerit: At quum pluries cor contrahatur, dum ſemel animal reſpirat, tanta tum in dextero Ventriculo, tum in dextera auricula capacitas requirebatur, quæ confluenti ſanguini continendo par eſſe poſſet. Quum nulla autem ſanguinis mora habenda ſit in ſiniſtrà auricula, quæ deductum omnem ſanguinem ſingulis cordis motibus in ſiniſtrum Ventriculum prorsùs immittit; Nulla erat ratio quare tanta hæc ac dextera auricula eſſe debuiſſet. Si quis autem nobis regerat, imparem fore dextram auriculam perpetim confluenti ſanguini continendo, ubi vel omnem ſingulis vicibus non elutriaret, vel alibi is citra auriculam non remoraretur. Huic nos dupliciter reſponſum volumus. Primùm videlicet tantam eſſe utriuſque cauæ capacitatem, ut tripla circiter capacitatis ſit Pulmonaris venæ: Quod quidem luculentiſſimè demonſtrat non modò eum ſanguinem, qui per pulmonarem venam excurrit in cavis contineri; verùm etiam illas ad multò majorem quantitatem recipiendam ea fuiſſe capacitate donatas. Deinde verò quum non æqua ſanguinis quantitas ſingulis arteriæ pulmonaris contractionibus in venam trajiciatur; Nec æqua quantitas in ſiniſtram auriculam, ventriculum, & aortam arteriam immittetur, atque adeo eadem quantitatis ratio non modò ad uſque venarum oſcula, verum etiam ad cavas producatur neceſſe eſt; Quæ quum tantum deferant, quantum recipiunt, nec eamdem ſingulis cordis motibus quantitatem recipiant, eò tandem deveniatur oportet, ut tùm Cava, tùm dextera auricula, ac Ventriculus, & Arteria pulmonaris non ſingulis cordis contractionibus, ſed ſingulis reſpirationibus tantum ſanguinis recipiant, quantum emittunt. Unde perpetuæ ratio æqualitatis, & ſapientiſſimi Naturæ conſilii in inæqualis magnitudinis partium proportione eluceſcit. Magnæ autem arteriæ parem eſſe diametrum ac pulmonaris, tum ſimilis utriuſque

*Ratio potiſſima cordis cavitatum diſcriminis.*

*Singulis reſpirantionibus æquatur ſanguinis motus.*

que

que diſpoſitionis, tum utriuſque renixus ratio facilè declarat; qui quamvis major eſt, qui aortæ objicitur, quam qui pulmonari arteriæ tantum idcircò aortæ validitatis adjicitur, quantum eadem remanente diametro reſiſtentiarum vincendum eſt, atque idipſum tum de Ventriculorum etſi pari amplitudine, diſpari tamen, & pondere promovendo, & data validitate dicendum eſt.

*De æquali arteriarum, & Ventriculorum capacitate, inæquali validitate.*

§. VI. De Coronariarum autem arteriarum poſitu, ac dilatationis tempore non eſt, cur quidpiam ſubjiciam, quum de ea re præ ceteris copioſè, acutèque tractaverit Doctiſſimus Morgagnus; Quamquam tamen eam adhuc diudicandam in medio reliquiſſe videtur. Earum & nos ſæpiſſimè ſupra Sigmoidum Valuularum limbum, aliquandò infra eumdem conſtituta orificia obſervavimus, ut niſi ſe ſe contrahente Valuulà ſanguinis in ea immitti poſſet. Valuulas haſce non urgeri tantùm ad latera credimus, ab errumpente ſanguine, ſed eas ſuarum fibrarum ope ſic contrahi poſſe, ut & valentiùs in propellendum ſanguinem nitantur, & moliantur minorem obicem erupturo: Earum autem fibras non firmitate dumtaxat muſculares duximus; verùm aliquandò non validas modò, ſed etiam colore prorſus carneas, eleganterque diſpoſitas, & obſervavimus, & oſtendimus; Ut minimè æquum videretur, eas muſculorum officio carere. Coronariarum igitur Arteriarum orificia non modò ſub hiſce Valuulis nonnumquam conduntur, verùm etiam, cum ſupra earum crepidinem prominent, ita earum arteriarum poſitus eſt, ut vel vix quidquam ex errumpente ſanguine pervadere eas poſſit, vel quam maximè Aortæ diductio aut ejuſdem ingreſſum, vel certè progreſſum impediat. Quum eæ etenim, ſimul ac ab Aorta diſceſſere, plurimùm inclinatæ dimittantur, ſic cordis ſubſtantiam ſubeunt, ut dum hoc in Syſtole contrahitur, premantur, atque anguſtentur, neceſſe ſit; Quoniam verò contracto corde Aorta in dilatationem venit, non poteſt quò minus eædem coronariæ hujuſce lateribus confidentes premantur, atque adeo earumdem adducantur latera. Ubi autem, & Aortæ dilatatio, & contractio cordis ceſſat, tollitur utraque coronariarum preſſio; itaque ſanguis ab Aorta ſe ſe contrahente illuc impelli facilè poteſt. Aptus hic dicendi locus eſſet quæ-

*De Arteriis Coronariis.*

*Ad An. 5. An. 25.*

*De Sigmoidum Valvularum motu.*

*Contractio cordis explicata Aorta premuntur Coronaria.*

quænam ſit vaſorum ſanguinis figura; utrum ea cylindrica ſit an conica; quod quum in homine ob crebros eorumdem diremptus decerni difficilimè poſſit; ex Brutorum Anatome colligemus ac ſpeciatim Struthio cameli, quem noſtræ Anatomicæ diſquiſitioni dono dedit Illuſtriſſimus Laurentius Patarol cum Naturalis Hiſtoriæ Studioſiſſimus, tum editis Eruditis Operibus Clariſſimus. In ejus igitur Struthiocameli femore ſpatioſiſſimam comperimus arteriam duas ferè ſpithamas æquantem, nulliſque, quod dignoſcere potuimus, deductis inde vaſculis extenuatam: Hujus nihilo minus conica erat conformatio, quam diſpar longè extremorum ſectionis capacitas evidentiſſimè demonſtravit.

Series Auguſtorum, & Auguſtarum Paneg. Orat. V. O.

*Arteria figura Conica.*

§. VII. Etſi de Diaphragmate non ſolùm à plurimis actum eſt eo quidem modò, quo reliqua, quæ in Anatome ſunt, tractari conſueſcunt; verùm etiam ab nonnullis ſic, ut dedita opera vel quæ à cæteris prætermiſſa fuere, adjicerentur; Vel utpote perperam aut propoſita, aut tabulis exhibita ita emendarentur, ut vel additione nulla vel caſtigatione opus eſſet ampliùs, quod quin quiſpiam vel ex nuperis potiſſimùm, qui ſingularem huic rei operam dederunt, ſit aſſequutus, vehementer dubito: Quapropter nunnulla ex iis, quæ vel in Tabulis, vel in deſcriptionibus potiſſimùm deſiderantur, paucis attingam, nemini fortaſſe injurius, ſi quod mihi optandum eſſet plane expoſuero. Ellipticam aliquantulùm, circulari ferè quorumdam Veterum omiſſa, Diaphragmatis figuram recentiores rectè quidem exhibuere, at ſi eam paulò oblongiorem, atque expoſita eſt, ſpectaviſſem, minùs à verò alienam credidiſſem profectò. Prior autem ejuſdem pars, quæ imo ſterno alligatur, & multò minùs producta, & aliquantò tenujor, ut cum anatome congrueret, erat delineanda. Priores ſiquidem ejuſdem fibræ, quæ carneæ planè, & conſpicuæ ſunt, exiliores quadantenus in Viris, quam in mulieribus apparent; Quum in his potiſſimùm præter reſpirationem, & communem cæterorum utrique munerùm uſum, & neceſſitatem, ad id inſuper eæ comparatæ fuiſſe videantur, ut validiore niſu in partu agere valeant. Ex his igitur fibris, quæ priores ſunt, mediæ præſertim cæteris breviores exiſtunt, quippe quę non imo cartilaginis Xyphoidis, ſed ejuſdem ſummo diductis vel ut

*Nem adamuſſim ulla Diaphragmatis Tabula picta ſit.*

*Figura Diaphragmatis elliptica ſed paulò longior.*

*Prior pars brevior, & tenujor.*

ut lacertulis, & quodammodo lunatis inſeruntur; hac itaque de cauſa non producta, & convexa earumdem conformatio, ſed contracta maximè, & cava haberi eo loco debet. Tendineum verò Diaphragmatis centrum unius perpetuò figurę obſervare conſuevimus, illudque obtuſum angulum retuſo vertice repręſentans, cujus latera, quę poſteriora versùs convertuntur, eodem vertice ſunt aliquantò graciliora: Hęc enim vix tres latos digitos ęquant, ille quatuor ſępe ſuperat; Quę quidem figura, ſive latitudo minùs ab aliquibus adverti comperimus, quod tum facillimum eſt, tum neceſſarium. Prodeſt enim iis potiſſimùm qui ex commentario anatomen diſcere conſtituunt, quanta utriuſque partis, carneę ſcilicet, & tendineę amplitudo ſit, ex tabulis dignoſcere; vel ut id tantummodò rectè intelligant, aut quanta ſit illius partis vis, atque obeundi motus facultas vel ex eo percipiant. Quum autem duplex ſit Diaphragmatis facies, quarum altera cavum pectoris, altera imum ventris reſpicit, vel utraque ſanè eſt exhibenda, vel ſuis in ſedibus, vel quà facie demonſtretur, declarandum eſſe videtur. Hac itaque ratione Cl: Verheyenii Diaphragmatis figura culpanda non eſt, quum eidem appoſuerit „ Diaphragmatis è corpore exempti planum ſuperius „ ; In quà jure meritoque commendanda eſt ejuſdem ſedulitas, quòd nervos intercoſtales illa exhibuerit per carneam ſubſtantiam trajectos, quamquam magis exteriùs eos pertundentes obſervavi. Bina verò majora foramina, per quorum alterum vena cava; alterum Oeſophagus tranſmittitur, rectè quidem hoc inter carneas fibras, illud verò intra tendineas collocatur; quod ad eorum verò poſitum, figuram, & magnitudinem non planè cum iis conſentio; Tum quia cavæ foramen quod in Verheyenio reprehendendum non eſt, altius eſſe debet ſic, ut ima hujus pars vel ſuperior, vel certè æqualis ſupremæ alterius ſit, atque adeò magis ad ſuperiorem oram, quam ad inferiorem Diaphragmatis accedere. Deinde utriuſque ſanè foraminis figura Elliptica eſſe debet ſic verò, ut illud cavæ tranſverſim poſitum, Oeſophagi autem utrinque magis acutum, atque hac ratione minùs cum Elliptica figura congruens, ſecundùm longitudinem locatum ſit. Neque autem illius figuræ modus & poſitus aut ſcalpello, aut diducente

*Anterior cava Xyphoidi alligata.*

*Tendo in anguli modum conformatus.*

*Vel utraque facies exhibenda, vel quà ſit declaranda.*

Tab. 18. fig. 5.

*Per carneam ſubſtantiam intercoſtales nervi tranſeunt.*

*De poſitu figuræ, & magnitudine foraminum.*

cente

cente manu efficitur, ſed ſi vel nimiùm pars non diſtrahatur, vel ex ea non excidatur quidpiam; ita eas facilè compoſitas quiſque comperiet; Preterea iſtud referri debet tum duplici corrivanti eò loci ex inferioribus venæ cavæ ramo, tum firmiori fibrarum poſitui de quibus mox verba fient; longius autem, & acutum utrinque Oeſophagi foramen decuſſatis fibrarum lacertis tribuendum eſſe evidentiſſimè demonſtratur; Quod etſi ſiniſtrum dicatur utpotè in ſiniſteriore parte ſitum, nos non ita comperimus, quoniam illud ferè ad perpendiculum imminet diductis Diaphragmatis cruribus ſub quæ Aorta deſcendit.

§. VIII. Neque deſunt nonnulla animadvertenda circa fibrarum inceſſus, quos quum priùs indicaverit egregius Anatomicus Nicolaus Stenonius, Cl. deinde Caſpar Bartholinus accuratiùs propoſuit; Quædam adhuc tamen eſſe ſingillatim magis advertenda videntur quæ vel eorum neuter prorſus declaravit, vel Nuperi omnino, aut plurima ex parte prætermiſere. Digaſtricum Diaphagma muſculum dici poſſe, aut debere lubens Stenonio aſſentior; in duplicem autem dirimi inferiorem, & ſuperiorem eum prælaudato Bartholino, minùs mihi probandum eſt, cujus ſi vel muneris, vel conexionis ratio ſpectetur, vel unus dumtaxat, vel minimùm triplex muſculus illud habendum eſt; cujus ſi vel tendineæ, vel carneæ fibræ paulò diligentius ad examen revocentur, hac ferè ratione, plurimùmque incedere deprehendentur. Quæ mediæ prioreſque ejuſdem ſunt, ut ſuprà retulimus, cæteris multò breviores ac ſummè tenues obliquè decuſſatis tendinibus è medii tendinis vertice procedunt. Mirari profectò ſubit in re adeò conſpicua ac facilè obvia, poſtquam tamdiù diſſectum eſt, nondum conſentire Anatomicos, quænam, non totius Diaphragmatis modò, ſed ne priorisquidem mediæ ejuſdem partis figura ſit. Nam eam recentiores productam multum, & in angulum ferè compoſitam exhibent. Qui hos autem præceſſere, vel recta ferè linea terminatam, ut Veslingius, vel paulùm gibbam, ut Diemerbroekius, vel planè convexam ut Veterum quamplurimi, à quibus tamen deſcivere Veſalius potiſſimùm, Euſtachius, & Vidus Vidius, per quos non eam modò in angulum productam non habemus, ſed nec vel con-

*Diaph. Struct. Nova.*

*Digaſtricus quidem vel unus muſculus eſt, vel triplex.*

*Fibrarum inceſſus.*

*De variis Diaphragmatis figuris.*

*Syntag. An Tab. 9. fig. 7. Anat Corp. Hum. Tab. 6. fig. 9.*

vexam, vel planam, ſed omninò cavam accepimus. Qua in re ſi noſtrum foret interponendum judicium; quum ex Euſtachii Tabulis, non quod planè opus eſt colligi ſatis poſſit, & quæ à Vido Vidio producitur cava nimiùm videatur, una ea Veſalii, quod ad eam dumtaxat partem attinet, plùs mihi cum Anatome congruere videtur. Priores ſiquidem carneæ fibræ, quum Xyphoidi Cartilagini adhæreant, quæ quidem in bene conſtitutis proximis coſtarum Cartilaginibus interior eſt, conſequi neceſſariò apparet, breviores eas eſſe futuras iis, quæ ad latera ſunt, atque adeò neque convexam, neque rectam, ſed cavam earum imaginem futuram. Quæ verò utrinque ad priorum latera carneæ fibræ aſſident, inclinato maximè ad interiora inceſſu, ut ad horizontalem poſitum proximè accedant in tendineam mutatæ ſubſtantiam per ſummum ejuſdem tendinis verticem arcus more incurvatæ in adverſum ſuperum latus feruntur, quo colligere, pronum eſt, quantùm à veritate abnormes eæ ſint, quæ eo potiſſimùm in loco ſic locantur, ut quaſi radii ab ambitu ducti in Diaphragmatis centrum contendunt; Hæ igitur ab proximarum coſtarum Cartilaginea crepidine ortæ in adverſam proximioremque perducuntur. His autem exteriùs accumbentes in centrum magis inclinatæ, non ea tamen ratione qua delineari conſueſcunt, ſed ad imum tantummodò verticis properant, quarum nonnullæ in oppoſitum mediumque coſtarum latus migrant, tendinea tamen interjecta ſubſtantia; nonnullæ verò mox infrà verticem ſub tendinis forma mutatæ quidem reflectuntur, ac valido tendineo faſciculo Cavæ foramini circumducto in idem, ſed inferius paulò latus revertuntur. At quia ſingularum inceſſum proſſequi longum eſt, quædam ſummatim perſtringam, ut miræ hujuſce muſculi diſpoſitionis ratio quadantenus percipiatur. Lacertoſum igitur, ſeu appendicum, quæ utrinque diſpari quidem longitudine ab lumborum vertebris proficiſcuntur, fibræ aliquot, ubi in tendinem abjere, in idem coſtarum latus carneę rurſus connectuntur, aliæ verò rectà ferè ſurſum versùm, aliæ in oppoſitum converſæ latus, tum carneis, quà tendineis fibris decuſſantur, quod duplici potiſſimùm de cauſa contingere puto, tum nè tenuis alioquì muſculus intentus validè in lacertulos diduceretur, idcircò non decuſſantur eæ fibræ modò; ve-

Tab.15.fig.1.2.6. Anat.Corp.Hum.Tab.49 fig.13. De Corp. Hum.Tab.7.

*Congruentior a Veſalio propoſita.*

*Non rectà in centrum contendunt.*

*Implicatio, & decuſſatio ad firmitatem.*

rùm etiam intexuntur; tum ut comprehenſæ partes per eam decuſſationem validiùs premantur, quod maximè in imo Oeſophago uſuvenit, qui non ea ratione, ac intercoſtales nervi ad inferiora perducitur; ſed inter ſe ſe divaricantes lacertos in imum delabitur; quod etſi rectè adverterat Bartholinus, prætermiſere tamen qui poſtmodùm hujuſce muſculi tabulas edidere.

§. IX. Quod poſtremò ad ejuſdem fibrarum productionem ſpectat, quam in bove dumtaxat adnotaverat præcitatus Auctor; Quamquam diligentior aliquis vel ſuſpicatus eſt, vel vidiſſe viſus: Nos in homine ſedulò inquiſita, hac ratione ſe habere comperimus: Non omnis Diaphragmatis ambitus cum Tranſverſo abdominis muſculo, neque univerſa Tranſverſi ora cum Diaphragmate continuatur. Utraque enim tum Tranſverſi, tum Diaphragmatis prior pars non Xyphoidi tantùm propinqua, ſed & lateralis, qua inſeritur ſic ad decuſſim fertur, ut angulum rectum ferè efficiant; Præterea ſi accuratè Diaphragma non quà inſeritur, ſed quà ſenſim adhæreſcit, diducatur, dentatæ velut Tranſverſi crepidines inter Diaphragmatis lacertos ſubeuntes intra Thoracis cavum perductæ inſertæque detegentur. Ubi autem priora illius latera ab Sterno, atque adeò Xyphoide diſcedunt & notharum coſtarum oras tenent, hujus Tranſverſo muſculo occurſus rectior fit, ut ad obtuſiorem angulum accedat, quo potiſſimùm loci nonnullæ Tranſverſi fibræ cum nonnullis Diaphragmatis continuantur, quum ex his viciſſim aliquæ producantur, aliquæ in adjunctas coſtarum oras omninò inſigantur: Atque hoc ferè pacto ad extremum uſque, vertebras nempè efficitur, quà interjectus tendo velut unionis medium luculentiùs conſpicitur.

*De productione fibrarum Diaph. in trãſverſum muſculum Abdominis.*

§. X. Neque circa Cartilaginem Xyphoidem ea prætereunda animadverſio eſt, qua ſaltem indicare queam, quantùm vel neceſſitatis, vel commodi præſtari ab ea debeat; Quoniam non conſtans modò, & perpetua ea eſt; verùm trium muſculorum terminos eòdem natura perduxit, qui profectò locus non tamquam immobilis atque adeò eorum commodò inſerviens, ſed mobilis multùm, ac vel introrsùm, vel extrorsùm ductilis, ut evidenter penè conſtet, non eam Cartilaginem muſculorum beneficio eſſe comparatam; ſed eorum muſ-

*De Cartilaginis Xyphoidis uſu & muſculorum eidem nexu.*

culorum lacertos ob eam Cartilaginem illùc uſque productos. Exteriùs enim non aſſidet modò, ſed gibbo, medioque illius arctè adhæret, & applicatur Obliqui abdominis muſculi ſuperioris extremum, quo ea quadantenus diduci, ſeu attolli queat; Fibras autem Diaphragmatis priores eò inſertas diximus, ut euidam velut fulcro eæ innixæ, & eo loci pro ſua validitate contrahi queant. Ad illius autem Cartilaginis latera conſpicuo quidem, & valido tendine poſtremus ex iis lacertis Sterno-coſtalibus, qui deducendis aliquatenus coſtis, contrahendoque Thoraci dati ſunt, inſeritur; atque hunc potiſſimùm datum arbitror, ut ad interiora ducta Xyphoide commodiùs curvari Diaphragma queat; Nam quum priores illius fibræ tenujores multò cæteris ſint, non tantæ profectò ſunt firmitatis, ut nulla adjecta vi & Cartilaginem adducere, & flecti ſimul queant. Quoniam igitur de Diaphragmatis motu ſermo incidit, paucis quædam de eodem ſubjiciam; Etſi profectò non videtur quidquam eſſe adjiciendum, quum poſt tot Anatomicorum abſurda, tum ex illius partis poſitu, quà ex vivorum Anatome in præſentia ſatis perceptum ſit, ex ejuſdem plurima convexitate, quæ in cadaverum diſſectione deprehenditur, multùm, inſpirante animali, decedere, atque adeò ex eo Thoracis cavitatem produci. Oppidò tamen ab recto aberraret quiſquis per iſtiuſmodi motum Thoracem diduci arbitraretur, quum ex adverſo ejus latera adduci, atque arctari Diaphragmate intento, neceſſe ſit, quod adeò luculentum eſt, quàm quod maximè. Dum enim fibræ eæ quæ ab uno ad aliud latus protenduntur, & ab imis appendicibus, vel ad ſummum, vel ad latera disjiciuntur; ex muſculorum motuum lege ad firmiorem locum mobiliorem partem trahi, atque duci quadantenus oportet; Quapropter & imum pectoris ad dorſum, & latera ad ſe ſe invicem adduci neceſſe eſt, quod quidem ſi minùs in Diaphragmate contingit, quamvis per ſe contingere debeat, id non Diaphragmati tribuendum; ſed cæteris circumſitis potentiis, quarum causà Thoracis cavitas non arctatur: Circumſitæ autem Thoraci potentiæ ii muſculi ſunt, quorum opera tum coſtarum ſingulæ adducuntur, tum attolluntur univerſæ; Propterea quod quum longè majus momentum exterius ſit muſculorum Thoracem

*De motu Diaphragmatis.*

diducentium, quàm contrà nitens vis Diaphragmatis intrò adducere laborans, fit, ut, etſi reluctante Diaphragmate Thorax undequaque explicatur, ex eo tandem illud eveniat, quòd quum coſtas Diaphragma præ ea circumſita reſiſtentia adducere non valeat, ad quod ejus vis intendebatur, fibras ſuas tendat; oportet; Atque adeò ex curvis quadantenus rectæ fiant, videlicet ab Thoracis cavo ad exteriorem abdominis partem tantummodò accedant, quapropter Thorax producitur, & amplior fit; Quò poſtremò mirabili artificio ſapientiſſimo machinato conſilio Natura ſpectaverat.

# OBSERVATIONES ANATOMICÆ

## CAPUT IX.

### *De Abdomine.*

§. I. QUamquam Abdominis muſculi ſive ratione conſuetudinis, ſive ut faciliùs pereuntia dentur in conſpectum viſcera, primi ſunt, quos Proſectorum diligentia ſoleat explorare: Non ob id tamen per eorumdem ſedulitatem eò ventum eſt, ut vel nonnulla jamdiù dicta non ſine quadam ignaviæ nota neglexerint, vel quædam ab nemine hactenus propoſita non prætermiſerint. Nullum adhuc ex Anatomicis reperi, quorum deſcriptiones Abdominis muſculorum exortuum, & inſertionum cum noſtris obſervationibus, quæ eædem ferè cum Magno Veſalio ſunt, omninò conſentiant. Neque hìc rixari in animo eſt, utrum vel exortus, vel terminus velut Obliquorum ad coſtas inſertio, ut nonnullis diſceptare placuit, dicendus ſit; Verùm an latorum exortus, utriuſque videlicet, obliqui inferioris nempè, & ſuperioris ac ſubjecti transverſi à quonam vertebrarum loco, quove pacto prodeant. Hic nos ſingulos recenſere, & piget, & pudet, qui ſecus, atque per Anatomen comperimus, rem hanc propoſuere. Tametſi Veterum nonnulli nullum deduxerunt Obliqui deſcendentis, ſeu exterioris ab ullo vertebrarum loco principium, Recentiores tamen aliquot, quorum unum diſerte arguit Solertiſſimus Morgagnus poſt luculentiſſimam Cl. CoWperi animadverſionem velut à lumborum vertebris prodeuntem proponere non dubitarunt; Quem nè attingere quidem locum ii facilè intelligunt, qui diligentiùs huic operam navant. De Obliquo autem altero, ſeu interiore nec Veſalio, nec noſtræ conſentit præ-

*De Abdominis muſculis.*

De Hum. Corp. Fab. l. 2. cap. 31.

Ad An. 2. An. 10 Myot. Ref. c. 1.

*Obliquus ſuperior Vertebras non attingit.*

prælaudati CoWperi ſententia: Hic ſiquidem, ſi tamen eum probè ſum aſſequutus, nullum item hujuſce muſculi principium ab lumborum vertebris deductum edocet, quod nos luculentiſſimè cum ab Oſſis ſacri, tùm maximè à lumborum ſpinis pronatum quanta maxima potuimus diligentia, obſervavimus: Nec circà hujuſce deſcriptionem cæteri conſentiunt Anatomici, quorum alii ab nullo vertebrarum loco, pars verò à ſpinis, pars autem à transverſis lumborum proceſſibus exoriri, arbitrantur. Cum iis noſtra res eſt, qui id à ſpinis deducunt, quod ut faciliùs aſſequatur levi manu in hujuſce muſculi adminiſtratione eò ſectio perducenda eſt, donec ad tendineum hujuſce exortum, qui ſub dorſi Latiſſimi muſculi acuto principio eſt, ventum ſit. Hic loci Profector etiamſi non magnoperè exercitatus, ſivè à quadam diviſionis nota, ſive à diverſo fibrarum inceſſu edoctus triplicem latum quidem, ſed tenuem, atque implicatum tendinem oſſendet; Quorum gemini ſuperiores ad ſpinas contendunt, atque ad Latiſſimum dorſi muſculum, ac obliquum interiorem, de quo ſermo eſt, pertinent; tertius verò atque imus ad transverſum Abdominis. Si cui fortè tamen dubitandi adhuc locus eſſe videatur, is non modò tendinum numerum cernat; verùm etiam eorumdem fibrarum inceſſum, & quibus ſingulæ muſculis reſpondeant ſedulò, peruelim, ſcrutetur; eaqueratione dignoſcet ſummas, ſeu exteriores multùm inclinatas Latiſſimo non modò reſpondentes, ſed continuas; imas verò interioreſque obliquè paulùm deorſum ductas transverſo, medias autem, quæ obliqui inferioris ſunt, cum ſubjectis ad decuſſim ferri, atque hujus muſculi carneis lacertis & reſpondentes, & continuas ſatis luculenter deprehendet. Transverſi autem originem, Claris alioqui ſecus opinantibus Anatomicis, ab transverſis lumborum proceſſibus per tenuem, latumque tendinem derivandam eſſe dubitari poſſe non video; E cujus poſtremis lacertulis, malim ego cum Thoma Bartholino, ac in primis cum Euſtachio quamdam velut Transverſi particulam Cremaſterem deductum adversùs Riolanum, atque CoWperum, quàm ab Obliquo aſcendente proponere; quamquam ab eodem diſſentire cogor Bartholino ejuſdem transverſum muſculum ab non ſuo principio malè deductum aſſerente. Jam de hujus

*Obliquus inferior à lumborum ſpinis, & Oſſe ſacro.*

*Transverſi origo ab transverſis lumborum proceſſibus.*

An. l. 1. c. 22. Tab. 33. Myot. Ref. c. 2.

*Cremaſter muſculus trãsverſi particula eſt.*

cum

cum Diaphragmate continuatione retulimus ſatis, quamquam de ea CoWperus pro ut de re minimè ſibi comperta conſtituere non auſit. Pyramidalium autem modò alterum modò utrumque deeſſe, & Anatomes Candidatos noviſſe puto; Quid autem tum rectis muſculis contingat, ne de ipſo quidem detectore Falloppio, nec de cæteris intelligere licuit. Quum ii igitur tamquam imæ Rectorum parti ſuccenturiati habeantur, tum ſolummodo per noſtras obſervationes comperimus ex iis vel utrumque vel alterutrum abeſſe, ubi carnea Rectorum ſubſtantia ad ipſummet Os pectinis pertingit, ac ad id firmè inſeritur, ideoque, iis præſentibus per transverſos aliquot digitos tendineo prorsùs exortu ab eodem Oſſe Recti tum proficiſcuntur, quod horum pariter, dum adſunt, rationem, & uſum ſignificare manifeſtè videtur, cui ſubiectæ veſicæ comprimendæ primas defero.

*Ratio Pyramidalium defectus.*

§. II. Neque injucundum fortaſſe erit, neque inutile, quæ potiſſimùm partes in ampliſſimis tum hydropicorum, tum prægnantium mulierum ventribus diducantur, declarare. Singulas continentes Abdominis partes explicari, cuicumque patet; at præter cæteras tres potiſſimùm diſtrahi, atque diduci, crebræ nos obſervationes docuere. Imam ſcilicet latorum muſculorum partem; Rectos omnes, ac mediam Albam Lineam. Inferior etenim muſculorum pars in plurimos velut dirimitur lacertulos, quorum ſumma crepido vix infimam adjunctorum attingit, ſic etenim obliquè ſibi invicem incumbunt, ideòque inter extremos lacertulos quoddam aliquandò inane intervallum intereſt, recti verò muſculi non modò ab linea alba ſic diducuntur, ut tres ferè latos digitos utrinque ab ea diſtent; verùm ita explicantur, qui duplum facilè locum teneant; atque eo colligere proclive eſt, & tendinum fieri elongationem, & perperam eum pro hydropicorum Abdomine pertundendo deſignari locum, qui quatuor latos digitos tranſverſim ab Linea Alba diſtet, perindè quaſi, ut nonnulli Artis Doctores opinantur, per id ſpatii ab rectis prorsùm fuerit declinatum, qui omninò utpotè diducti, ac fuſi intra illud ſpatium concluduntur.

*Qui Abdominis muſculi in gravidis, vel hydropicis diducantur.*

*Num rectè locus deſſignatur pro Abdomine pertundendo.*

§. III. Alterum verò, de quo nihil hactenus eſt ab Anatomicis proditum mirum ſanè, & elegans eorumdem Abdomi-

*De muſculorum Abdominis artificio.*

dominis muſculorum artificium eſt; quo perſpecto, eorum quoque ſtructura, uſus, ratio quò penitiùs poteſt, intelligitur. Fibras omnes lati cujuſque Abdominis muſculi (de Rectis autem, & pyramidalibus ſermo non eſt) ad medium, ſeu lineam albam perductas cum iis fibris committi ac glutinari quæ ex oppoſito latere procedunt, creditum hucuſque fuiſſe, videtur Id enim verò nec verum eſt, nec tanti Conditoris Sapientiam decebat, qui rem ſecùs machinando, & majorem partium firmitatem, operis excellentiam, & præſtantiorem uſum comparavit. Itaque ſingulæ muſculorum fibræ, quæ ad albam lineam contendunt haudquaquam in illam terminantur; verùm eam prætervectæ ac multò ampliùs productæ in adverſum latus finiuntur. Hìc nec ſingularum, opus eſt, inceſſum deſcribere, nec per otium vacat; ſatis inſtituto feciſſe judico, ſi præcipuos earumdem ductus indicavero, ac priùs de univerſis pauca, tum de ſingulis quædam ſubjiciam. Non is eſt fibrarum inceſſus, ut cujuſcumque muſculi fibræ in adverſo quoque latere, & eadem prorſus ratione ſe habeant, & eidem compari muſculo inſerviant. Id etſi aliquandò ita eſt, non perpetuò tamen hac lege procedit, nam fibræ, quæ in dextero velut latere partem obliqui exterioris efficiunt, in lævo quidem ad oppoſitam non omnes oram contendunt, ſed vel Obliquo interiori, vel Transverſo intexuntur. Quod autem de hoc dicimus, de cæteris quoque intelligendum volumus, quamquam pleræque ex iis fibris, quæ uno in latere muſculum compingunt, eumdem etiam in adverſo efficiunt, quod licèt de fibrarum numero verum eſt, non æquè de earum habitu dici poteſt: Eæ ſiquidem quæ ab ſuperioribus prodeunt locis, ad inferiora plerumque demittuntur; id potiſſimùm tum partium actione, quà fibrarum poſtulante firmitate. Tecam verò quæ à gemino Obliqui interioris tendine efficitur, totam penè ab decuſſatis ejuſdem fibris compingi, certum eſt; at ex iis tamen aliquot, quas perſequi non admodum nobis difficile fuit, tum ſubeuntes ad Transverſum colligandum, tum evadentes prò Exterioris nexu manifeſtò produci cernuntur, quarum etſi plures popter lineam albam in proximum quemque commeant; nonnullæ tamen citrà eum locum ſive infrà, ſive ſuprà pervadunt; ex quo fortaſsè arcta

*De fibrarum inceſſu productione, & termine.*

*De miro Teca rectorum implexu.*

eorum tendinum connexio eſt, quos ſine laceratione non diduci, norunt Profectores. Non ſumma tamen opus eſt ſedulitate, aut labore, ut harum fibrarum continuatio, & implexus cuique inquirenti perſpectus ſit; quoniam id per totam lineæ longitudinem facilè in conſpectum dabitur; at ſi uſpiam, id quàm luculentiſſimè patet quà iterum ad albam lineam ejuſdem Tecæ latera concurrunt, & coeunt; qui ubi eò loci deducantur, id omninò exhibent quod manus volà volæ junctà digitiſque implexis efficitur: ita, ut ex uno hujuſce partis conſpectu horum muſculorum habitus, atque ratio omnis innoteſcat, quæ eadem prorsùs eſt, atque in quovis textili opere, in quo dum fila ad decuſſim ducuntur quæ ſuperiùs ſunt ad inferiora commeant; ſuperiora interea iis petentibus, quæ in imis tum locabantur: atque eo artificio, & tenuium fibrarum longitudo firmatur, & validè ne nimiùm, & tumeant, & contrahantur Recti, continentur; & propinqui, innectuntur muſculi; &, univerſa Abdominis vaſtitas mirum in modum compoſitis, ac copulatis muſculis concluditur.

*Sinigillatim de fibrarum termino, & inceſſu.*

§. IV. Tametſi horum muſculorum fibræ perperam licèt in exteriore muſculo deſcendere, aſcendere autem in interiore dicuntur, ad earum firmiorem adhæſionem ſi paulò attentiùs animum advertamus, quàm ab re alienum id ſit perſpicuè cognoſcitur; Quidquid tamen id eſt, quum hìc loci rem hanc decernere non ſit animus, non uno omnes incedunt ordine, ut vel ſingulæ omnes aſcendere, vel deſcendere dicendæ ſint; neque omnes ita ſunt comparatæ, ut ſingularum alba linea terminus ſit; quandoquidem carnearum, ſeu breviorum nonnullæ, quæ ab Ilei ſpina procedunt, quàm longiſſimè ab eadem linea diſtant, quum in imum aliquot coſtarum latus inſerantur. Cæterarum verò, quæ per lineam ducuntur, hujuſmodi faciem comperimus. Supra Xyphoidis cartilaginis exortum primùm breviores aliquot tendineæ fibræ utrinque ab Sterno procedunt, eæque ſic obliquè incedunt, ut quæ à dextero ſunt in lævum inclinentur latus; lævis item dexterum petentibus. Harum autem principium eſt ut quàm minimùm in oppoſitum latus migrare videantur; Ubi verò infra Xyphoidem deſcenditur, & perſpicuè, & longiùs in ad-

verſum latus contendunt, ita tamen, ut eò loci cum deſcendentibus aliis non modò ad decuſſim ferantur; ſed etiam ea prorsùs ratione intexantur, ut, quæ extimæ alterius lateris ſunt, interiores adverſi lateris ſubeant: quod maximè à Xyphoide ad Vmbilicum uſque evidens eſt, quà præſertim conſpicua magis, & latior alba linea efficitur, quæ infra hunc locum minor multò apparet. Neque earumdem omnium fibrarum rectus inceſſus eſt, ſed obliquo, ac curuilineo reptatu nonnullæ ab ſummo Ilium ſpinæ pronatæ valentes quidem, ſed plurimùm diſijectæ circa Vmbilicum in alterum latus proficiſcuntur. Quem autem infra locum velut vagari fibras, & in diverſa properare deprehendimus, quæ in faſciculos collectæ non circa medium, quà alba linea eſt ſubeunt; ſed hinc, & illinc decuſſatæ ad ejuſdem lineæ latus pervadentes, modò in adverſa dumtaxat, modò in profundiora migrant: itaque eo loci tenujor alba linea conſpicitur; Quæ verò mox ſupra Pubem ſunt abſimili omninò ratione progredi videntur; harum enim quæ ſuperiores ſunt, in arcum ferè compoſitæ, ac validiſſimè intextæ ad ſuperiora remeare videntur, inferiores autem ad os Pectinis delatæ ad inferiora multò demittuntur, quarum exteriores exteriùs in os Pubis, interiores verò in ſummam ejusdem faciem, & validè, & ſub eleganti ligamenti ſpecie ad anguli modum interiùs maximè inſeruntur.

*Præter albam lineam plurima decuſſatio.*

*Ex his ſpecies ligamenti in modum anguli.*

§. V. Quæ de Peritonæo, ejuſque proceſſibus ab nonnullis Recentiorum afferuntur, tametſi quadantenus vera ſunt, aliquandò tamen accuratiori examini ea eſſe ſubjicienda cenſeo: quo in commodius tempus dilato, id tantummodo proponam, quod in puerperarum ſectione animadvertendum occurrit. Quamquam præ magna Abdominis explicatione id tenujus multò futurum fuiſſe videretur, res tamen minimè opinioni reſpondit; quin imò, ſi non craſſius, validius certè illud perſpicuè videbatur Uteri naturam quodammodo imitatum, qui licèt nimiùm multùm explicatur, ſuæ nihil craſſitudinis deperdere, ſatis norunt Proſectores. Quod tamen non in quacumque Uteri amplitudine obſervavimus, nam in pręgrandi ejuſdem mole, cui ſanioſus enormis hydrops ſuberat, vix eum Peritonęo, cui arctiſſimè adhærebat, craſſiorem adnotavi; Ne-

*De Peritonæi lamellis, fibrarum inceſſu, & validitate.*

que tantam hanc tenuitatem ab abſumente ſanie inductam cenſeo, ſed à diſtendente nimiùm, nec commodum reparationi locum ſuppetente, factam arbitror, neque hujuſce diſcriminis rationem ſic latere puto, ut in ea ediſſerenda ſit, cur vehementer laborem. Peritonęum igitur non modò nullo negotio in duas lamellas diſcernitur, quas inter umbilicalia aliàs vaſcula ad hepar ſubibant; verùm geminarum fibrarum ordinem perſpicuè adnotare potuimus, in exteriore ſiquidem lamella, etſi minùs firmæ, conſpicuæ tamen ſecundùm longitudinem fibræ protendebantur, in interiore autem, & firmiores, & candidiores multò, ut reapſe lacertuli videantur, ad decuſſim cum exterioribus ducuntur, tranſverſim ſcilicet proferuntur; Cur autem ſic & in peritonæo eveniat non aliò forſitan, quàm eò quod Utero incidit, eſſe referendum, arbitror.

§. VI. Complura nobis circa imi ventris viſcera non ſunt quibus Lector immorari diutiùs debeat; Nihilo tamen minùs quædam pertranſeuntis more ſumus prolaturi, quæ penitus ignorare, dedecere Anatomicum putamus. Neque multus ero indicando in jejunis hominibus ſubita præſertim morte correptis, ſic contractum, corrugatumque Ventriculum eſſe, quem fortaſſe quis minùs exercitatus pro inteſtino habuiſſet, undè non ineptè famis ratio à partium ſcilicet aſtrictu foret deducenda. Neque eum eſſe Ventriculi poſitum, quem pleræque ſolent Anatomicorum Tabulæ exhibere, cujus utriuſque orificii æquus ferè poſitus proponitur; Quum lævo dexterum multò inferius ſubſidat; id potiſſimùm magna hepatis exigente mole illud inter & Diaphragma, unde lævum incipit, interjectà, quod & inferiùs aliquantò demitti ab duodeni parte ſuperincumbente, oportet, de quo mox ſingillatim. Minutiſſimas autem celluloſas intercapedines *Quadrangulares*, quas Præclariſſimus Ruyſchius in ſtomaci fundo animadvertit, etſi diligentiſſimè perquiſitas nunquam tamen detegere vel noſtris, vel alienis oculis valuimus, quas non idcircò Diligentiſſimum Virum vidiſſe negabimus, quum fortaſse nec ubique, nec cuique idipſum ſæpè varia natura demonſtret. Nos itidem in voraciſſimi hominis ventriculo primùm, tum in aliis circà antrum pylori per quatuor latos digitos interiori ejuſdem cavitati.

*Maxima ventriculi contractio in jejunis.*

*Non æquus Orificiorum poſitus.*

Theſ. Anat. 1

tati tenues, frequentiſſimoſque velut Syphunculos circumfuſos interdum obſervavimus. Hi vel leviter deterſo mucco ſic luculenter ſe ſe conſpiciendos dabant, ut vel nudo oculo à quovis internoſci, etſi operæ prætium fuiſſet, numerari commodè potuiſſent. Inclinatus horum poſitus erat, ac eo parallelo ordine locabantur, ut velut totidem interciſæ lineæ circum pylori caveam diſponerentur; Albido colore maximè dignoſcebantur, quem immerſo in ferventem aquam ventriculo evanuiſſe adnotavimus; atque eo loci horum Syphunculorum vice eodem prorsùs ordine locati, ac numero reſpondentes porruli apparuere, quos protinus oculus detexit, ac pro Syphunculorum Emiſſariis certò habuimus, ex quibus quum aliquot non fuerint omninò in altero contracto latere candicante humore exinaniti, & utrorumque collatione id confirmare potuimus, quod nempè ii Syphunculi forent, ea autem patula eorum oſcula, per quæ humor ille in Ventriculi cavum deſtillaret. Niſi cui tamen vel ob celerem ab aſſumptis cibis refectionem, vel ob concluſum albidum humorem, alibile fortè quidpiam ex ventriculo deferendo eos dicatos eſſe, in mentem venerit, eo magis quòd plurimùm adhuc ciborum ei inerat Ventriculo. Glandularum verò, quarum ſpeciem & in humanis cadaveribus viſendi ſæpe nobis copia oblata fuit, vix quidquam tum occurrit, quod de iis præſertim alicui dubitanti, fieret ſatis, quas vel non omni Ventriculo inſtratas, vel non æquè confertas conſpeximus; quum in ſiniſteriore Ventriculi latere, quà is plurimùm tumet, tenuis adeò interior ejuſdem membrana reperiatur, ut per eam facilè ſubjectorum vaſorum diſcurrentium reptatus internoſcatur. Quod ad illius membranas, fibrarumque poſitum pertinet, quoniam ſatis ab Anatomicis, vel etiam nimiùm multa prolata ſunt, non eſt profectò, cur hìc ampliùs immoremur; Verum dumtaxat nobis eſſe indicandum arbitramur, quas ii tranſverſas, ſeu circulares eſſe fibras opinantur, minimè juxta noſtras obſervationes hujuſmodi eſſe; verum ejuſdem omninò diſpoſitionis atque in Oeſophago, videlicet in ſpiræ modum compoſitas, quod ut perſpicuè intueri quis, ac dignoſcere poſſit, neque manum, neque artem ullam, aut induſtriam ad id operis eſſe advocandam dico; quandoquidem ubi peridoneum

*Pyłori Syphunculi.*

*Nam afferendo vel deferendo dati.*

*Glandula Ventriculi humani non uſque adeo cõſpicua.*

*Ventriculi fibra non annulares, ſed in ſpira modum ducta videntur.*

ſcit.

ſeù maximè lacertoſum offendatur cadaver, ut nobis ſæpiùs obtigit, id inermi oculo detegitur. Nam circa dexteram Ventriculi partem, ac potiſſimùm ſupra Pylori antrum, quà & lacertoſæ magis, & confertæ fibræ ſunt, has præclarè cernimus tùm craſſitudine, tum colore à quovis alio diſcretas ita ſibi mutuò occurrere, ut modò acutum, modò obtuſum angulum pro locorum varietate eæ efficerent, ſeſeque invicem ſubirent, quorum quidem nulla anularibus fibris congruere exiſtimo.

*De inteſtini duodeni ſitu, & nexu.*

§. VII. Et circa Duodenum inteſtinum ſic dictum quædam ſunt adjicienda minùs hucuſque animadverſa, quæ præterire non præſtat, eaque cum ad ejuſdem poſitum, tum ad nonnulla intus contenta pertinent. Priùs de poſitu dicam, cætera poſtmodum proſequuturus. Pylori orificio Duodenum continuari, nemo ignorat; illud verò modò per duos, treſve digitos eodem Pyloro ſuperius eſſe, ac ſuperincumbere, licèt id perpetuum eſt, de Celebrioribus tamen Anatomicis haudquaquam intelligitur; quod porrò flexuoſo ductu leviter demiſſum inter felleam Cyſtim, & Pancreas ſeſe conjicit; dein ſupra cavam, ac ſub portarum venam paulùm transverſim incedens altero flexu aſcendit iterum, circumundique adjunctis partibus firmè alligatum, ut indè, ac ab eo poſitu minimè dimoveri poſſit; ſub Ventriculo locatur, ubi poſtremo flexu in acutum angulum conformatum deorſum versùs convertitur, at laxè tum Meſenterio junctum in Jejunum abit; atque is Duodeni terminus eſt; Qui cùm ab ejuſdem fluxu, tùm ab ejus nexu firmiore potiùs, quam à duodena digitorum menſura videtur conſtituendus. Quum tenujum cæterorum inteſtinorum longiſſimus tubus quàm laxiſſimè. Meſenterio ſit copulatus, ut facilè crebros orbes mutare, & ſitum poſſit, non temerè tamen id ita locatum eſſe dicendum eſt, ut nec ab eo quicquam loco dimoveri, ac alium ſibi nanciſci

*Poſitus, & nexus ratio nonnulla indicatur.*

poſitum, queat. Quod enim primùm ſupra Pylorum attollatur, vel id eo proviſum eſt, ne minùs confecta alimenta per declive Pylori oſculum citiùs nimiò in inteſtina devoluantur, quum etſi ſummam inteſtini partem ſuperarint, ex eo non pronus eorum deſcenſus ſit, quoniam præterea primi flexus obex vincendus eſt, quo denique prętergreſſo eò alimentorum

con-

confectæ partes conjectæ ſunt, ut per hærentis tubi ſubire cavum, & lentè progredi, tum rurſum in acclive ferri, ac tandem arctiorem alium, & acutiorem flexum ante ſuperare cogantur, quàm ex iis emergant anguſtiis. Quo minùs mirum eſt, cum ex Hepate, tum è Pancreate geminos eos humores eò naturam corrivaſſe, quorum opera, quod in Ventriculo abſolutum non erat, ibi tandem perficeretur. Neque id operis illac præterfluente alimento confici raptim poterat, quamobrem ut ſegnior contentorum motus eſſet, pleniorem cæteris tenuibus inteſtinis primam eam canalis partem datam eſſe; deindè ne per eos humores illac aſſiduè fluentes nimis irritatæ partes in celeriorem motum concitarentur, circumundique illud colligaretur, neceſſe fuit; ac tandem ut diutiùs, ac commodiùs euchymæ alimentorum particulæ ſubigerentur, arctiores utrinque flexus diſpoſuit providè natura atque locavit. Neque ab his me ultrà rapi ſinendum eſt, ne extrà propoſitum dicar divagari; nequeo tamen oblata opportunitate ſic me temperare, quin Clinicos benignè commonefaciam; Et ad hęc aliquando loca convertendum animum eſſe, atquè accuratiùs paulò perpendendum, quid ab hujuſce inteſtini poſitu, vel nexu; ab tanta hujus felleæ Cyſti vicinia, à ſuperpoſita portarum vena, ab Cava ſubeunte, ab ejus majore amplitudine, ab diuerſis corrivantibus illuc humoribus, ab retardatis inter geminos flexus, ſolutiſque ciborum reliquiis, in variis ſeorſùm habitibus, ac temporibus haberi aliquando poſſit. An verò nulla nervorum, vaſorum, ac viſcerum nulla ratione habita, quidquid in jis locis turbarum concitatur, ad *flatum* ut vulgò ajunt, cumque ſæpe ſæpiùs Hypocondriacum, quem norunt quidem vix nomine tenus, erit perpetuò referendum?

*Latior cæteris tenuibus inteſtini duodeni tubus eſt.*

*Hæc Clinicis aliquandò ſpectandum eſſe.*

§. VIII. At in viam redeuntes, quid in ejuſdem inteſtini cavo luſtrandum ſit videamus. Summam hujus partem, quæ frequentiſſimis Clariſs. Brunneri glandulis ſtipata eſt nullis ſeu rugis, ſeu conniventibus valuulis, quas ita, ratione officii fortaſſe, Kerkringio nominare placuit, ornatam eſſe palam eſt, ne potiſſimùm profluentium aſcenſus fieret difficilior, quum mox infrà id loci maximè extantes, & confertiſſimæ reperiantur. Eo tamen loco ſubtiliùs eam partem

Spicileg. An. Ob. 39.

tem ſcrutanti, quædam mihi oblata ſunt ab reliqua inteſtinorum cavitate longè diverſa, quæ nec villoſam, nec rugoſam ſuperficiem præſeferunt. Id igitur elegantiſſimum Rete fuit, cujus inæquales omnino, & diſſimiles areæ erant, quod non ex lacertulis obliquè ductis, ſed ex membranulis, eiſque extantibus compingi videbatur. Hę Sygmoidum valvularum in modum diſpari quidem magnitudine, quum hæ armato tantummodò oculo probè dignoſcantur, compoſitæ erant; quarum intra cavitates ad ſuperiora converſas creberrima conſpiciebantur foraminula, quibus ſubiectum glandularum corpus obducebatur. Cuinam mira hæc diſpoſitio muneri inſerviat, ſive ut confectis in ventriculo cibis primò è Pyloro aſcendentibus quid immiſcendum aſſervetur, ſive ne nimiùm præter alimenti deducendi commodum parietes inteſtini quadantenus areſcerent indè derivato humore protinus delabente, ſive potiori alteri, abditæque utilitati, conſtituere non auſim. Extremum autem eorum canalium, qui ex gemino viſcere profecti, Hepate ſcilicet, & Pancreate uno dumtaxat hiatu in duodenum inteſtinum delatos exonerant humores, ſive paulùm extare, ſive tenui quodam circulo circumſepiri jamdiu diligentiores cognovere Anatomici, cui validum, conſpicuumque ultra pollicem ſæpe longius alligari ſeu fræulum, ſeu ligamentum, de nullo, ſi rectè memini, Proſectore intellexi. Id, quà inteſtinum meſenterio vincitur, ubi videlicet memorati canales in ejuſdem cavum hiant, ſecundùm inteſtini longitudinem protenditur, atque per interceptarum eo loci conniventium valvularum ſpatia, ex quo maximè dignoſcitur, ſenſim tenuatum inferiora versùm producitur. Quamvis ex hujuſce partis contractione eum quodammodò canalem, cui continuatur, cieri poſſe, atque adeo contenta humores, vos longè derivarentur, excitari, credendum eſſet; attamen quum ſuperjecta ac prominens ejuſdem Emiſſarii membranula unà cum producto, continuatoque fręnulo, valvulæ potius munere fungi videatur, id præſertim opinari proclivius eſt, ut ſcilicet per iſtud artificium ſic os illud occludatur, quominùs in inteſtini contractione præterfluentes illac humores per illud oſculum intrò ducantur. Quod quidem illius ſtructura potiſſimùm declarat; Nam ſive inferius fræulum illud protrahatur; ſive supernè indu-

*Membranoſum duodeni rete.*

*De Communi hepatici, & pancreatici ductus Oſculo ligamento.*

*Uſus illius inquiritur.*

inducta membranula vel leviſſimè deducatur, ex utroque fit, ut communis Emiſſarii hiatus ſic cooperiatur, ut neque ex adverſo, neque deſuper quidquam ingredi in illud poſſit; Quum verò infernè ſubire quidquam contrà motum inteſtini nitatur, percommodè valvulæ munus obire nullus dubito. Neque tamen, tametſi ſuo valvula fungatur munere, ita prorſus oſculum illud occluditur, quin aſſiduè indè fluere humores poſſint; Non enim per frænulum ſic illa trahitur, nec ſic arctè circumſita membrana eſt, ut nil illac efluere ſinat.

§. IX. Ubi ad Vermiformen Appendiculam me confero, neque eam ab tribus Coli ligamentis ſeu rectiùs lacertis compingi; neque perperam pro cæco haberi inteſtino, neque conferttiſſimas in ejuſdem cavo glandulas, quippè quæ ſatis jam nota ſunt, commemorabo: Nec eam aliquando deeſſe, ut jam diu in Sartore adnotavi, cujus meminit Præclariſſimus Morgagnus, qui tum ſæpius atque humaniſſimè noſtris intererat diſſectionibus, aliquando imperviam prorſus eſſe, aliquando vel nulla, vel quam tenuiſſima, ac perbrevi meſenterii lacinia firmatam, opus eſt, qui recenſeam. Tria tamen circa eamdem prætereunda non ſunt, quorum unum ad ejuſdem poſitum; duo verò reliqua ad diverſa contenta pertinent. Hanc itaque quàm ſæpiſſimè obſervatam quocumque locari poſitu animadvertimus. Eam ſiquidem modò in pelvim demiſſam, ac maximè inclinatam; modò horizontali penè ductu in ſiniſteriorem partem converſam; modò rectam, obliquam modò, ac ſic aliquando eam in ſuperiora provectam obſervavimus, ut inter Pſoas muſculum, & Hepatis cavum locata ad perpendiculum omnino Cæci cavitati immineret. Eam tamen ſæpiùs ſic reperi, ut illius oſculum etſi ad recipiendum aptiùs poſitum videatur, fundus tamen oſculo eodem ſublimior eſt. Hanc autem in derepentè potiſſimùm mortuis, vel perpetuò, vel quàm ſæpiſſimè ad fundum uſque fęcibus, iiſque ſolidioribus repletam invenimus, ut facilè cum proximis collatione & nos, & noſtri, qui aderant id planè cognoverint. Alterum verò quod magis animadvertere præſtat in hujuſce cavo, ac propter oſculum ſæpiùs nos obſervaſſe, aliiſque commonſtraſſe exiguos quidem, ſed conſpicuos tamen Lumbricos, quos certè de Teretium genere judicavimus. Hi prout

*De Vermiformi appendice.*

Ad. An. 3. An. 14.

*Incertus hujus poſitus.*

*Alvinæ faces intra eam.*

*Ut & tenuiſſimi lumbrici.*

ut nobis occurrebant, capillo haud craſſiores, quorum verò longitudo vix tranſverſum digitum æquabat. Horum numerus (plures enim aliquando reperi) & motus, qui præter cætera Lumbricos eſſe primò indicavit, & repetitæ obſervationes, quìn tales fuerint, quales proponimus, omninò prohibere videntur: Quinimo nuperrimè teretem Lumbricum deprehendimus æquæ magnitudinis ejus cavum penitus occupantem, quem ubi eduximus, binos unà quàm exiliſſimos vermes intus degentes obſervavimus. Ex quo potiſſimùm non ab re alienum cenſeo, ſi non præcipuum ac ſingularem, quod decernere non audeo, certè nec irationabilem, nec poſtremum ejuſdem uſum colligere; Etenim quidquid in nobis eſt, quum non temerè fuerit conſtitutum, quod & de Lumbricis dicendum, reliquum eſt, ut eorumdem & fotui, & excluſioni idoneum natura locum comparaverit, quem ſi quis Vermiformem eſſe Appendiculam diceret, præter plurima, quæ graviorem conſiderationem ad hunc locum minimè attinentem depoſcerent, illud minùs improbandum foret, quod tenuja ea animalcula ibi tutò velut in quodam angiportu ſita degant, ne ſi extra id loci locarentur, vel à valido inteſtinorum motu, vel à magnis fęcum voluminibus rapta ad inferiora citiùs fortaſse nimiò devolverentur; Quemadmodum piſces non ubi rapidior, ſed ubi ſegnior aquarum motus eſt, ſua deponere ovula creduntur.

*De Vaſis Chyliferis.*

§. X. Chylifera porrò vaſcula, quæ perraró in humanorum cadaverum diſſectionibus turgida prorſus, ac valdè conſpicua Proſectoribus occurrunt, nos ſæpiſſimè offendimus in iis potiſſimùm, qui benè paſti æquo horarum intervallo ſubita morte correpti noſtro ſubjiciuntur examini. Hæc tametſi perquàm turgida, & frequentiſſima in plurimis ſubjectis ſæpiùs obſervaſſe contigit, nunquam tamen ulla ſive à Ventriculo, ſive ab edita Duodeni parte, ſive ab Ileo nedum à Colo, craſſiorumque inteſtinorum ullo, quantam licèt maximam attentionem locaverim, potui animadvertere. Ea licèt ex tota inteſtini ſuperficie emergant, ex adverſo tamen meſenterii nobis frequentiora occurrere, quæ quidem ſæpius tenuiſſimis prodire radiculis obſervavimus; ſemel dumtaxat in optimi alioquì habitus Sene, qui ſubitò ex Aneuriſmate in viam corruit, non ſic ea emergere adnotavimus. In hujus itaque inteſtinis,

teſtinis, quæ optimè, ut & cætera imi ventris viſcera ſe habebant, primùm nobis in oculos incurrere præter bellè conſpicua, ac turgentia Vaſa chylifera, frequentiſſima paſſim candicantia corpuſcula pannici magnitudinem æquantia, ex quorum ſingulis ſingula chyliferia vaſcula emergebant. Albicantes hi globuli eodem prorsùs turgebant humore, atque ipſamet tenuja vaſcula, eorumque omnium fons eſſe, & origo videbantur, quum nulla hujuſmodi vaſcula aliunde niſi ex iis globulis naſcerentur. Neque ſubrotunda hæc corpuſcula glandularum ſoliditate fruebantur; ſed mollia æquè, & tenuja per levem quamlibet compreſſionem emiſſo contento humore velut inanis ciſternula ex oculis evaneſcebant. Num autem in cæteris ſive minus turgidi, ſive profundiores, atque adeo minùs conſpicui ii velut lacuſculi reperiantur, an potiùs quidam luſus naturæ fuerit, ex hac una dumtaxat obſervatione decernere non licet? Cæterum eorum vaſculorum per meſenterium inceſſum præ cæteris in peridoneo Portoris cadavere in quo ſingula plurimùm turgebant, ſic ſe habere cognovimus: Hæc principio exilibus pronata radiculis ab omni inteſtini jejuni, ac illius, quam ante diximus, duodeni partis ambitu mox ſibi occurrentia in minores primò, deinde in majuſculos ramos coeunt; interim ex iis aliquot venarum, arteriarumque arcus ſubeunt, ſcandunt aliquot, eorumque plura disjectas meſenterii glandulas pervadunt, rurſuſque evadentia in majores iterum ramos aliis copulata coeunt, ac in meſenterii centrum contendunt; quò per plurimos, ac confertiſſimos ramulos delata dextrorſum inter geminos duodeni inteſtini flexus propè grandem venam à Meſocolo derivatam in unum truncum evadunt; Inde is inter Cavam, & Pancreas paulùm aſcendit, mox ſiniſtrorſum flexus, leviterque inclinatus ſuper emulgentia vaſa, quæ in lævo latere ſunt, obliquè fertur, atque per oblongam, ſed tenuem glandulam, quæ ſub ima ſiniſtri Renis parte eſt in thoracicum ductum abit. Hujus principium non lata pelvis, aut ampla ciſterna ut in brutis, ſed major ea amplitudo Ellipticæ figuræ eſt, quæ minimè calamum ſcriptorium ſuperat. Hunc autem ſupra locum gemina illum diductione diremptum conſpeximus; in quem ab dextero in lævum latus inter dorſi vertebras, & Aortam arteriam plurima

*Inceſſus vaſorum Chyliferorum per meſenterium.*

*De Ductu Thoracico.*

trajecta lymphatica vaſcula luculenter vidimus tranſverſim corrivari.

*De glandulis felleæ Cyſtis.*

§. XI. Quamquam vel quorumdam Anatomicorum opiniones, vel nonnullorum fortaſsè diligentiores obſervationes, & ſuas eſſe hepaticæ Cyſti glandulas, unde in eam bilioſus humor derivetur, proponere non dubitant, attamen quum eæ à plurimis nullo detegantur vel optico auxilio, vel ſi quæ ſunt, alterius habeantur generis, quales nempè cùm inteſtinorum, tum urinæ Veſicæ, ac nonnullarum corporis partium ſunt, à quibus ad interiorem tuendam potius ſuperficiem lenis humor, quam acris aliquis, & irritans velut bilis effluat. Itaque ad id amplius confirmandum luculentiſſimam obſervationem à nobis habitam adiicere decrevimus. Non jamdiù in nobiliſſimæ mulieris diſſecto à nobis cadavere felleam cyſtim turgentem nimiùm tum ex plurima, denſaque contenta bile, quà ex prægrandi calculo invenimus: Hujus vertex ſic ejuſdem cervici hærebat, ut & is ægrè dimoveri, & nulla vel preſſa effluere bilis poſſet. Ex ea igitur diſſecta piceam veluti bilem, aſperum ac faſtigiatum calculum eduximus, ac probè purgata Cyſti aliquot potiſſimùm ſub interiore membrana conditas lenticulares glandulas luculenter unà cum noſtris conſpeximus. Diſpar harum erat moles, quarum maxima, quæ fundo inerat, lenticulam penè æquabat; Ex harum ſingulis, in quibus conſpicuum oſculum erat, non difficile fuit id exprimere quod continebatur, bili prorſus ſimile, ex quo maximè pellucente, & glandulæ figura, & magnitudo internoſcebatur, eo prorſus modo ac in plurimis disjectis inteſtinorum glandulis evenit.

OB-

# OBSERVATIONES ANATOMICÆ

## CAPUT X.

### *De Virorum Naturalibus.*

§. I. QUum tria potiſſimum requiri cenſeam per quæ quiſque valeat aut ab aliis ante detecta recognoſcere, aut ab nemine reperta priùs ipſe detegere; Proſectorum ſcilicet diligentiam; idoneorum cadaverum copiam; ac tandem diſſecandi rationem: quorum quum ſingula disertè quidem, & ex inſtituto à complurimis peracta ſint Anatomes Magiſtris, qui peculiares de adminiſtratione Anatomica tractatus protulere, idem mihi nec repetere opus, nec alterum in præſentia inſtituere arbitrium eſt. Quod ad poſtremum tamen ſpectat nonnulla præmonenda duco, quæ tùm ad ſingulas Anatomicas adminiſtrationes, tùm ad noſtra præſertim, quæ cum in cæteris tum maximè in poſtremis hiſce capitibus proponuntur, non mediocre lumen eſſe allatura, confido. Primùm igitur id eſt quod Anatomes Candidatus, ſive quilibet Proſector non ità ſe ad Anatomen conferat, quaſi in ea nihil reliquum ſit, quod detegatur; Quoniam quemadmodum in cæteris artibus, ita & in hac poſt improbam Solertiſſimorum Anatomicorum induſtriam, & labores, etiam poſtremis, ubi elaborare non prætermittitur, non ſpicilegium modò, ſed & aurea meſſis ſupererit. Alterum autem eſt adverſus Theatrorum conſuetudinem: Ne quis igitur ſibi, dum licet, intra illud perbreve aliquando tempus id abſolvendum decernat cui vix interdum triplum pro dignitate perficiendo, par eſſe poteſt. Tertium verò, quod ad ſingula quæque exiliora potiſſimùm dignoſcenda,

*Qua potiſſimùm ad Anatomem benè colendam requirantur.*

da, maximè accommodatum judico, illudimprimis eſt, quòd non modò interdiù ſed præclara maximè luce quævis Anatomica diſquiſitio inſtituatur. Quartum demùm ſummopere utile, plurimùmque neceſſarium, ut, quoad fieri poteſt, ſuis in ſedibus, ſi non omnes, plures ſaltem partes diſquirantur. Hac enim una diſſecandi ratione non ſolùm res quæque, ubi eæ ſunt, internoſcuntur, verùm ob oculos ea facilè obiiciuntur, quę vel exſecta minimùm apparuiſſent, vel diverſam prorſus prętuliſſent rerum faciem. Prętereà non ea ratione nobiſmet dumtaxat conſulimus, qui faciliùs multò nexum, ordinem, poſitum, atque conſenſum accipimus; Sed etiam Spectatorum commodo, atque utilitati proſpicitur plurimùm. Ea etenim ut Theatrali aſſolet pręparatione, objecta nova planè rerum facie, aut vix quid ea ſit, aſſequitur umquam, aut ita perperam, ut, ne diſtorta, atque perverſa phantaſiæ idola ingerantur, non inſpexiſſe, præſtitiſſet aliquando. Hac igitur mæthodo, quam vel ignoraverunt, vel prętermiſerunt tùm Veterum, tùm Recentiorum plurimi, quę in Hypogaſtrio utriuſque ſexus ſita ſunt viſcera examini ſubjiciemus, undè noſtras ſumus obſervationes prolaturi. Et quum ab Recti inteſtini, ſeu Ani muſculis ordiendum nobis ſit, eam fuiſſe poſteriorum Proſectorum ignaviam, dolendum eſt, qua tantum abfuit, ut quidquam ſit ei parti lumini adjectum, quin potiùs aut illa tenebris per deſcriptiones offuſa, aut penitus per tabulas fuerit deformata. Ex Ani itaque muſculis latiores, ac ſuperiores ejuſdem Levatores vocantur; contractior, & inferior Sphincter nominatur. De hoc priùs verba nobis facienda ſunt, cujus fortaſſe etſi minùs venuſtas à nobis editas, veras tamen atquè cæteris magis perſpicuas, & Tyronum maximè captui ſubſervientes Tabulas futuras credimus. Verum ut harum partium facilior fiat, atque commodior adminiſtratio, ac ſingula quæ nos deinceps ſumus expoſituri, quiſque poſſit, & rectè diſquirere, & ſuis in ſedibus faciliùs obſervare; Si ei minùs libuerit aut ampliore ſectione uti, quam exhibet Veſalius, aut altera, quam proponit Morgagnus Celeberrimi utrique Anatomici, noſtram nos ſignificamus, atque oſtendimus; Niſi quis eam fortè prætulerit, quam in Magno Theatro Anatomico Cl. Jacobi Mangeti;

*De utilitatibus benè inſtitutæ diſſectionis.*

*De Ani muſculis.*

De Hum. Corp. Fab. l. 2. c. 11. fig. 2.

Ad Av. 3. An. 46.

geti obtulit Anatomicis Cl. Jo: Baptiſta Bianchi: In qua quid veri, quidue commodi ſit, is erit facilè intellecturus, puto, qui harum ſingulas conferre voluerit. Ne nimia igitur exciſarum partium mole obruerer, hanc ſectionem prætuli, in qua licèt quid egerim, ex tabulis conſtet, quid tamen optanti agendum ſit paucis expediam. Reſectis itaque paulò ſupra pubem transverſim, nè multa opera diſtrahamur cum tegumentis pariter Abdominis muſculis, ac elevatis, diductiſque femoribus, adacto ab ſummi pubis lateribus propè innominati Oſſis acetabulum uſque ad Iſchii tuber ſcalpello, eoque altè acto, diſſectiſque qui eo loci ſunt, occurrentibus muſculis, Seram deinde in eadem pubis latera, ac imam Ilei partem, ut ad inferiora deducta ultrà Iſchii tuber demittatur, quo peracto ab eodem tuberis loco inciſionem profero, ac ad extremum Oſſis Sacri Cutem, atque Cocygem reſcindo, eique reſpondentem imam inteſtini recti partem, cæteris interea minùs ad rem noſtram ſpectantibus prorſus abjectis, qua haud magna mole ſublata, id mihi omne percommodè diſquirere licuit, cujus mox ſingillatim ſermonem habebo. *Adminiſtratio Anatomica.*

§. II. Hujus igitur Levatoris muſculi latiùs multò, atque antehac propoſitum, aut exhibitum fuit, principium eſt, quod ab Oſſibus Pubis, Ilei, & Iſchii procedit. A pubis interiore facie ita exorditur, ut firma, ac tendinea origine non modò è media ejuſdem parte, verùm utrinque inferiùs, atque ſuperiùs ab utroque pubis crure proficiſcatur. Alterum ab Ileo ſupra interni Obturatoris originem exordium eſt, undè tenuis tendinea expanſio toti fermè eidem Obturatori muſculo attenſa in carneos lacertos mutata cum ſociis copulatur, & pergit. Tertium demum, unde tenujoribus ac pinguioribus proficiſcitur fibris poſterior acutus Iſchii proceſſus eſt, qui per validum ligamentum imo oſſis ſacri lateri copulatur; Si illud tamen vinculum accuratiùs diſquiratur non in acutum eum proceſſum terminari comperietur; verùm eidem quidem adhærens, at porrò pergens ad Iſchii tuber producitur, quà diſiectis in priora versùs fibris evidentiſſimè terminatur. Juxta triplex lati hujuſce muſculi principium diverſus earumdem fibrarum inceſſus, & terminus eſt. Eæ etenim, quæ ab imo Pubis crure proficiſcuntur, reliquis firmiores ſunt: & ad horizon-

*De Ani levatoribus muſculis.* Tab. 2. fig. 2. L. SS.

Ibidem R R.

*De ligamento Oſſis Sacri.*

Tab. 3. fig. 5. lit. G rizontalem poſitum incedentes in imam Levatoris partem ponè rectum Inteſtinum feruntur. Quæ neque aliis implicitæ, Ibidem M neque in tendinem mutatæ, in adverſum latus flexæ contendunt; ſursùmque rurſus provectæ una velut continuataque Zona Inteſtinum amplexæ, in oppoſitum Pubis locum Tab. 2. fig. 2. lit. SS terminantur. Quæ verò interiùs à media, ac priore ejuſdem Pubis facie emergunt, deorsùm magis demiſſæ, atque inclinatæ ſupra modò deſcriptas feruntur, ac ponè Inteſtinum te- Tab. 3. fig. 5. lit. L; nuatæ in imam illius tendinis partem abeunt. Reliquæ autem, quæ has ſubſequuntur, ſive ab edita laterali Pubis parte, ſive ſupra Obturatoris muſculi exortum ab Ileo derivatæ ita inclinatæ procedunt, ut ſenſim ferè ad perpendiculum accedant. Harum itidem terminus cum alterius lateris fibris tendineus eſt, quæ utrinque coeuntes acutum angulum effi- Ibid. lit. L N ciunt. Et ab Iſchio, tametſi cæteris tenujores, ac breviores quidem, nonnullæ tamen ad hunc eumdem Levatorem pertinentes fibræ proſiliunt: quæ omnium rectiſſimæ mox infra Cocygem, in editam tendinis partem inſeruntur. Quamvis poſtremæ Levatoris fibræ Triangulari illi muſculo adſtent, qui Tab. 36. Anatom. jam diù ab Euſtachio exhibitus, deinde ab Clar: Cheſeldeno, Ad. An. 3. Animad. 44. & Morgagno, tùm retrahendo, & levando Cocygi, tùm iis partibus firmandis tribuitur; non illi tamen ita continuatæ apparent, ut unus idemque productus, atque fuſus muſculus habendus ſit; quoniam ob munerum diverſitatem, & conſpicuam quamdam diviſionis notam, aliter eſſe autumandum videtur: quum & Exercitatiſſimi Euſtachii Tabulæ eos ſeorſum exhibeant; ſiquidem XXXVI. Triangularem Cocygis, inſequens autem poſticam Levatoris partem ſingillatim demon- *Cocygis muſculi adminiſtratio Anatomica.* ſtrat. Quæ, ut qualia propoſuimus ſingula accuratiùs cognoſcantur, non alia ratione inſtituenda ſectio eſt, quàm ut Serà paulò ad exterius latus adactà, Oſſi ſacro copulata Ilei pars exſcindatur; quà ſua Pelvis capacitate, & figura, ſuo reliquæ adjunctæ partes poſitu conſerventur: atque tum interiùs, quà exteriùs eo omni amoto, quod muſcularium fibrarum inceſſum obtegat; eaque adverſa luce, quemadmodum debet ſuo conſiſtere poſitu, inſpectetur, eoque commodè, & perſpicuè Cocygis muſculi figuram; ſitum, atque diremptum cernet, ac ſimul poſtremas eas Levatoris fibras, quæ interiùs

ab

ab Iſchio prodeunt; quarum, & maximam inclinationem & ponè Rectum inſertionem, quà cum adverſis in tendinem mutantur, dignoſcet: ut & cæterarum varie inclinantem inceſſum, quatenùs eæ ab diverſis Oſſium partibus oriuntur. Atque cæteros quoſque redarguet muſculos, quos, aut nunquam Natura conſtruxit, aut minùs rectè adminiſtrata conſectio, ſibimet imponendo, multos ſcalpelli opera fecit. Quare ne quis me cum eo ſentire Anatomico opinetur, qui vel poſtremi lacerti Levatoris fibras „ in Cocygem, atque os Sacrum, inde aliò migraturas „ connecti cenſet, aut, ut Tabula noſtra exhibere videtur, eas ab Iſchio ad ſuperiora in Cocygem contendere arbitratur: quoniam nos ſic eam locari curavimus, ut dedita opera, elevato, atque ſuſpenſo Cocyge, id ponè Rectum inteſtinum conſpici poſſet, quod tendineum, atque validum ab coeuntibus plurimis hujuſce muſculi fibris efficitur. Quid porrò, dum tanta hæc muſculi expanſio contrahitur, præſtare queat, ex Anatomica modò memorata inſpectione cognoſcere licet. Intra eum ſiquidem concluditur Recti inteſtini ima pars, utrinque Capſulæ ſeminales, & deferentium Vaſorum origines, circa priora verò Proſtata potiſſimùm ac Urinæ Veſicæ imum; non poteſt, quin ſingulas comprehenſas partes, pro contractionis momento validè urgeat, & comprimat. Quare non eo tantummodò comparatus conſilio videtur, quò Recti extremum ſuſtollatur, ne Diaphragmatis, atque Abdominis muſculorum vi deorſum actum, fœdè dependeat; verùm ut interceptæ, hærenteſque eo loci ſolidiores fæces; majori niſu propellantur, atque exprimantur: hoc tamen ſingularum ejuſdem Levatoris partium diſcrimine, ut, quæ inferiùs conſitæ ſunt, ad Sphincteris potiùs muſculi, ſeu Expreſſoris, quàm ad Levatoris munus, accedant propiùs; eæ autem quæ ab Iſchio ſunt, potiſſimùm Levatoris, quæ verò ab Ileo, & Pube, medio inter Sphincterem, & Levatorem munere fungantur. Quas prætereà pro renata, tùm ejaculando ſemini, Proſtatæque viſcidulo humori, tùm poſtremis Urinæ guttis emittendis opitulari, atque cæteris huic rei addictis muſculis operam conferre, neminem latere puto: quamquam & alteri eas muneri præſtare opem, infra ſum indicaturus.

Tab. 2 fig. 2. lit. O

Ibidem.

*Ratio earum fibrarum poſitus.*

*Quæ ab Levatoribus complectantur.*

Ibi. Lit. FGG

Lit. HH

Lit. LL

*Levatorum officium.*

Tab. 3. fig. 5. lit. LG

Z §. III.

§. III. Quid porrò de Ani Sphinctere muſculo dicendum eſt? quum circa ejuſdem ſtructuram, vix ex Anatomicis ullus noſtris ſit obſervationibus adſtipulaturus. Quicumque Sphincterem nominat, anularibus prædicat compactum fibris: ac nobis aliter ſentientibus, ne ii ſint magnopere ſuccenſuri, veremur. At nos, neque temerè auctoritatem contemnimus, neque ignavè formidamus, veritati potiſſimùm per Anatomicam diſquiſitionem oblatæ, omnino obſequentes.

*Sphincteris Ani diverſus inceſſus, & origo.*

Vario itaque fibrarum ordine, eum qui Ani Sphincter muſculus nominatur, compingi obſervavimus. Ima igitur, & extima pars, quæ Galeno cutanea dicebatur, duplici fibrarum ordine conſtat; quarum laterales, & plurimæ ita Cuti innexæ producuntur, ut utrinque, anteriùs ſcilicet, & poſteriùs, in angulum acutum coeant.

Ibid. lit. P R

Quamquam eæ ab nonnullis, nec rectæ, nec leviter curvæ, ut nos deprehendimus, ſed orbiculares habitæ, ab extremo Cocyge, vel oriri, vel eidem copulari cenſeantur; nos tamen aliter obſervare conſuevimus: quum perpetuò, ab Cute Cocygi ſubjecta, eas productas viderimus.

Ibid. lit. O N

Id profectò eo loci adnotavimus, quod ab iis non animadverſum, tùm hallucinationis fortaſsè in cauſa fuit, tùm ut perperam opinarentur, eas vel firmitatis cauſa, ad Cocygem uſque non perduci, non debere.

*Novum ligamentum ab Cocyge in Cutem dimiſſum.*

Idque Ligamentum eſt, quod ab extremo Cocyge validum demittitur, ac tereti quodammodò figura pronatum, firmiter in ſubditam Cutim fuſum inſeritur. Hoc non ſolùm ſedulò inquiſitum Scalpello detegitur, ſed ad eum locum Cutim quaſi intrò vergere, ac paulùm elevari, vel exteriùs, nudo oculo deprehenditur.

*Ejuſdem uſus.*

Quod eam præſertim ob cauſam conditum reor, tùm ut firmiùs ea Sphincteris pars inde oriretur, tùm ne in validiore reddendarum fœcum niſu, laxior, ac minùs firmata ea pars ita diſtraheretur, quò tum nullo fulciente Levatorum momento Rectum foras aliquando propelleretur. Ad hujus igitur Ligamenti terminum extimæ Sphincteris fibræ ſæpiùs tendineæ oriuntur, ac in priora per Ani latera protenſæ, non in Cutim, ſed in propriam circumfuſam Penis membranam inſeri videntur: quas aliquando productas plurimum obſervaſſe memini. Ab hoc eodem priori acuto fibrarum principio, memoratæ Penis membranæ innexus lacertus diſcedit, atque

per

per proximam Ani oram circumfuſus, per adverſum latus in priora, unde diſceſſerat, revertitur. Paulò ſupra extimas fibras, quas deſcripſimus, alter earumdem faſciculus, eodem ſanè inceſſu, eodemque poſtico principio in priora profertur, ac inferiùs Urethræ bulbo, ſeuejuſdem Acceleratori muſculo applicatur. Prior hæc Sphincteris pars ab Clariſs: Litrio pro Triangulari Urethræ muſculo habita, quid ea nunc ſit, non modò per noſtras Obſervationes ob oculos ponitur; verùm & in Cl: CoWperi Tabulis indicatur; atque id ipſum in XXXVII. ab Euſtachio ſignificari videtur: etſi à ſe ipſo diverſus eſt, dum eumdem Sphincterem, eodemque poſitu in Tab. x. Fig. 2. & 4. aliter delineat. Quod & Veſalius diſertiſſimis verbis propoſuit; de eo enim verba faciens hæc habet „ Cohæret autem „ fibroſis nexibus meatui Veſicæ in Viris, in Mulieribus verò „ cervicis Uteri principio „ adeò ut non mirari nequeam, tot Veterum Anatomicorum, ac maximè magni Veſalii ſtudioſos, ac cultores, multò id antea non animadvertiſſe; quò vel id priùs in noſtram fuiſſet Anatomen invectum, vel non aliis immeritò, quàm ſuo Auctori, attributum. Alter porrò ejuſdem Sphincteris lacertus, qui mihi quandòque validior, exilior quandòque occurrit; quum vix ejuſdem, aliquando, veſtigium viderim, is à poſtica parte profectus, in priora fertur; atque eo loci Recto circumductus, ad poſteriora, unde primò prodiit, per alterum ſcilicet latus, remeat. Quod ſi eum quis aliquando mutato loco repererit, ſciat nec mirum eſſe, nec novum: quum inter extimum utrumque faſciculum, inter eum ſcilicet membranæ Penis, & Urethræ, locatum illum vidiſſe, meminerim. Alterum denique, ac poſtremum ejuſdem Sphincteris lacertum obſervavimus ſæpiùs. cujus non unum, ac ſimplex munus eſt, quum non Sphincteri tantùm inſerviat. Is ad Urethræ bulbi latera ab infero Pubis crure emergit, ac ejuſdem Acceleratori adjectus, ſuper Tranſverſos Urethræ dictos muſculos, ad poſticam Recti partem, reliquis Sphincteris fibris adjunctus, contendit, eidemque Inteſtini oræ circumductus, cæterorum more, in priora deducitur. Singulos hactenus memoratos Sphincteris lacertos (quorum vix ullum in orbem prorsùs circumductum vidimus) non uno fungi dumtaxat munere, hoc eſt, Ano corrugan-

Lit. S

*Quid ſit muſculus Triangularis Urethra.*

*A quibus notatus.*

Myot. Ref. fig. 10. 12., lit. F D

De H C Fab. lib. 2. c. 41.

Ibid. lit. T

Lit. S R

*Muſculus lateralis Urethra*

Lit. F

*Lacertorum Sphincteris ſingula officia.* rugando, palam eſt; verùm & annexis ſubſervire partibus: omnium ſcilicet extimum, Penis membranæ quodammodò tendendæ: alterum, adducendæ Urethræ, atque elevandæ: tertium demùm, de quo poſtremò ſumus loquuti, ad ejuſdem latera apprimenda, quò magis Acceleratoris vis intendatur, & quidquid per Urinæ iter emittendum eſt, propellatur vehementiùs. Cæteras autem fibras, quæ curvo potiſſimùm inceſſu Podicem ambiunt, eidem tantùm firmiùs, ex arbitrio, occludendo famulari, cuilibet perſpicuum arbitror: ne ſcilicet prȩter hominis voluntatem confeſtim recrementa egerantur; quare ad alia properandum nobis eſt.

§. IV. Non „ propter tædioſum nimiùm harum partium fætorem, & ſordem „ aliquid ad earum ſtructuram, & uſum pertinens, fortè prætermiſſum puto; verùm ob earumdem implexum: quum potiſſimùm inter Sphincterem, & Urethræ bulbum, ita eæ partes intextæ ſint, ac plurimo perfuſæ, & interſtinctæ adipe, ſeu, ut placuit Veſalio
*Ibidem* „ mucore quodam oblitæ „ ac pallidiores: quò minùs dirimi facilè, ac diſcerni queant. Binos igitur lacertos, præter hactenus propoſitos, eo loci comperi; qui quidem ut perſpicuè, prout licet, detegantur, & optimo Cadavere, & plurima ſedulitate opus eſſe, commoneo. Horum alter ad Urethræ bulbum, alter ad Proſtatam pertinet. Ille geminus lacertus eſt, utrinque alter, latus, ſed tenuis: qui ab extremo infero Pubis crure emerſus, ſupra imas Levatoris fibras in poſteriora inclinatus, ultra Vrethræ bulbum procedit, ibique ad modum arcus reflexus, poſtremò ejuſdem bulbo, ſupra Sphincteris proceſſum, quem Triangularem nominant, inſeritur. Gemi-
*Tab. 5. fig. 5. lit. X* ni hi lacerti, ubi utrinque intenduntur (id autem, an ex arbitrio fiat, nec ne, conſtituere non audeo) quòd in priora Urethram adducant certum eſt. Eam pariter quum in diverſa trahere videantur, ejuſdem quadantenus diductioni poſſunt famulari. Quapropter, hac ratione eorum muneri hos opponi dicendum eſt, qui eidem, & producendæ, & comprimendæ dati ſunt, Acceleratori, ſcilicet, Triangulari, & no-
*Uſus horum, & ratio. operandi.* ſtro Laterali. Quamobrem autem is datus ſit, etſi metam attingere, facile fortaſſe non eſt, aliquid tamen rationi conſonum comminiſci, difficile non exiſtimo; quum videlicet, non Ure-

thræ

thræ modò coanguſtatio excitanda ſit, quæ à pluribus in id conſpirantibus muſculis promovetur, ſed ut quædam præterea ejuſdem decurtatio, ſeu contractio inducatur, quam ab hiſce muſculis quadantenus effici poſſe, nullus dubito. Atque tum id maximè neceſſarium duco, cum canalium ſingulorum compagem ita eſſe machinatam Naturam intueor, ut cujuscumque coarctationi, æquè ferè, ac contractioni ea proſpexerit. Id oppidò luculenter in Arteriis, Trachea, Oeſophago, Inteſtinis, ac prout nobis aliquando compertum eſt, Ureteribus, quiſque aſſequi poteſt. Quare, & amplo huic canali, Urethræ nempe, neceſſariò proſpectum iri per eos videbatur. Quodquum circa ejus latera, rigido præſertim Cole, haud conſequi poſſit, id nec aliter erat machinandum, nec alteri, quàm illi loco ea erat applicanda potentia, qua ſcilicet per repetitos impetus, ac ſubſultus, actionem exerendo, ad canalis uſque extremum eam produceret: cujus quidem rei non rudem operandi modum in Cerebro habemus, quà videlicet ſupra Nervorum principia, ſive à Meningum, ſeù potiùs ab Arteriarum præſſione, & vi, quidquid in Nervis eſt, ad extremum uſque propellitur. His ſi nomen ullum dandum eſt, eos lubentiùs Projectores nominarem. *Novi Urethræ Projectores muſculi.*

§. V. Qui Proſtatæ autem quàm maximè proſpicit, latior multò, velut Zona, eſt, quæ inter Recti extremum, & Proſtatam ſita, adeò ſui juris eſt, ut ad hucuſque memoratorum muſculorum nullum pertineat. Hæc ergo muſcularium fibrarum Zona ſic Proſtatę nectitur, ut inferiùs eam amplexetur, atque concludat. Quam, ut quis ſcrutetur facilè, ac detegat, ſuis in ſedibus, ſervatis omnibus, hoc eſt, Oſſibus circumquaque commiſſis; quò ſingula faciliùs ſit explicare, priore Sphincteris Ani proceſſu, ſeu Triangulari ſublato, iiſque, quos ad Urethræ bulbum *Projectores* pertinere diximus: ita ubi lacertoſum ſit, ac rubicundum Cadaver, in oculos ultro incurret, ut plurima ſedulitate præterea opus non ſit. Quarum utrinque fibrarum productionem, ſi proſequi lubeat, non ſic facile eſt; eæ ſiquidem, dum paulùm aſſurgentes in priora feruntur, multò fiunt tenujores, ac reliquis, quibus innituntur adjunctæ, & implicitæ, cum poſtremis Levatorum fibris ab extremis, atque imis Pubis oſſibus

Tab. 3. fig. 5. lit. V

*Novi alterius noſtri muſculi deſcriptio, ac detegendi ratio.*

bus pronatis copulantur: & unà in priora, nulla licèt diviſionis nota diſcretæ procurrunt. Quare ſimplicis unius muſculi duplex principium eſt; quò ſi reliquæ ejuſdem partes intentæ adducantur, ex fibrarum poſitu perſpicuè intelligitur Proſtatam ſuſtollendam potiſſimùm, & in priora adducendam eſſe. Qua de re Proſtatæ Levator muſculus, ſeu Adductor dicendus foret. Quamvis autem ei apprimè ſuſtollendæ, & adducendæ comparatum judico; eidem præterea comprimendæ accommodatum arbitror: quò magis expedita contenti humoris expreſſio efficiatur; de quo tamen infra fuſiùs dicendum eſt.

*Proſtatæ, muſculus Levator, ſeu Adductor.*

§. VI. Tanta in Transverſalium muſculorum Anatome Naturæ varietas deprehenditur, ut nec perpetuò eos reperiri, nec qua ratione haberi, proponere tutum ſit. Eos frequentiùs occurrere norunt Profectores; quos tamen ab Iſchii tubere progigni aliquando: aliquando verò, eo nullatenus tacto, ab Erectorum principiis abſcedere nobis viſum eſt. Hos neque ob id tantummodò varietatis inſimulo; ſed ob numerum, poſitum, atque inſertionem maximè ii ſunt animadvertendi. Quos ſiquidem interdum in proximam, prioremque Sphincteris partem inſeri; interdum eum inter, & Urethræ bulbum coniici, interdum etiam utrinque tendineo extremo Urethræ bulbi lateribus conſpicuò applicari, nos obſervavimus. Ubi tamen hos Sphincteri ſe ſe inſertum ire comperimus, non in propinquum, ſed in adverſum ſupra Triangularem migrare latus, adnotavimus; quà decuſſatis invicem fibris, non aliud ac Sphincteris munus obire tum poſſe videbantur: quos non uno progredi lacerto, ſed duplici ſæpe, cujus diuerſus omnino terminus erat repertum eſt. Quem autem ponè Urethræ bulbum, ut in noſtra Tabula exhibetur, ſubeuntem adnotavimus, trajectumque, unum eumdemque ſimplici fibrarum faſce productum, continuatumque cognovimus: quem, aut nulla inſertio, aut nulla tendinis nota, geminum quedantenus indicabat. Is velut funis in modum ſubtenſus, uno ſimplicique inceſſu ab altero ad alterum Iſchii tuber proferebatur. Quorum ſive poſitus, ſive numeri, ſive inſertionis, animadverſa jam varietate, reſtat munus decernere: quod equidem nec unum dumtaxat, nec perpetuum eſt: quan-

*Muſculi tranſverſales.*

Tab. 3. fig. 5. lit. H

*Frequens horum varietas.*

*Unicus productuſque aliquando eſt.*

quandoquidem ſive Urethræ dilatationi, ubi ejuſdem lateribus applicantur, aut Podicis contractioni, cum illi inſeruntur, aut demun Urethræ bulbo propellendo, ſi illum ponè ſubtenduntur, inſervire poſſe arbitror. *Eorumdem uſus diverſitas.*

§. VII. Qui Urethræ bulbum complectuntur muſculi, uti perperàm olim Dilatatores, ita nunc certè poſt Graafium à cæteris Acceleratores nominantur. Quos utrinque ab nervoſis Penis corporibus, tamquam è firmiore loco originem ducere, prout fert cæterorum muſculorum ratio, cum Celeber. Morgagno ultro ſatemur; an verò ad tendineam eam lineam finiantur, quæ infra Urethræ bulbum, ad eorumdem concurſum ſecundùm longitudinem efficitur, non ſatis hactenus perſpicuum eſt; quoniam eo loci potiùs, ut vidiſſe viſus ſum, earumdem fibrarum decuſſationem, atque implexum, quàm ultimum haberi terminum, exiſtimo. Hoc ſiquidem, tùm conſimilium muſculorum ſtructura, ac diſpoſitio ſuadet, tùm maximè videtur evincere firmior, quæ interiùs eſt ejuſdem muſculi membrana: quam à decuſſatis potiùs, & productis muſculorum tendineis fibris, atquè aliter, compingi autumamus. Cæterùm horumce fibræ ultra bulbum productæ, ac noſtris utrinque poſitis Urethræ *Projectoribus* muſculis continuatæ non raró, dum ſedulò inquirantur, deprehendi ſolent: idque tum, velut eorumdem alterum muſculorum principium, illarum ſcilicet productarum fibrarum, haberi poteſt. Horum autem muſculorum fibras, quocumque prodeant loco, cave tamen credas ſic in rectum productas eſſe, quales præſertim à BroWnio depictæ, ſub Acceleratorum Penis muſculorum nomine propoſitæ fuere. Tract. de Viror. Org. Tab. 3. fig. 5. lit. D Adv. An. 4. Anim. 20. Ibidem X Theat An. Tab. 9. fig 2.

§. VIII. Priuſquàm tamen ab hac eadem Tabula manum removeam, atque Urethræ muſculorum tractationem, ſeu de iiſdem noſtras Obſervationes expediam, id porrò adjiciendum eſt, quod neque uſu, neque præſtantia, cæteris inferius autumo. Quod præter cætera, propoſitæ conſectionis methodo plurimùm debemus: quamquam, ſi non ita luculenter, ſic tamen id ipſum vidimus aliàs, & adnotavimus, ut ad majorem ſedulitatem noſmet profectò excitaviſſet. Par igitur muſculorum oblatum nobis eſt inſigne valdè, & conſpicuum, ab Iſchii oſſibus pronatum; quà ſub magno forami- Ibid. lit. H H

ne,

*Novi paris muſculorum deſcriptio.*

ne, in Pubis os protenditur. Horum muſculorum, ſupra Nervea Penis corpora, atque adeo ejus Erectores muſculos, tendineus exortus eſt. Lati hi, ac tenues, ſed valentes tamen, paulùm inel nati in poſteriora feruntur; Et inter extremum bulbum Urethramque conjecti, inferiùs ejuſdem Urethræ canali, quà ab eodem bulbi extremo minimè complectitur, validiſſimè inſeruntur. Sive unus hic, ſive geminus muſculus ſit, ab latere pronatus, atque Urethræ imo innexus, ac prætervectus, etſi oculo dignoſci non licet, ratio tamen, juxta ea quę ſupra poſuimus, ſuadere videretur. Locus potiſſimùm, & modus, quo ſit horum muſculorum inſertio, nos maximè edocet cui commodo, cuive neceſſitati fuerint comparati. Ubi per conſpicuam inclinationem, intra ſolidum Proſtatæ corpus, Urinæ iter demiſſum eſt, actutum infra imam hujus appendicem, quæ glandula Litriana vocatur, Urethræ canalis principium adnectitur: quà potiſſimùm laxiori compactum pariete, in ſuperiora reflexum incurvatumque protenditur. Is itaque canalis, quà majorem curvitatem ſubit, quum nullo adjecto firmatus ſit pariete, ſive ab Urethræ bulbo, ſive à Nerveis Penis corporibus, adeòque laxum valde, & concidens ſit, non poteſt, quin, & ob duas quidem cauſas, ſive præterlabenti Urinæ, ſive ſemini ejaculando non levem moram faciat. Quum etenim quorumcumque canalium obliquitas, pro ſui modo, præterfluentium illac velocitatem remoretur; hìc itidem loci, ubi maxima curvitas incidit, maximam deducendis humoribus parari moram, perſpicuum eſt. Præterea quum eo itidem loco, ob parietum laxitatem, eos quadantenus concidere, & adduci neceſſum ſit, & hac maximè de cauſa, emittendi potiſſimum ſeminis velocitatem, retardari oportet. Atquì gemino huic incommodo, noſtrorum muſculorum operà, quos ſive Urethræ placet Elevatores, ſive Ejaculatores nominare, occurritur plurimùm. Per hos ſiquidem ad eum locum ea opponitur potentia, qua, non ſolùm illatæ tarditatis incommodum propter obliquitatis rationem, potiſſimùm tollatur; verùm etiam tantum adjiciatur momenti, quò validiùs multò promoveri per ſuppoſitum muſculorum impetum, velocitas poſſit; atque una eademque operà, ſic ejus Urethræ loci tenduntur parietes, quò minùs ab eorum collapſu, hac ante memorata ratio-

Tab. 3. fig. 5. lit. HH.

*Uſus ratio exploratur ex Urinæ iter [illegible] poſitu.*

*Novi Ejaculatores muſculi.*

ne,

ne, mora inferatur. Tertium præterea commodum præſtat eorum contractio: quemadmodum enim excitato Cole ſummam Natura tollit curvitatem, quod maximè ſeminis velocitati famulatur: ſic per eoſdem intentos, unà altera curvitas, ſi omnino non tollitur, certè minor multò elevatis iis partibus efficitur; quò quantùm tubi obliquitas minuitur, tantumdem projiciendi humoris velocitas augetur. Neque huic dumtaxat commodo, quod quidem maximum eſt, ſunt comparati; quum, ut deinceps docebimus, communem cum aliis operam ſint præſtituri.

*Alter præterea uſus.*

§. IX. Quæ quum jam prorsùs abſolviſſem, iterumque, impreſſam Tabulam cum Anatome, ut mei moris eſt, conferrem, ejus mihi in mentem incidit, num fortè ſuſpicari quiſpiam poſſit, noſtrum iſtud muſculorum inventum, ſive à Cl: Laurentii Terranei ſedulitate, ſive ab ejuſdem Amico, cui is ſua communicaverat, Joanne Baptiſta Bianchi, jamdiu fuiſſe præoccupatum. Quæ quum diligenter perpendiſſem, ea facilè animadverti, per quæ, vel plagii metus, vel reliqua quęcumque ſuſpicio poſſit hinc funditùs amoveri. Quod igitur ad Terranei Tabulam ſpectat; quamquam quidpiam eo loci muſcularium fibrarum eum vidiſſe, negandum non eſt, quod quidem ad rem noſtram facere reor: non is tamen videtur eſſe aſſequutus, quo ad hunc penitiſſimè muſculum cognoſcendum, atque adeò ſignificandum, opus eſt. Muſculares ſiquidem eo loci fibræ, non videri non poterant, ab eo potiſſimùm, qui vel crebrò, vel ſedulò eam partem contrectaverit; verùm quum ex illius deſcriptione nihil omnino percipiatur, aut unde eæ prodeant, vel quorsùm ferantur, quidve præſtare aut poſſint, aut debeant; divinando potiùs, quàm decernendo viſus eſt edidiſſe. Id profectò ſatis ſuperque teſtatur adjecta memoratæ Tabulæ explicatio, qua ad Litteras II hæc ſubdit „ muſcu„ lus ſtatim infra Proſtatarum Protuberantiam, Urethræ „ ſuperextenſus, ſeu Pſeudo-ſphincter utrinque revolutus „ In quam tria aptè incidunt animadvertenda; quæ quum noſtris minimè conſentiant Obſervationibus, noſtram nequicquam prævertere inventionem poſſe videntur. Atque primum eſt, quòd ne verbum quidem de hujuſce muſculi principio, de fibrarum inceſſu, de earumdem, ſive carneo, ſive tendineo diſcrimine:

*Num ii muſculi ab aliis priùs monſtrati fuerint.*

Th. Anat. Tab. 65. fig. 1. lit. I

*Terranei deſcriptio cum noſtra minimè convenit.*

Aa quæ

quæ nos ſingula diſertè prodidimus. Alterum autem eſt, quòd is proponatur velut „ Urethræ ſuperextenſus „ quem nos eidem dumtaxat Urethræ ſubjici obſervavimus. Tertium demum, quòd is utrinque revolutus exhibetur, atque mox ad altras geminatas Litteras II ſubditur „ Urethræ portio huic „ muſculo ſubjecta „ : quo planè evincitur, vel perperam hunc muſculum poſitum concipi, atque adeò minimè cognitum fuiſſe; vel hunc in orbem Urethræ circumductum eſſe, quatenus perſpicuè Pſeudo-ſphincteris nomen ſignificare videtur. Quæ ſi vera ſunt, novo mihi parcendum eſt labori, quoniam eadem prorsùs, & ſentit, & exhibet Cl: Bianchi. Eadem quidem exhibet ad Litteram F; ab cujus Iconis brevitate, poſitu, ac fibrarum, quæ nullæ, ut aſſolet, conſpiciuntur inceſſu, nihil eſt, quod cum noſtris quadantenus conſentiens hariolari poſſimus. Poſſumus quidem decernere eum aliter atque nos cum ſuo Terraneo ſentire; quandoquidem & is Pſeudo-phincterem vocitat, & ad memoratæ Figuræ appoſitam explicationem, hæc luculentiùs ſubdit ad Litteram F „ muſcularis portio notabilis a „ Levatoribus communibus, parti inferiori Colli, & principio „ Urethrę circumducta, quam communiter Sphincterem etiam „ nuncupant, ſed in Schola Sphincterum Pſeudo-ſphincter dicenda venit „ qua quidem circumductas in orbem fibras ſignificat: quod ab Anatome tam alienum eſt, quàm quod alieniſſimum: præterea quod in Terranei explicatione, non adjectum fuit eas eſſe „ à Levatoribus communibus propagatas „ Quod is tùm à vero, tùm à veriſimili plurimùm diſtare comperiet, qui ſive noſtra, ſive conſimili ratione, harum partium diſquiſitionem inſtituet.

*Th. Anat. Tab. ex ordine 3. fig. 3. lit. F*

*Nec Bianchi deſcriptio conveniens eſt.*

§. X. Quale quæſo judicium futurum erit, non quidem Anatomicorum, & Profectorum, qui quin ad noſtram omnes ſententiam ſint acceſſuri, nullus dubito, ſed vel eorum, qui primam Anatomen ſalutarunt, vel qui dumtaxat ex commentariis ſapiunt: ubi inſpectis in Ampliſſimo Theatro Anatomico hujuſce Tabulis, noſtras ſint deinde Tabellas luſtraturi; nonnè ab noſtris velut noviſſimis editis Obſervationibus actutùm percontabuntur? ubi „ muſculus utrinque Levator „ Veſicæ proprius obliquè inde deſcendens uſque ad dorſum „ Protuberantiæ Proſtatarum, ex quo inde ulterius uſque ad „ collum Veſicæ, & inſuper ad Urethram, & Penem extenditur „.

*Ibidem. Muſculi ab eodem recenſiti.*

ditur „ . nonne ita exhibendus eſt ? „ muſculus *oo* utrin-„ que Veſicæ, & Podicis Levator communis jam cognitus, di-„ ſtans in origine ſua tribus circiter digitis in adulto ab origi-„ ne Levatoris proprii Veſicæ LL ſuperiùs expoſiti : poſte-„ riùs inde obliquè ad Urethram , & productionem Penis *e* „ anteriùs, poſteriùs autem ad Rectum Inteſtinum *t* & Po-„ dicem appenſum „ . Quid tandem, tertiò inquient , cenſendum eſt de eo , qui nominatur „ *qq* muſculus utrinque „ Depreſſor Veſicæ diſtans ad tranſverſum digitum ab origi-„ ne Levatoris communis obliquè versùs Os Sacrum ; Exten-„ ſus inde horizontaliter versùs Os Sacrum, & cum Oſſe Co-„ cygis in itinere connexus ; & uſque ad quintam Oſſis Sacri „ vertebram extenſus, hinc ad Inteſtinum, & lateraliter e-„ tiam ad collum Veſicæ, & Urethram „ . Quibus univerſis id unum repono, me in nulla unquam incidiſſe Cadavera (etſi plurima præ cæteris ſelectiora, atque ad Anatomen aptiſſima, ob hanc potiſſimùm rem, diſſecuerim) quæ iſtiuſmodi muſculos obtuliſſent : quos neque pro ſua diligentia, ſedulò licèt, conquiſitos, Eximium ſanè Anatomicum Morgagnum reperiiſſe unquam cognovimus.

*Etſi inquiſiti, nuſquam à nobis detecti.*

Adv. Anat. 2. Anim. 45. & alibi.

§. XI. Quum neque de Urethra, neque de Penis corporibus, quidquam mihi hucuſque occurrerit obſervatione dignum, ea protinus proponam, quæ de Penis nexu primùm adnotanda habui, deinde quos infra Glandem ductulos obſervavi. Colem Pubi alligari, atque ſuſpenſorio fulciri ligamento, tamquam Anteſignanum Detectorem Veſalium ſequuti, Veteres nonnulli tradidere Anatomici : quod tamen multa ignavia, quæ facilè irrepere ſolet, ante Solertiſſimum Morgagnum, Recentiores prætermiſere. Aliis præterea eum vinculis fulciri „ duobus ſcilicet lateralibus Ligamentis ſuſpenſorio ferè ſimilibus „ reperiſſe, tradidit Cl. Heiſterus „ quæ „ utrinque mox ſupra ortum muſculorum Erectorum ex oſſi-„ bus Pubis diſtincta prodibant, & ſupra inſertionem horum „ muſculorum in latera corporum Cavernoſorum inſerebantur „ Quæ quid reverà ſint, neque ex Anatome, ut verum fatear, neque ex illius deſcriptione planè deprehendere potui ; non ex Anatome, quoniam nihil, mihi inquirenti, quod „ Ligamento ſuſpenſorio ferè ſimile „ ſit, detegendum oc-

De Hum. Corp. Fab. l. 5 cap. 14.

Præf. pag. 24.

*Num ulla ſint Ligamenta lateralia Penis.*

 currit :

currit: præter laxas quaſdam, ac tenues membranulas, quas potiùs aut lymphaticorum vaſorum quaſi fulcra, aut adipis eſſe involucra, ſum arbitratus; atque id minùs ex deſcriptione ſum aſſequutus; quum vel ea ſurſum proferri dicantur, uti ex verbis conjicere proclive eſt „ quæ utrinque mox ſu„ pra ortum muſculorum Erectorum ex oſſibus Pubis diſtin„ cta prodibant, & ſupra inſertionem horum muſculorum, „ in latera corporum cavernoſorum inſerebantur „ : neque tum, quidquid id eſt, vel Ligamenti nomine, vel potiſſimùm ſuſpenſorii, aut eidem ferè ſimili, ſit donandum. Si ea verò lateralia Ligamenta, de ſuperiori pronata loco, in imum, ſeſe inſertum ire dicantur, multò id minùs ex iis verbis conſtare videtur. Quamquam id omne, aut noſtro potiùs captui, aut noſtræ conſecandi rationi tribui fortaſse poteſt. Quæ tamen, ubi Cl: Auctor non obiter, ut fieri in Præfatione aſſolet, ſed ex inſtituto fuſiùs peregerit; vel nullam inquirendi anſam, vel nullum certè dubitandi locum, eum fore relicturum confido: nobis interim, quid eo loci repererimus dicendum eſt. Penem Pubis oſſibus copulari, hactenus tradidere Anatomici; quo verò id pacto contingat; quo nexu, atque artificio colligetur, ſiluere plurimùm. Quà ima oſſium Pubis crura ab Iſchii tubere prolata concurrunt utrinque, ac committuntur, concurrere itidem, atque eo loci committi Nervea Penis corpora incipiunt: quæ ubi diducta, diductis oſſibus nectebantur, copulata, atque commiſſa, anterius iiſdem copulatis applicantur. Hæc ſive diducta, ſive adducta Penis corpora, nuſquàm nudo oſſis parieti, aut medio dumtaxat perioſtio illigantur; ſed quodam velut thalamo concluſa, & cubant molliter,

*Penis Thalami deſcriptio.*

& firmiter copulantur. Thalamus hic utrinque ab oſſibus Pubis, infra aliquantò eorumdem concurſum, inferiùs incipit; ac prout ejuſdem oſſis crura accedunt, & adducuntur, is quidem eò anguſtatur, atque ad editam uſque eorumdem Pubis oſſium commiſſuram provehitur: quà rurſum diductis cruribus, in ſummum prominenſque Pubis tuberculum inſeri, ac terminari videtur. Hujus prævalens, ac ligamentoſa ſubſtantia eſt, quam ſecundùm longitudinem productis fibris compingi, luculenter apparet: earum tamen quæ ſummæ ſunt, ſive ad Oſſium firmiorem nexum, ſive ad ejuſdem Thalami robur

intextę,

intextæ, ad decuſſim feruntur; Ex quibus, ſi non plurimas, nonnullas certè ab Obliquis Abdominis muſculis derivari, vidiſſe viſus ſum. Utrinque ex Oſſe prominens ea ſubſtantia eſt, atque ad commiſſuræ locum inclinata, medium velut ſinum efficit, quem nos Penis Thalamum nominamus; quo ſcilicet & validiùs Colis alligatur, & ſua velut ſede detinetur, ſimulque molliùs cubat: ne dum eas partes allidi opus eſt, duriter nimis ſeſe habeant. Quod ut quiſpiam perſpicuè cernere queat, haud diductis Pubis oſſibus, supernè, quà ſinu Penis continetur, eum ſenſim ac ſuſpenſa manu amoveat, ac utrinque ad inferiora deducat, quouſque ad ejuſdem corporum originem ventum erit. Quæ ubi peregerit, & fibrarum inceſſum, ac decuſſationem, & Thalami cavitatem, & laterum prominentiam, ac diductionem, uno penè aſſequetur intuitu; quæ quidem tanti uſus eſſe, ac neceſſitatis videntur, ut ea minimè præterire judicaverim. Qui tamen non ſic nobis dumtaxat Thalamus eſt, quin & ſequiori ſexui datus fuerit; cujus ſi nulla in mulieribus, propter Penis defectum, ſubeſſe neceſſitas videbatur, eum nihilominùs, analogam virili Peni Clitoridem, pro nexu, ac firmitate poſtulare, æquum erat. Præterquamquòd & Mulierum naturalia contra alliſum erant munienda, & præterea prodituro, & ſubtermeanti Fœtui, niſi molliore ea ſubſtantia, quę ſubter eo loci in Fęminis multò craſſior, eſt, duri Oſſium parietes quodammodo fuiſſent obliniti, parituræ etiam Mulieri, minùs commodè Natura conſuluiſſet.

*Confectionis ratio.*

*Cur Fęminis datus.*

§. XII. Quæ de Ductibus circa Glandis coronam mihi primùm obſervare contigit, nullius quidem invento, aut ſententiæ injurius, palàm faciam. In prægrandi itaque tumenteque Viri repentè mortui Pene, dum, quid in eo fortè nobis ſe luculentiùs conſpiciendum præberet, ſcrutaremur, deducto leviter Præputio, leviterque Glandis coronà, ac cervice deterſa, plures ad eam circumfuſos ductus, aut ductuum oſcula ſe ſe conſpicua dedere: quæ tum attentiore ſcrutati oculo, & conſpicuorum numerum recenſere, & magnitudinem hiatuum dignoſcere facilè potuimus. Citra igitur Glandis coronam, quà ſcilicet ejuſdem membrana, pro efficiendo Pręputio, reflecti, & à ſubjectis corporibus Nerveo-ſpongioſis diduci

*Ductus novi citra Glandis coronam.*

Tab. 3. fig. 5. lit. B

diduci

diduci incipit, quem nobis locum *cervicem* vocare lubet, quaſdam, ſeu foveolas, ſeu porulos, ſeu mavis inſculptos ductus, aut ductuum oſcula reperimus, quæ in orbem poſita locabantur. Horum ſingula ſuperficietenus ſetæ apicem ultrò admittebant, altiùs tamen nonnulla, quæ circa frœnum potiſſimùm ſita ſunt. Hi ſive ductuli, ſive oſcula, ejuſdem cervicis latera occupabant; quum nonnulla circa dorſum minùs conſpicua detegere licuerit. Ex his in altero latere decem, in altero, vix novem deprehendimus. Inęqualis eorum erat magnitudo, ac interiectum ſpatium. Quæ ſumma erant, ad froenum oſculo convertebantur, ima autem, ſeu froeno propinquiora, ampliora, ac altiora, ſurſumque ſpectantia reperi. Hæc ubi primùm detexi, repetita ſæpiùs diſquiſitione ita ſcrutatus ſum, ut eadem pro partium magnitudine, ſi non tot, ac tanta, loco certè, ac ordine in plurimis Cadaveribus, primis reſpondentia compererim. Quæ ſi minùs aliquando conſpicerentur, detracta diutina maceratione (quin tamen pars ulla putreſcat) Glandem, ac cervicem cooperiente membrana, ſic apertè prodiere, ut minimè de iiſdem ampliùs, tamquam de perpetuò exiſtentibus, eſſem ſollicitus. Subditos tamen folliculos, tametſi attentiſſimè inquiſitos, detexi nunquam, ac vix poſt validam eorum oſculorum compreſſionem, quidquam mihi aliquando exprimere datum eſt: quò, quid ex iis excerneretur, certior fierem. Non idcirco tamen ita noſtro invento diffidendum cenſeo, quaſi non inde, quod ſub Præputio colligitur, multò potiori jure ſit derivandum; eam ſiquidem materiam, quamvis dum effluit, non adeo compactam, ac craſſiorem exiſtimo, qualem ipſa ſe ſe collectam diuque aſſervatam exhibet, non ſic tamen aut tenuem, aut promptam, quæ in denatis, & exprimi, & conſpici facilè poſſit. Cui tamen rei, ſi quid aliunde objiciatur, tantus eſt aliter ſentientibus Viris à nobis habitus honor, ut ea potiùs, quàm refellere, aut diſquirere, multò proponere præſtet, aliorumque facere judicium. Quæ, uno Celeb. Boerhaavii capitulo abſolvemus „ Qui deinde, ut Phyſicum haud dedecet nec Medicum, con-
„ ſiderat ſordes, quas ſub Præputii integumentis aggerunt
„ loculi iis innati, quibus totum Priapi caput ſordeſcit, con-
„ taminatur, olidiſſimoque inquinatur nidore; certè depre-

„ hendet

*Horũ frequens numerus, & poſitus.*

*De iis, quæ aggeruntur ſub Præputio.*

Op. An de Fab. Gland. Ep. 1.

„ hendet ſecretum, & ibi humorem haberi quàm maximè
„ alienum ab eo omni, quem uſquam invenire datur: albet,
„ olet, aquà vix diluitur, tenacitate ſingulari in pelliculas
„ lenteſcit, pelliculæ glandis tenerrimæ fermè tenendo ad-
„ hæreſcit. De induſtria eſt factum, dum materiam hanc de
„ Præputii internis folliculis, nec loquor de glandulis odori-
„ feris dictis accuratiſſimo *Brittanorum* Anatomico *Tyſoni*,
„ locatis in corona glandis tamquam primis hujus linimenti
„ officinis: neque enim facile uſurpare oculis veras eo loco
„ glandulas, ſed potiùs papillarum nervoſarum accutiſſimè
„ ſentientium eminentes catervas, ut pulchrè meminiſti du-
„ dum obſervaſſe Temet, orbique enarraviſſe Medico: Atta-
„ men ſunt quæ, ut fatear, urgent dubitare me ſæpe; an non
„ præcipua harum lemarum genitalium copia genita fuerit in
„ ſinuoſis Urethræ cryptis tam nitidè depictis à Celeberrimo
„ Morgagni *Adv.* I. T. IV. F. IV. B C. D. atque detectis
„ ibidem à *CoWpero*, & *Terraneo* glandulis, unde delatæ in
„ Urethræ meatum, ejuſque orificio emiſſæ ſub Præputii ve-
„ lamento retentæ, hujus mobilitate retrò ductæ, aggregan-
„ tur? „ Ita Præclariſſimus Auctor. Cui ſi verbum de no-
ſtro ſubdere licet. Num eodem pacto quæ circa Clitoridis glan-
dem aggregari obſervamus, de mulieris Urethræ cryptis, ſur-
sùm potiùs rapi, quàm ultrò deorſum ferri, credendum eſt?
At de his plura ſatis, quorum conſpicuus planè uſus eſt, quę-
que nedum noſtris in ædibus, in publico etiam Anatomes
Theatro conſpicienda monſtravimus.

§. XIII. Vix ullam, inter glandem, atque adeo Urethram, & Nervoſa Penis corpora, vaſorum communicationem haberi, ſic ut ſingula ſingulis partibus, arteriæ potiſſimùm proſpiciant, jamdiu tum ex noſtris diſquiſitionibus cum Amiciſſimo Morgagno habitis comperimus, tùm per obſervationes Præſtantiſſimi Anatomici Ruyſchii confirmamus. Non ita tamen ex una Urethræ ſubſtantia eo loco reflexa, ac Nerveo-ſpongioſorum corporum extremis appoſita, Glandem compingi autumo: cui quidpiam aliud, ad eam, qua pollet, firmiorem ſtructuram inducendam, non ſit adiiciendum. Eam igitur ubi accuratiùs ſumus ſcrutati, non modò ex ſtrictiore vaſorum reti formari cognovimus; verùm, quum nervea Penis

*Quæ partes Glãdem compingant.*

nis

nis corporum involucra non ibi finiri obſervaverimus, quò eorumdem planè cavitates, ſed porrò ſub ligamentorum penè forma, gracilia ad extremum uſque Glandis pergere: ex eorumdem variè, ac multipliciter diſciſſis, diſiectiſque ligamentoſis fibris vaſorum rete fulciri, ac quoquoverſùm protenſis, multò reliquà firmiorem Urethræ ſubſtantiam conciliari, proponere non dubitamus. Quod ſi non è noſtris Obſervationibus modò, ſed ex propria diſquiſitione, quis cognoſcere malit, non alia id inquirendum eſt arte, quàm ut circumquaque ab iiſdem Nerveo-ſpongioſis corporibns, levi manu, ac ſcalpelli apice Glandem excidendo, removeat. Quam quum operam peregerit, tùm Nerveo-ſpongioſorum corporum involucra, ſuo jam continendi defuncta munere, transverſim explicata, contra atque eorumdem ſeptum eſt, conſpiciet; tùm validè productas eorumdem fibras in Glandis ſubſtantiam conjectas, quas ſi ad exremum uſque produxerit, eam ligamentoſam involucri expanſionem multùm quidem tenuatam, ad editum Urethræ extremum, quà glans hiat, intimiori membranæ copulatam finiri comperiet. Si id ipſum paulò luculentiùs ei deprehendere libuerit; reliquam infra corpora Urethram removere inſtituat: quam adeo facilè neutro ſauciato abſolvet, ut quid ad eum locum nexus diſcrimen interſit, præ valida Glandi adhæſione, vel ex dirimendi difficultate, vel ex una intra Glandem, etſi ſedulò diſecentur, partium lacerratione, evidentiſſimè percipiet.

*Ejus rei adminiſtratio Anatomica.*

§. XIV. Quamquam accuratiores inter Anatomicos, id omne, quod ad vaſa Virorum naturalium ſpectat, videntur exequuti; quędam tamen reſtant adhuc ab eorum ſedulitate prætermiſſa: quæ quum per noſtras detecta fuerint diſquiſitiones, noſtris ſunt Obſervationibus proferenda. Venæ itaque, de quibus dumtaxat ſermo hìc nobis inſtituendus eſt, per Colis dorſum excurrentes, geminæ ſunt; altera interior, ſub proprio Penis involucro, oſſa Pectinis ſubit; exterior altera per communia ejuſdem velamina ad extimam Pubem contendit. Ad Præputium præſertim, per exiliora aliquando, aliquando tamen pleniora vaſorum oſcula, inter harum extrema, communicatio intercedit: quominùs per interiorem, rigente Pene, intercepto refluo Sanguine, reſerato exterioris al-

reo,

veo, intercludatur. In interiore vena, quæ exteriore latior eſt, non multùm ſupra Glandem Valvulæ occurrunt; quæ duplicis mihi generis, ſunt, aliæ quidem ſimplices, aliæ verò geminæ: ſimplices Glandi propinquiores: geminæ verò ſuperiùs locantur. Neque has ita poſitas vidimus, prout ſolent in Tabulis Anatomicis exhiberi, ac ſi in alterutra vaſis facie copulatæ locarentur; ſed ſic nobis compoſitæ viſæ ſunt, ut altera interiori parieti, altera exteriori alligaretur. Quas nonob id dumtaxat comparatas credimus, ne ſcilicet, dependente molli Pene, aſcenſuro ac refluenti ſanguini opitularentur; verùm maximè ne is retrorſum pelleretur: quandoquidem harum complures eo locantur loco, quo innexus Pubi Penis proclivem remeanti ſanguini viam ſternit. Ex his pleraque probè jamdiu novere Anatomici, quos inter Diligentiſſimus CoWperus; qui non nitidos modò Icones exhibuit, quibus facilè percipi poſſet, qua ratione, ejus partis erectio fiat, quod tamen Graaphius multò antea propoſuerat, ſed & novis glandularum inventis eam partem illuſtravit. Non tamen quæ ad venas intra Pubem ſpectantia ſunt, aut ipſe, aut alius quiſpiam, prout novi, proſequutus eſt. Ne quæ tamen Pubi proxima ſunt, licèt exteriùs conſita, ommittantur: non unam perpetuò Pubis oſſa ſubeuntem venam deprehendimus; ſed duas, multò licèt tenujores, mediȩ aſſidentes eumdem ſubire locum ſæpè comperimus: quin imò aliam adnotavimus non in mediam confluentem, ſed ab eadem, contra venarum morem, pronatam nullo in itinere hiantem oſculo, per tres circiter latos digitos productam, frequentibus munitam intrò ſpectantibus Valvulis, ad eum ipſum locum quò major, ex qua diſceſſit, contendentem. Has autem venas omnes ſive triplices, ſive geminas, ſive & unicam dumtaxat, mox intra Pectinis oſſa non aut rectà produci, aut diremptas disjectaſque proferri obſervavimus; ſed protinus in quemdam ſive Lacum, ſive Torcular, ſeu mavis Labyrinthum appellere, aut una diffundi, aut univerſas corrivari. Hic igitur ex interiore Pubis oſſium facie locus eſt, in quem primùm refluus ſanguis deportatur. Is interdum duplici, interdum triplici membranoſo diſſepimento diſcernitur, ſic tamen, ut ſingulorum facilis habeatur communicatio; quæ ideo fortaſſe interſepta poſita

*Valvulæ in venis Colis duplicis generis.*

*Diverſus earum uſus.*

Myot. Ref. fig. 10.

Tract. de Vir. Org.

*Penis dorſi venarum numerus, & modus.*

*Earumdem ſub oſſa Pubis corrivatio, ſeu Labyrinthus.*

Tab. 2. fig. 2. lit. M.

*Ejus deſcriptio, & varietas.*

ſunt, vel ne tenues alioquì illius torcularis parietes à congeſto nimiùm ſanguine lacerarentur, vel ne faciliùs in alterutrum dumtaxat latus præter Naturæ conſilium diverteretur. In hunc eumdem ſinum ab eorumdem interiore Oſſium facie venarum rivuli demittuntur: quò ſanguis omnis corrivatus, qua ratione, ac quòquò versùs diſtribuatur, vix verbis ſatis luculenter explicare confidimus. Ab hoc igitur, ſive Lacu, ſive Torculari, ſeu Labyrintho tot vaſorum propagines exoriuntur, quot omnino perſequi, vix fuit unquam animus. Has mihi non lubet venas nominare, quandò plurima, quæ in venis haud reperiuntur, in hiſce comperio. Hos itaque, quos poſthac Sinus appellabo, quadam ab Utero revehentium vaſorum ducta analogia, multò venis ampliores eſſe, ſi eorumdem perpendatur origo, facilè conſtat. Ipſorum deinde parietum ſubſtantiam, quæ ab reliquis involucris alia prorsùs eſt, venoſis membranis multò tenujorem deprehendi; tum adeò diverſus eſt utrorumque vaſorum inceſſus, ſeu diſtributio, ut & minimè animum advertenti tantùm occurrat interea diſcriminis, quo utraque luculentiſſimè internoſcere valeat. Noſtri namque Sinus, ſive ad inferiora, ſive ad ſuperiora proferantur, ita producuntur, ut maximis quaquaversùs hiantibus orificiis alios ſibi æquales ſinus proferant: ex quibus laterales alii pareſque provecti, crebris inter ſe ſe oſculis communicantibus; modò enim parallelli, modò alii aliis impoſiti ſic provehuntur, ut non ad deferendum tantummodò ſanguinem, quod unum venarum munus eſt, comparati videantur. Horum demùm interiorem parietum faciem ſæpiùs, certis potiſſimùm in locis haud lævem reperi; ſed vel retiformi fibrarum ductu, eoque extanti, ſic exaſperatam vidimus, vel quibusdam transverſim ductis colligatam lacertulis, ut vel ad firmandos parietes, ſeu potiùs ad refluentem ſanguinem retardandum id inſtitutum exiſtimem.

*Mira ab Labyrintho vaſorum diſtributio.*

*Quæ à nobis ſinus nominantur.*

*Per quæ ab venis differant*

*Retiformis ſinuũ interior facies.*

*Et transverſi lacertuli.*

§ XV. His itaque propoſitis, primùm dicam quemadmodum eos obſervare conſueverim, tum quid eos præſtare autumem, ediſſeram. Quum eorumdem numero vix quidpiam, quod perpetuum ſit, conſtituere queam; quinam eorum ſit poſitus, diſtributio, & amplitudo, prout ſæpiùs obſervare licuit, faciliùs eſt ut complectar. Hos omnes igitur ſinus, in tres

*Sinuum triplex ordo deſcriptus.*

tres utrinque ordines divido: inferiorem ſcilicet, medium, ac ſuperiorem. Inferior ſinuum ordo ab Lacus, ſeu Labyrinthi lateribus exorditur: atque ad ima deſcendendo, juxta inferius Pectinis crus demittitur. Medius verò eſt, qui quaſi in arcus modum inflexus, altero crurum ad inferiora, altero ad ſuperiora provehitur. Superior tandem, qui prope vel priorem, vel lateralem Proſtatæ faciem eſt, in ſuperiora contendit. Tres ut plurimùm inferiores ſinus ſunt, qui diverſo licèt modo, & loco oriantur, prope interiorem Iſchii tuberis faciem in unum ampliorem corrivantur: atque poſtremò in venam Iliacam interiorem abeunt; quorum tenujor, & inferior inde ſanguinem accipit, quò memorata dorſi Penis vena, Pubis oſſa ſubiens primùm incipit explicari; & in hunc, qui inter inferius Pectinis crus, & Erectorem Penis muſculum quadantenus eſt locatus, ab adjunctis partibus refluus ſanguis per transverſos ſinulos infertur. Is alteri minùs anguſto ſubjacet, qui paulò altiùs ab Labyrinthi latere, duplici oſculo ſanguinem haurit; hinc paulùm profectus dirimitur, atque altera propagine in ſuperiora, in inferiora alterà ſic progreditur, ut utrolibet ſanguis ſive aſcendendo, ſive deſcendendo contendere poſſe videatur; cujus inferior exitus, pro ejuſdem ſinus diametri ratione anguſtior, juxta modò deſcripti ſinus terminum eſſe ſolet. Ex inferioribus autem tertius reliquis latior, & ſupereminens ab edito Labyrinthi latere naſcitur: ita tamen, ut priuſquam ex eo loco proficiſci queat, oblatum velut ad Oſtium aggerem, devehendum illac ſanguinem ſcandere neceſſe ſit; quo ſuperato, per patulum amplumque tubum proclive eſt ad inferiora devolvi: Quò demùm ubi ventum eſt, per duo tantæ tubi amplitudini imparia oſcula ſenſim eſſet illi, niſi alia pateret via, emergendum; quà profectò quum ſanguis affatim egredi nequeat, provido Sapientiſſimi Conditoris conſilio (quod ſi uſpiam, in hac potiſſimùm ſinuum diſpoſitione, ubi accuratiùs inſpectetur, maximè mirandum eſt) provido inquam conſilio per pertuſum aliud longè amplius ellipticum oſculum, ex interiore ejuſdem ſinus latere, ad ſuperiorem alterum multò facilior aditus eſt. Atque ſinum hunc in quem inferior hic trasverſim corrivatur, medium ordinem conſtituere diximus; per cujus utrinque poſita extrema in ar-

*Ima ſinuum emiſſaria non reſpōdent diametris.*

*Eorumdem Anaſtomoſes.*

cus ferè modum compoſita, tum per inferiora, quà per ſuperiora ſanguinis exitus eſt. In medio hoc autem ſecundùm longitudinem diſſecto ſinu, duo nobis occurrunt animadvertenda. Alterum eſt quòd is quoque duplici, minimoque oſculo, impari ſanè emittendo univerſo ſanguini, circa imum, quà terminus ejuſdem eſt, aperitur: per quæ tamen habità ſinus, & orificiorum diametri ratione, quantùm moræ ſanguini eo loci trahendum ſit, neminem latere puto. Is idem medii ordinis ſinus per brevem alium tubum ad inferiora converſum ſic cum inferiore communicat, ut ex ſuperiore hoc in inferiorem ſanguis faciliùs pergere videatur. Cæterùm non in his duobus tantummodo ſinubus, ſed in ſingulis ferè reliquis frequens ea communicatio habetur, qua ſanguis in circuitum ferri aut debere, aut certè poſſe videtur. Id equidem inter duos hoſce modò deſcriptos adeò evidens eſt, quàm quod maximè; ſanguis enim, qui per alterum ex iis fertur, quum impar longè emiſſarium nanciſcatur, per ellipticum excitatum foramen, in propinquum ſibi ſuperiorem ſinum, qui ordine medius eſt, derivari neceſſe habet; ad cujus imum, quum duo itidem, eaque exigua oſcula pertuſa ſint, neque illàc affatim egredi queat, ſive laterali preſſione adactus, ſive à tergo urgente preſſus, ſursùm remeare opus habet: quà vel per ſuperiores aſcendere, ſi pateant, vel per brevem tubulum ſuperiùs conſtitutum, atque ad inferiora ſpectantem, in inferum ſinum devolui opus eſt, eaque ratione in quemdam velut circuitum ad ea loca agi. Per alterum verò hujuſce medii ſinus extremum, quod in ſuperiora convertitur, ſanguis conſcendit, quodque velut hujus amplioris ſinus principium eſt. In hæc ſiquidem utrinque dirimitur edita ea Lacus, ſeu Labyrinthi pars; quæ poſtquam variis modò lacertis, modò diſſepimentis interciſa eſt, in priorem Proſtatæ partem aſſurgit: ex qua primùm, & exteriùs tenues quidam ſinus dimanant, quorum rudem Iconem dedimus: deinde in geminos ſupra memoratos ampliores ſinus explicatur. Horum ita diremptus eſt, ut area potiùs appareat, quà viciſſim ultrò poſſit, citròque ſanguis comeare. Per hæc aditus eſt ad tertium ſuperiorem ordinem; quem ubi ingreſſus fueris, duo primùm patentia oſcula occurrunt in binos oppoſitoſque continuata ſinus;

*Quidam velut ſanguinis circuitus.*

Tab. 2. fig. 2. lit. L L

nus;

nus; quorum alteri majorem valvulam præfici comperimus, minorem autem alteram poſt breve interiectum ſpatium. Is penè ad Urinæ Ueſicæ latera provectus, ita incurvatur, ut geminato veluti ſinu ad ſuum remeare principium videatur; quò tamen haud pertingere deprehendimus, ſed pluribus aliis tenujoribus ſinubus diſiici cognovimus; contra atque in reducentium vaſorum genere evenire conſueſcit: quæ ſiquidem, quò porrò pergunt, majorem amplitudinem nanciſcuntur. Alter huic aſſidens, mox ab exortu, cum deſcripto per patens oſculum communicationem habet: tum ſursùm provectus, in plures crebrò diremptus, alterum alteri oppoſitos, ac communicantes ſinus, in eas demum venas exoneratur, quæ tùm à ſeminalibus Capſulis, tùm ab adjuncta Veſica ſanguinem devehunt. Inter hoſce ſinus, tenues Arteriolas quàm minimè ſinuum diametro reſpondentes reperimus, ex quibus ea major eſt, quæ ab Iliaca interiore inter inferiores ſinus ad Penem contendit; minor verò, quæ ab Hypogaſtricis in Proſtatam, adſitaſque partes immittitur. In altero ex ſuperioribus ſinubus aliquando transverſim poſiti lacertuli, tribus firmati funiculis, propè eorumdem ſuperius extremum occurrerunt.

*Oppoſitus venarum inceſſus*

*Interſita arteria ſinubus haud reſpondent.*

§. XVI. Quid tanta ſolertis Naturæ induſtria conſtructi ſinus præſtare debeant, nobis quidem ſi non aſſequi, indicare ſaltem opus eſſe videtur: quod tamen priùsquàm facio, quibus ii locis incumbant, quibuſve circumfundantur præmonſtrandum duco. Ne de imo minimoque ſinu, inter Os, & Erectorem muſculum conjecto, quæ ſupra dicta fuere, iterùm repetam; De cæteris id proſequar, ex quibus inferiores ita ſiti ſunt, ut inferiùs *Ejaculatori* noſtro muſculo incumbant, exteriùs Iliaco interno, ſuperiùs, atque quadantenus ad interius latus Ani dicto Levatori muſculo adhæreant; medii verò, ac ſuperiores reliqui, non modò plurima parte exteriùs ab eodem Levatore operiuntur; verùm ita ſunt in priore, ac laterali Proſtatæ parte locati, ut circumfuſo Oſſium Pubis parieti, ubi vel minimùm Proſtata à tergo urgeretur, ſatis ad opus, cui comparati ſunt, apprimerentur. Idque maximè quum ab Labyrintho profecti, ſubter noſtrum Ligamentum prætervehi, neceſſe habeant. Quale verò id Ligamentum ſit,

*Quà ſinus ſiti ſint.*

quidve

quidve circum Proſtatam obſervaverim, præmonendum priùs eſt, quàm horum ad haſce partes ſpectantium uſus attingam.

*Ligamentū Proſtatæ novum.* Tab. 2. fig. 2. lit. N N

§. XVII. Id quoque ex eorum numero eſt, quæ noſtra ſuis in ſedibus diſſecandi ratione comperimus. Igitur ex interiore Pubis facie, quà ea Oſſa committuntur, latum circiter pollicem ſupra imam eorumdem partem; geminæ, utrinque altera, ligamentoſæ productiones emergunt; quæ interdum diductæ, interdum latæ in priorem Proſtatæ faciem, ac in proximum Ani Levatoris tendinem inſeruntur; unde utrinque provectæ ad obtuſum angulum in ſumma ejuſdem Proſtatæ facie, ac Veſicæ vicinia concurrentes firmiſſimè cohærent. Si quis autem de iſtius Ligamenti natura quadantenus dubitaret; tùm illius albedinem, & firmitatem, tùm fibrarum nexum, & poſitum exploret ſedulò, ut quæ propoſuimus pernoſcat. Quantum verò commodi ex eo homini habendum ſit, is facilè intelliget, qui quantùm haſce partes colligari, firmarique interſit, planè noverit. Duplici id potiſſimùm commodo, præter tertium aliud, quod mox ſumus allaturi, conſtuctum eſſe cenſemus. Ne Recto ſcilicet Inteſtino alligata Proſtata, in vehementiori excernendarum fœcum niſu, ſuis è ſedibus divellatur: atque id utrique ſexui commune eſt, quandoque & utrique proſpicit Ligamentum. In Fęminis verò, in quibus & Urethræ, & Vaginæ inſeritur; ne in diuturnis interdum, validiſque edendorum Fœtuum contentionibus, laxatæ nimiùm dimotæque partes incommodè aliquando prolaberentur.

*Uſus ligamenti proſtatæ*

§. XVIII. Porrò quod circa Proſtatam obſervatu dignum reputo, atque ad rem noſtram paulò infra explicandam faciens, eſt firmum expanſumque involucrum; quod ad propriam intimioremque circumfuſam Proſtatæ membranam is nihil ſpectare intelliget, qui eo circumquaque diligenter exſecto, integram prorsùs, atque ſuis circumdatam tunicis nihilominus comperiet; Quòd ſi rem accuratiùs perſequatur, eo etiam Seminales Veſiculas arctè concludi deprehendet. Ad ejus conſtructionem non nerveas dumtaxat, valenteſque fibras ceterarum membranarum in modum compingi, obſervavimus; ſed frequentes interjectos lacertulos vidimus, quò ejuſdem involucri

volucri compages, quando nihil ad contractionem conferant, firmaretur ampliùs. In cujus quidem priore facie, quà Pectinis oſſibus jungitur, non exiguos muſcularium fibrarum faſciculos in lacertoſis præſertim Cadaveribus intextos obſervaſſe meminimus: quarum duplex inceſſus erat. Aliæ etenim lata supernè baſi in Proſtatæ imum contrahebantur, ac velut inverſam pyramidem exhibebant; aliæ verò quaſi tranſverſim ductæ ſubjectas ferè ad decuſſim ſecabant. Quapropter non improbabile reor, hìc ſaltem loci, ubi major fortaſſe eſt motus neceſſitas, memoratum involucrum ab iis fibris quadantenus agitari, quoniam reliqua lateralis pars ab cæteris circumſitis muſculis cieri facillimè poteſt. Intra hoc igitur involucrum, quod nos impoſterum multò potiore jure, quàm ſuam Gliſſonius, noſtram Proſtatæ Capſulam appellabimus, ex ſupra memoratis ſinubus plurimi conduntur; quà ita foventur, ut non modò turgentes præ ſua tenuitate diſiliant; ſed velut, dum ii turgent, nè mutato Naturæ conſilio ad exteriora premant, arctè circumquaque concluſi, ad interiora urgeantur, ſive ut quadam Capſulæ agitatione negotio, cui ſunt comparati, promptiùs inſerviant.

*Proſtatæ Capſula lacertoſa.*

*Ejuſdem officia.*

§. XIX. Quibus præjactis, ad eorum uſum propiùs accedens, id primùm conſtituendum duco; quod multiplices eorum Sinuum diremptus, ampliores diametri, tenujora multò Emiſſaria, haud læves certis in locis, extremis potiſſimùm, interiores parietes, lacertulis alicubi interſepti, ac poſtremò (quod evidentiſſimè conſpicuum eſt in Labyrintho) ad ſanguinis retardandum drogreſſivum motum, ſive ſingula, ſive univerſa ſint accomodata. Quod præterea multò luculentiùs cognoſcitur, ſi crebræ Anaſtomoſes perpendantur, quæ potiùs ad interturbandum ſanguinis progreſſum, quàm promovendum excitatæ videntur: tùm quia hæ tranſverſim aperiuntur omnes, quibus ſanguis ad latera urgetur potiùs, quàm porrò adigatur: tùm quia eo loci ſunt, quà ſanguinem magis diffundi, atque explicari, quàm in ulteriora propelli, ſignificatur. Ad hæc autem id animadvertendum eſt, quòd laterales eæ Anaſtomoſes, ſeu magni oppoſitorum ſinuum laterales hiatus ita ſunt accommodati, ut eorum quiſque non à Proſtata abducere ſanguinem, ſed quàm proximè, rectaque ad eam adducere videa-

*Sinus ad ſanguinem retardandum dati.*

*Muneris ratio.*

dea-

deatur. Ex quibus colligendum reor, quidquid eo loci Natura machinata eſt, id omne ad ſanguinem retardandum potiſſimùm inſtitutum fuiſſe; deinde, ut eo aggeſto, & Proſtata, & Seminales Veſiculæ apprimerentur: cui tamen rei, & exteriùs conſiti muſculi, & circumſita Capſula, ſuam conferre opem poſſunt; Quod tùm ſolùm contingere puto: quando id, quod muſculos præſertim Erectores excitare, ac intendere valet, conſitas eas pariter partes quadantenus convellat. Ea inſuper circum ſanguinis aggeſtio non ideo diſpoſita fuit, ut Penis tenderetur, cui etſi aliquid conferre non negaverim, potiſſimùm tamen illud fit ab exteriùs reſtitante ſanguine ob interceptum venarum iter, ad Oſſa Pubis Erectoribus muſculis urgentibus; verùm ut, vel uberiori ſanguinis affluxu, tùm ſeminalibus Veſiculis, tùm Proſtata fotis, contenti inibi humores quodammodo rareſcerent, atque turgerent, iiſque locis impares exitum ſibi pro indito turgeſcendi modo molirentur. Sin id minùs alicui placeret; ejus fieri ſeminalis humoris emiſſionem, opinari inſuper poteſt: tùm ab humorum excitata raritate, tùm maximè à circumpoſita potentia; qua ita continentes partes, ſeminis ſcilicet Veſiculæ, ac Proſtata ſuccuſſæ ſive à muſculis, ſive à Capſula, ſive à ſanguinis interiore affluxu, tandem contenta foràs propellerent, quò facta ſanguinis proceſſui liberiore via, detumeant ſinus, depleatur Labyrinthus, Penis vena faciliùs exoneretur, minùs adeoque muſculi Erectores tendantur, cæterique concidant. Quidquam præterea ad id ipſum pertinens, de eorum Nervorum inceſſu, qui ad Colem contendunt, foret dicendum; quoniam ii non ſine peculiari conſilio per eum angulum feruntur, qui præter Arteriam, ac ſinum, à triplici compingitur muſculo, Iliaco nempe, Levatore Ani, & Ejaculatore noſtro; at de his in præſentia ſatis. Ex univerſis his intelligi planè poteſt, cur faciliùs rigeat Colis turgente Urinæ Veſica, quaque depleta ſępe concidat? Cur ejuſdem tenſio Seminalium Veſicularum, ac Proſtatæ plenitudinem, cur mollities eaſdem depletas ſequatur? Cur in reddendis fœcibus, ubi niſu vehementiore opus ſit, alicui Semen, vel quidpiam Semini ſimile effluere contingat? At manus de hac Tabula aliquando eſt removenda, ut quædam quæ in intimiore Proſtata, & Seminis Veſicis

*Uſus alter à priori pendens.*

*Qua ſeminis Emiſſio ratione contingat.*

ſicis obſervavimus, obiter producamus. Circa igitur Seminis Veſicularum, & Deferentium vaſorum anfractus id penè ſimile eſt, ut contracta potiùs Veſica extremum ſit Deferentium. In quorum utroque neque Tabulis oblatum, neque verbis (quod ſciam) ſatis expoſitum Rete illud eſt, quod interiores parietes perſpicuè ornat, non læve & planum, ſed pro earum partium exiguitate prominens ſic, ut nudo oculo dignoſci facilè queat. Quod ſive ad ſenſus acutiem, ſive ad partium firmitatem, ſeu potiùs quò arctiùs contentum ſemen adhæreat, ne aut præcox, aut uberiùs effluat. Ad Veſicularum autem, ac Deferentium vaſorum concurſum, etſi aliquando tranſverſim poſitum oſculum viſum eſt, quàm ſæpiſſimè tamen in ſcrutatis iis partibus, nullum obſervavimus.

*Facies interior tùm veſſicularum, tùm deferentium vaſorum reti ſimilis eſt.*

§. XX. Quum nulla penè ſint, quæ quaſi nova circa Urinæ Veſicam, aut Proſtatam proferantur; quædam tamen hìc adnotare expedit, prout noſtris diſquiſitionibus, aliis licèt aliter viſa, comperta habuimus. Hìc autem, ceu nulla animadverſione digna, miſſa facimus „ fundum Veſicæ Urinariæ partem ejuſdem eſſe ampliorem „ quum ſummam illius partem, quæ fundus dicitur, media contractiorem eſſe ex uno intuitu deprehendamus; nec alio eam „ plano ulteriùs obtegi muſculari „ præter eum muſculum, qui à quibuſdam Detruſor Veſicæ dicitur, quem tribus lacertoſarum fibrarum ordinibus compingi, vel ipſi planè innotuit Falloppio; neque in Veſicam patenti eo oſculo Ureteres invehi, prout quædam recentiores Tabulæ deſignare videntur; neque eorumdem fines „ in anteriori eſſe Veſicæ parte „ quum circa poſteriora eos inſeri maximè conſtet; & quamquam aliquando ad cervicis Veſicæ oſculum poſteriùs quidpiam, de quo mox, in magnam ſatis molem prominere vidimus, id vel perrarò compertum eſt, vel ex iis dumtaxat ſubjectis, quorum Veſica laboraret, uſque adeò extare obſervavimus, ut ea res haud mereatur, quæ ceu perpetua & conſtans, quæque vitioſa, & infrequens eſt, vel Tironum, vel minùs Exercitatorum damno exhibeatur. Nunc ad ea venio, quæ & majoris momenti ſunt, & minùs ab aliis animadverſa; vel aliter, atque nobis Anatome offerre conſuevit, propoſita ſunt. Quodnam igitur ſit muſcularium Veſicæ fibrarum, ſive principium, ſive terminus,

Obſer. Anat.

 minus,

minus, neminem de hac re diſſerentem video; quamvis cum ad quarumdam rerum faciliorem fortaſſe captum, tum ad ejuſdem partis ſtructuram pleniùs aſſequendam id plurimùm conferre puto. Quum Veſica muſculus cavus ſit, cujus varia eſt fibrarum diſpoſitio, quò ſive firmiùs conſtruatur, ſive aptiùs quaquaversùs contrahatur: eo quadantenus ordine ejus fibras diſponi cenſeo, quo LoWerus primùm, cæteri deinde Anatomici in Cordis fabrica tùm oriri, tùm diſtribui obſervarunt. Harum nullas à vertice, ſed à baſi omnes pronaſci, ſeu ab Cordis Emiſſariis, ſinguli omnes conſentiunt. Quod quidem pari fermè certitudine de ejuſdem Veſicæ fibris dictum intelligo: modò nonnullas fortaſſe excipias, quas ſive ab Uraco, ſive ab Ureteribus pronatas, ac ad ejuſdem imum, cervicem ſcilicet, deſinere certum eſt. Quæ ut nitidiùs in conſpectum dentur, non ſcalpelli opera tentandum eſt: id enim nec prorsùs indubium, nec facile comperi; ſed vel ſpiritu diſtenta, vel ſi mavis, exſiccata paululùm lacertoſa hominis Veſica experiundum eſt. In hac ſiquidem lumini oblata, non modò quà illius confertiores fibræ ſint nullo negotio detegitur, quæ in priore parte ſitæ ſunt, quà minùs à circumſitis potentiis adjuvantur, ſed quis ſit earumdem ordo: quis inceſſus: unde plurimæ ſaltem oriantur: quòve deſinant. Rectarum itaque ſingulas omnes non in fundo aut contrahi, aut inde pronaſci; ſed ab cervice progredi, ac altero peragrato latere eaſdem omnino immutatas, per adverſum ad eumdem remigrare locum, oculo haud quaquam imponente comperiet. Tranſverſas autem fibras, quas circulares nominant, nec difficulter internoſcet; quarum tamen ſi obliquum inceſſum parumper perſequatur, inde crebrò deflecti percipiet: vel luculenter cum rectis rectà protendi: vel orbe non abſoluto ita tenuari, ac dirimi, ut vix porrò queant dignoſci, comperiet. Quod nos tamen ſive per hanc rationem, ſive aliter ſumus conſequuti, id profectò eſt: quòd exteriores rectæ Veſicæ fibræ non eò deſinunt, quà ea in cervicem conformatur; ſed ulteriùs multò productæ, circum Proſtatam, quæ iis inſternitur, ad ejus imum, ſive ad oſſa Pubis conferuntur. Atque illud ipſum validum eſt, & lacertoſum, quod in noſtra Proſtatæ Capſula animadvertendum ſupra propoſuimus;

De Corde cap. I.

*Fibrarum Veſicæ inceſſus, & detegendi modus.*

*Quid ſit Proſtata lacertoſa Capſula.*

ſub

ſub quo plurimos ejuſdem ſinus prætervehi diximus; quodque non inerti dumtaxat Tunicæ munere fungi cenſendum eſt.

§. XXI. Veſicæ verò Sphincterem quod ſpectat, quem tanta diligentia Falloppius, plurimique Profectores Exercitatiſſimi perſequuti ſunt; non protinus vel adeſſe, vel abeſſe pronunciabo, quum mea tanti non faciam, ut ad hanc controverſiam dirimendam me unum diſceptatorem conſtituam: ſed quid mihi æquo inſtituto examine obſervandum contigerit, liberè fari non verebor. Sub rectis itaque exteriùs conſitis Veſicæ fibris, juxta morem, & Falloppianam ſedulitatem detractis, confertiores circa cervicem, Tranſverſalium faſciculos reperi; quos quidem nec eo prorsùs, quo arbitrantur ordine diſpoſitos, neque eo omnino loco ſitos, quatenus vel Falloppius propoſuit, vel cæteri autumant, deprehendi. Nam quum eas in orbem ferri circùm cervicem (quod Sphincteris nomen ſignificare videtur) quamplurimi arbitrentur; nobis haud ita obſervare datum eſt: ſed aliter multò locari. *Nam ſit Veſicæ Sphincter, & quo pacto conformatus.* Hæ igitur Tranſverſæ fibræ, quæ frequentiſſimæ ſunt in priore cervicis facie ſub noſtro Proſtatæ Ligamento ita eo loci inflectuntur, ut arcum potiùs, cujus cornua ſuperiora ſpectent, quàm orbem deſcribere videantur. *Si quis eſt, à tranſverſis fibris aliter locatis efficitur.* Quòd ſi eaſdem in adverſa, poſticaque cervicis facie, itidem perquiras, idipſum omninò reperietur, niſi quantum, aut fibrarum eo loci major tenuitas, aut major earumdem numerus perſpicuitatis fortaſſe detrahet. Cæterum haſce fibras, quas non anulum circum cervicem, ſed utrinque arcum efficere diximus, ſive eo loci confertæ deſinant, ſive continuatæ ulterius producantur, mentis potiùs, quam artis ope attingendum eſt. In eam tamen lubentiùs ſententiam propenderem, ut eò conſertas terminari, ſeu in eo progigni loco arbitrarer. Quod autem ſubjicit de earum ſitu Falloppius. *Obſer. Anat.* „ Fibræ autem iſtæ latent inter „ rectas in ipſa cervice Nam cum rectas exteriores detraxe- „ ris, poſtea apparet muſculus Transverſus, vel fibræ di- „ ctæ, & ſub his aliæ adhuc rectæ continentur „ ab noſtris quadantenus diſquiſitionibus diſſentit. *Diſſenſus à Falloppio.* Inter rectas ſiquidem exteriores & interiores, de quibus ſermo eſt, quas ille tranſverſas vocat, nos autem arciformes diximus, locari

*Bini fibrarum ordines Veſicæ extrà proſtatam: tertius intrà eam terminatur.*

quidem conſtat: at rectæ interiores non ſic circum cervicem tranſverſis ſubjiciuntur, quin utræquę, interjecto corpore, perſpicuè dirimantur; Tranſverſæ namque exteriùs Proſtatæ illigantur: quum ab cæteris disjunctas rectas interiores fibras in Proſtatam nequaquam inſeri compertum habeamus. Has etenim propè cervicem ab ſuperioribus ſeu exterioribus diremptas per cervicis tubum, ſi non omnes, plurimas certè ad inferiora produci perſpicuum eſt, quod propoſita ante ratione in diſtenta veſica obſervatu facile occurrit: eadem ratione & ureterum interiùs reptatus percipitur: unde prominula illa duo intra veſicam in unum coeuntia corpora oriri conſpiciuntur, quod ulteriùs provectum in caput Gallinaginis terminatum ad ſummum Urethræ fertur. His per Anatomen cognitis facilè cuique eſſe arbitror quid de eo Sphinctere ſentiendum ſit, planè dijudicare.

Ibidem.

§. XXII. Intrà verò Proſtatę ſubſtantiam, ni multum ego fallor „ oblatum, panſumque ſubter ad veſicæ collum „ notabilem muſculum videri poſſe à transverſo ſuperiore „ Falloppiano longè alium „ non indicantis, ſed aſſerentis in modum Cl: propoſuit Bianchi; quem quidem eidem impoſuiſſe non adeò mirandum eſt: Si quis namque, ut ipſe præmonuit „ advertat moveri proſtatas, & abradere „ id ei in oculos incurſurum pro certo habeo, quo decipiatur, exiſtimans muſculum, atque eum Sphincterem eſſe: Tenues ſiquidem fibras parallelo ductu incedentes in orbem ferè compoſitas cernet: ut ſi levi huic diſquiſitioni facilis nimiùm acquieſcat, non dubitem, quin eas omnes pro muſcularibus fibris ſit pronunciaturus. Sin accuratiori inſtituto examine rem ſedulò iterum, iterumque perpendat; non muſculares fibras, ſed circumductos proſtatæ tubulos eos eſſe fatebitur. Sed his non modò penè totam compingi proſtatam cognoſcet: imo verò ubi eam funditus diſſolverit, facilè ei earum diſcrimina, & è compreſſis proſilientes humores percipiet. Igitur in hac parte fibræ non quod muſculi natura exigit, ſed quod proſtatæ diverſitas ferre videtur, diverſimodè ſeſe habent: nam in ſuprema proſtatæ crepidine firmiores, & magis candidæ: medio loco ex rubro albeſcentes: in imo denique ſaturatiori rubore infectæ luculenter perſpiciuntur. Ex quo clarum jam id

eſſe

eſſe arbitror, etſi quædam muſcularium fibrarum ſpecies obiter intuentibus exhibeatur, muſculum reverà nullum eo loci præter ſuprà memoratos reperiri. Illud verò quod ad cervicis veſicæ oſculum ità aliquando prominet, ut urinæ iter intercludere aliquantùm valeat, quidpiam glanduloſum eſt, ſub tenui, intimaque veſicæ membrana conditum, ſic ut conſpicuis interdum, aggregatiſque glandulis formatum viderim, cujus latam circum aream à minoribus licet, extantibus tamen occupatam memini in ſene, intra cujus veſicam ſex ſupra triginta ex albo flaveſcentes calculi continebantur, quorum aliquot Avellana vix minores ab ſacculis ex ejuſdem veſicæ validiſſimis, diremptiſque lacertis conſtructis, concludebantur. Atque ex his potiſſimùm glandulis, iis, qui veſica laborant copioſior ejus muci proventus eſt facilè derivandus.

OB-

# OBSERVATIONES ANATOMICÆ

## CAPUT XI.

### *De Mulierum partibus procreationi datis.*

§. I. NOſtras poſtremò Obſervationes Mulierum partes procreationi datæ ſibi vendicant, quippe quæ indicta hactenus nobis obtulerunt vel numero, vel gravitate digna, quæ ob oculos Anatomicorum ſubiiciantur. Atque ut ab iis exordiar, quæ communem opem, & Podici, & Genitalibus afferunt, quædam de diſcrimine Sphincteris, quod inter illas noſtrumque ſexum intercedit, annotabo. In Fæminis igitur ima pars Sphincteris ſeu cutaneæ fibræ nec numero, nec longitudine noſtris reſpondent, quum pauciores eas, exiliores, ac breviores multo compererim: quæ verò ejuſdem inceſſus fibræ in priora proferuntur, ſicut in viris in Urethræ Acceleratores muſculos, & propriam Colis membranam inſeri ſuprà retulimus, ita in ſequiori ſexu in imam poſterioremque vaginæ partem mox ſuprà Perinæi cutem inſiguntur, quà ejus partis frænulum in virginibus præſertim conſpicuum, conſtituitur. Hæ quamquam ſæpiùs ità mihi incidere, eòque ſeſe inſertum ire, viſæ ſunt, aliter tamen aliquando ſe habere ſunt mihi oblatæ, quas Sphincteris prorſus modo illuc hæreſcere quidem; at produci, & inſeri, vel nullas, vel vix ullam, tenuemque obſervavi, atque id tum potiſſimùm incidere memini, cum poſteriores, & poſitu fermè, & tenuitate reſpondent.

Tab. 2. fig. 1. lit. K

*Diverſitas quædam in Mulierum Ani Sphinctere.*

§. II. Foeminis Transverſales muſculos datos eſſe ab nemine factam mentionem ſcio: quamvis eos in his quoque non repererim modò, ſed & iis, qui aderant luculentiſſimè moſtraverim.

*Muſculi dicti Transverſales adſunt & in Fœminis.* Ibid. gg

verim. Transverſalem autem muſculum potiùs, quam Transverſales voco, tametſi gemini imaginem referat, quum utrinque ab Iſchio ad Sphincteris priora feratur. Oritur itaque is lato carneo tendineo, tenuique principio ſupra exortum Clitoridis Erectorum, ac transverſim ductus teres fit, & juxta Sphincteris fibras Recto inteſtino arctiſſimè junctus, nil penitùs ibi mutatus, in adverſum latus, eadem prorſus ratione ſe habens, inſeritur. Nec cui alteri uſui, quam ut rectà ſurſum podicem trahat, vel ut minimùm in priora, atque eo pacto aliquatenùs imum vaginæ adducat, tum ex poſitu deducere licet, tum ex iis, quæ de ejuſdem vaginæ Sphinctere obſervavimus, maximè intelligetur. *Numerus, & deſcriptio.*

§. III. Sphincterem vaginæ muſculum jamdiù notum fuiſſe non modò ab Euſtachii Tabulis cognoſcitur, ſed etiam à pluribus habetur Anatomicis: qui profectò etſi exercitatiſſimi hanc ſpartam ſedulò illuſtrarunt, vel nullum tamen, vel perperàm ejuſdem aut principium, aut terminum cognovere. Alii enim ex quibus præcipuè Euſtachius, & Riolanus deductis ab Ani Sphinctere fibris illum manare crediderunt. Alii autem poſt Graafium, quos inter CoWperus, Verheyenius, Heiſterus, aliique nullum ei originis locum diſignaverunt: quem tamen nos per Anatomen ei eſſe tribuendum certe credimus. Hunc igitur duplici prodire principio luculenter nobis conſtitit; altero prorſus carneo, tendineo altero. Carneæ hujuſce fibræ circà medium Transverſalis muſculi, quaſi ab eo pronatæ abſcedunt, ac paulatim disjectæ exteriorem, ſeu ſuperiorem Sphincteris partem conſtituunt, quæ verò Cunni oſculo propinquiores ſunt ab eodem imo vaginæ latere membraneæ, ſeu tendineæ emergunt: ac eidem attenſæ unà cum ſociis, vix ultrà duorum digitorum ſpatium occupantes ad Clitoridis crura contendunt; neque, ut plurimi opinantur, ſub illis ſeſe recondunt, & inſeruntur; ſed in tendinem abeuntes partim ſubjiciuntur, partim, ubi ea curvantur, iiſdem inſeruntur eaque ſuperſcandunt: ut eò faciliùs, & quò vaginam amplexantur Sphincteris munus obeant, & quò Clitoridem deducunt ſuo magis magiſque munere fungi poſſint. Cui rei an Transverſalis quidquam conferat, & ſupra indicatum fuit, & ab ejusdem origine, & nexu liquet.

Tab. 14. fig. 1.

Antrop. l. 5. cap. 37.

*Vagina Sphincteris principiũ nonnulli, vel malè aſſignant, vel nullum.*

Tab. 2. fig. 1. lit. G

*Quà is oriatur quò deſinat, ac quid præſtet.*

§. IV.

§. IV. Profectò muliebrem Urethram muſcularibus quibuſdam ornari fibris non modò pauciores prodidere Anatomici, ſed ne ii quidem, qua ratione ſe habeant, aut quid illis muneris obeundum ſit, ſatis conſentiunt: quod non aliundè promanare crediderim, quàm à minùs accurata, & certa earum inſpectione. Nos eas primùm in conſpicuum muſculum diſpoſitas in Virgine inſpeximus, eumque in publicis prælectionibus, ſuis in ſedibus hærentem adhuc monſtravimus; cujus deinde in duobus ſcortis vix veſtigium aſſequuti, utpotè in fuſum tendinem prorſus mutati, in tertio tandem eum planè comperimus. Ecce deſcriptionem ſubjicimus. Novum muſculorum par, ſeu ut nobis perſpicuè conſtat, novus muliebris Urethræ muſculus, quem poſthac ejuſdem Depreſſorem nominabimus, lato tendineo exortu ab infero Pubis crure infrà magnum foramen ſuprà Clitoridis Erectores muſculos proficiſcitur, ac obliquè ad ſuperiora provectus, ſub oſſium Pubis flexu, arcus ſpecie ductus Urethram ſcandit, eamque prætervectus in oppoſitum latus, eo quo prodierat modo inſeritur. Hunc itaque muſculum geminum dicere non placet, quoniam eædem protenſæ fibræ, nullo commutatæ loco, Urethræ dumtaxat adhærentes, in oppoſita feruntur: verùm validiore ſupra Urethram agmine producto eodem continuatoque ductu in adverſa contendunt. Ex his, qui haſce fibras, quadantenùs cognoverunt Graafius præ cæteris cenſendus eſt, quamquam ne eum quidem eas rectè pernoviſſe ex eo liquet, quòd iſtam dixerit „ muſculi Sphincteris fibras carneas, quæ „ totam Urethræ longitudinem cingunt, & adhuc latiori ductu ad vaginæ latera, & anum deſcendunt „. Cui quidem ferè adſtipulantur cæteri, quotquot de hac re ſcripſerunt Anatomici: id mihi unum contendendum eſt, non qua Graafius propoſuit, ſed ea, qua nos ratione obſervavimus, rem ſe habere. Non hujus enim, quem nos propoſuimus, muſculi, aut à Vaginæ lateribus, aut ab Ano quidquam proficiſcitur, neque tanta is latitudine explicatur, ut „ totam Urethræ longitudinem cingat „ nec circà Urethram in orbem agitur, quo ſit Sphincteris nomine nuncupandus. Quamquam tamen is non ea eſt figura donatus, qua cæteri perhibentur Sphincteres; non ob id iſtiuſmodi quadantenus munus negandum

Tab. 2. fig. 1. lit. FF

*Muſculi novi Urethræ depreſſoris deſcriptio.*

*De Mulier. Org. cap 6.*

*Quidpiam ex ea attigit Graafius, ſed perperam.*

eſt;

eſt; quum illud ob rationem poſitus præſtare quam maximè poſſit. Qui Veſicæ, atque adeò Urethræ, cæterarumque nexarum partium poſitum noverit, haud difficulter percipit, quì id muneris ab noſtro Urerhræ *Depreſſore* obeundum ſit. Urinæ igitur veſica oſſibus Pubis interiùs annexa, ima ſui parte arctiùs vaginæ copulata ad acutum angulum eidem innititur: quumque inferior innixa veſicæ pars, utpotè contractior, validior ſit, quàm minimùm in convexitatem componitur, quæ etſi mollior laxiorque multò foret, contrà atque creditum fuit, ab laxis vaginæ lateribus vix poſſet in ullam convexitatem induci; quum ea plurimo circum adipe, & frequenti vaſorum reptatu ſit occupata, atque adeò in planam penè ſuperficiem compoſita. Ab veſicæ imo, ſeu cervice orta urethra, vix transverſo pollice longior, incurvo inceſſu paulò in ſuperiora converſo extrorſum profertur, & infrà Clitoridem hiat. Verùm *Depreſſor* noſter ex imis Pubis cruribus transverſim ſuper Urethram fertur. Quum autem huic nulla opponatur potentia, quo minus in naturalem contractionem veniat, ſive ea à perenni ſpirituum fluxu, ſive à fibrarum vi pendeat, non poteſt, quin eam ad vaginæ latera apprimat; quoniam is eo loci locatus eſt, ubi non laxi ejuſdem vaginæ parietes, & collabuntur, ſed tum ab oſſium nexu, tum à proximis partibus firmati validiùs compreſſioni reſiſtunt: proindè inter utrumque locatam Urethram comprimi, atque adeò occludi neceſſarium eſt. Cui verò ſi major multò Diaphragmatis, & eorum muſculorum, qui huic muneri ſubſerviunt, vis opponatur, *Depreſſoris* laxari fibras oportet. Quapropter diductà Urethrà per compulſam deſuper urinam, ea non profluere non poteſt. Quod ſi aut nimiùm, aut diutiùs ejuſdem fibræ in difficiliore ac laborioſo partu diſtractæ perſiſtant, ob hanc maximè cauſam vrinæ incontinentiam aliquando quoque ſubſequi obſervamus. Quod tum potiſſimùm contingere judico, cum oſſa Pubis præ valido Matris niſu ab invicem diducta uſque adeò eas partes diſtrahi ſinunt, ut in priſtinum locum reſtitui minimè valeant. Oſſa enim Pubis in recenter denatis Puerperis, quamvis non ſæpiùs dirempta vidi, in aliquibus tamen ità diducta reperi, ut & Noſtrum, & Chirurgi, qui tum aderat, facilè fuerit pollicem tranſverſum inde-

*Quis ſit Veſicæ poſitus ſuprà Vaginam.*

*Depreſſoris Urethræ operã-di ratio.*

*Oſſa Pubis in partu aliquã-do diducun-tur.*

re : Ex quo id mihi conſequi videtur , eorum oſſium connexionem non per Sinchondroſim effici , quum quæ legitimæ cartilagines ſunt flecti quidem : at diſtrahi , ut mihi compertum eſt , patiantur nunquam . In quibus autem nulla oſſium diductio habetur , vix quidquam illum muſculum pati poſſe cenſeo , quoniam ſub oſſibus ità locatur , ut nonniſi diducentibus ſe oſſibus , diſtrahi queat . Cæterùm dum in Urethram

*Complures hujus muſculi uſus .*

agit non modò urinæ coercendæ , & extremis ejusdem guttis expellendis miniſtrat , verùm , & glandoſi Proſtatæ corporis liquori attemperatè exprimendo , & ſubjectæ Vaginæ amplexu ſic eam apprimendo , quò aptiùs pro Naturalium habitudine , & varietate ſingula ſingulis ad procreationis commodum congruant .

§. V. Alias verò alterius ordinis muſculares fibras ſub noſtro condi muſculo ſecundùm Urethræ longitudinem protenſas , vix aſſerere auſim , quoſdam licet lacertulos circà ejusdem latera poſitos vidiſſe aliquando viſus ſum . Ab his obſervationibus antequam recedamus , juvat illa eadem ( quandoquidem hic locus eſt ) commemorare , de quibus , cum de vi-

*Proſtatæ ligamentum , & ſinus in Fœminis que;; ſunt.*

rorum organis procreationi datis ſupra egimus , ſermonem habuimus . Ea autem ſunt Proſtatæ , ligamentum , & Sinus . Id quidem utrumque , & in Foeminis adeſt , quadam licet varietate , quum lateralia ligamenti cornua ſeu anguli , non in Urethram , ſeu glandoſum eidem circumductum corpus , quod quadam intimioris ſubſtantiæ ſimilitudine Proſtata dicitur , ità inſiguntur , ut multò magis tum ad proximas Ani Levatoris fibras , atque Vaginæ latera arctiùs non inſerantur , quo profectò minùs huc uſque animadverſo artificio conſultum fuit , ut quum eæ circumſitæ partes maximos frequentiùs debeant ſubire niſus , valentiſſimos itidem renixus edere opportunè valeant . Et in ſequiore hoc ſexu ſinus eo loci adeſſe , facilè eſt demonſtratu . Eos porrò tùm ad Clitoridis rigiditatem , tum potiſſimùm interiùs ad vaginæ latera datos , eidem comprimendæ , atque utrinque arctandæ comparatos eſſe , ex Anatome potiùs , quàm ex diligentioribus ſive Graafii , ſive SWamerdamii , ſive CoWperi Tabulis percipi poteſt . Hi

*Eadem horum diſpoſitio , & uſus .*

ſub Pube pręſertim , licet multò atque in viris pauciores ſint , in iis tamen nec inceſſus modum , nec tranſverſos lacertulos ,

nec

nec frequentiſſimas anaſtomoſes deeſſe deprehendimus. Eas namque, quæ eo loci creberrimæ ſunt, quamobrem datas eſſe venas cenſemus? Num ad ſanguinem dumtaxat revehendum, quum & pauciores multò, & exiliores inferentium Arteriarum propagines eſſe non eſt, qui neſciat? Præterquamquod tot vaſorum complicationes, tot oſculorum hiatus, eorumque omnium potiſſimùm poſitus, quà facilè ad interiora urgeri ab appoſitis muſculis queant, quid porrò ſignificare videntur, niſi ad ſanguinem eo loci ſiſtendum, retardandumque comparata fuiſſe. Etenim quum exteriùs ſive voluptatis ergò, ſive neceſſitate procreationis ſub Vaginæ Sphinctere muſculo ad id potiſſimùm datus retiformis vaſorum plexus locatus fuerit, eadem prorsùs ratio videbatur, cur & interiùs pari aut conſimili conſuleretur artificio, cui quidem per horumce ſinuum diſpoſitionem ſatis fuiſſe factum, autumo.

§. VI. Eamdem circà Clitoridem pro ejus exiguitate, olidam materiam colligi, atque circa virilem glandem, notum eſt; at non æquè notum unde ea derivanda, quandoquidem nulli circà eam poruli conſpicui ſunt, prout nobis in virili veretro primùm detegere datum eſt. Conjectare tamen licet, ex iiſdem ferè partibus manare poſſe: quoniam ægrè ultrà eam viciniam aliunde deduci poteſt. Hujus non modò involucro virili præputio perquam ſimili, ſed & ipſimet membranæ, qua Clitoris circumdatur tenuis ea Nympharum cutis continuata eſt, qua in iiſdem primùm impreſſa ſenſus perceptio, & motus faciliùs in proximam partem communicatur. Senſum enim in hiſce partibus admodum vigere minimè dubitari video; quoniam ſunt frequentiſſimis papillis ornatæ. Nympharum autem motus, ſeu cujuſdam tumoris, ac rigiditatis, ex interiore earumdem diſquiſitione nobis luculentum haberi videtur argumentum. Tametſi harum interior ſubſtantia paſſim cum Anatomicis mollis, ſpongioſa, ac quadantenùs cavernoſa obiter intuentibus apparet: ubi ea tamen in aptioribus cadaveribus haud ſegniter diſquiratur, lacertoſo quodam plexu conſtructa videbitur, qualis in laxis uteri parietibus accuratiùs ſcrutanti occurrit. Ab harum igitur fibrarum tenſione, ſeu rigiditate ita eæ in molem attolluntur, ut ob id & ſibi, & viro mulier Veneris ſenſum pariat.

*Unde olida materia circà Clitoridem.*

*Nymphæ frequentiſſimis gaudent papillis.*

*Lacertoſa interior ſubſtantia.*

§. VII. De variis ac multiplicibus, Proſtatarum, quæ Bartholini dicuntur, oſculis, de gemina ac nobis perpetuò obſervata ejuſdem ſub retiformi plexu glandula, de Graafii Lacunis, quarum plures, ac patentiores ad Urethræ oſculum disjecti nobis occurrere hiatus, de jamdiù noto, ac in Virginibus intemeratis Hymene obvio, non eſt, quod immoremur ampliùs. Nec quidquam ferè in Vagina eſt, quod noſtris prodendum ſit obſervationibus, cujus exteriorem validioremque membranam lacertoſis Uteri fibris, ſtrictioribus licet, ac tenuioribus continuatam eſſe, interioremque prominulis papillis refertam, quilibet callet Anatomicus. Quarum tamen, & rugarum, quibus inſident, diverſa in eadem Vagina diſpoſitio eſt. Mitto has rariores eſſe propè Uteri oſculum, confertiores autem, atque extantes ſub glandoſo Urethræ corpore, nec eas in orbem ferri, quod Accuratiſſimus adnotavit Morgagnus. In matura etenim, atque incorrupta præter cæteras Virgine, in qua ſingula pro lubitu commodum nobis diſquirere fuit, duplicem rugarum ordinem deprehendimus, ampliorem alium, circà utramque priorem ſcilicet, poſterioremque Vaginæ faciem, cujus rugæ ſeu crenæ, quarum ſimiles & in noſtris palatis gerimus, in frequentiſſimos acutos angulos conformatæ, Naturalium exteriora vertice ſpectabant, circà verò utraque ejuſdem latera, arctiori ſpatio concluſum alterum, in quo depreſſiores rugæ erant, quarum vertex ad interiora convertebatur. Uterque rugarum ordo ſuis ornabatur papillulis, quæ & prominentiores, & craſſiores multò in amplioribus rugis erant, atque ab earum papillularum acervo eæ compingi videbantur. Ad latera autem vaginæ, ut & inter majorum rugarum ſulcos, exiliores, ac depreſſiores erant papillulæ, quæ itidem confertiſſimæ, at humiliores in utraque Hymenis facie conſpiciebantur.

*Ad. Anat. I. Tab. 3.*

§. VIII. Sua ſunt præter memorata Viris communia, quæ ſive ad Proſtatam, ſive ad veſicam, aut Ani Levatorem muſculum haberi diximus, Clitoridis & Vaginæ ligamenta, quorum alterum exteriùs Pudendo potiùs, quàm Vaginę proprium, utrinque in longitudinem ab oſſibus Pubis demiſſum; alterum ab interiore Oſſis Sacri, & Cocygis facie in Rectum inteſtinum, tum in Vaginæ latera, derivatum. Illud prorſus ei

*De Clitoridis, & vaginæ ligamentis.*

ei ſimile eſt, quod in Viris deſcripſimus, cujus tanta neceſſitas eſt, quò non ſolum Clitoridis crura nectantur, ſed firmiùs Vaginæ latera, molliùſque velut proprio Thalamo copulentur. *Seu de Thalamo Clitoridis.* Quum enim conſultò natura in Fęminis ad faciliùs edendum fœtum ſic Pubis crura diduxerit, ut quà comittuntur, arcus potiùs, quam anguli, qui in Viris eſt, ſimilitudinem reddant: quumque tantus ſub eorumdem oſſium connexione, ſive copulantis ligamenti, ſive membranarum aggeſtus ſit non ad ea oſſa firmanda hunc dumtaxat appoſitum fuiſſe dicendum, quin potiùs, ut erupturo fœtui, ne duriùs tenella ejuſdem membra allidérentur, neve incommodè nimiùm oſſium parieti Vaginæ latera apprimerentur, id omne curaviſſe videatur. Ab Sacri verò Oſſis interiore facie duo diducta teretia ferè producuntur ligamenta, quæ in ima Cocygis parte coeuntia rursùm bifariam diſcreta, Rectoque inteſtino medio comprehenſo, valida porrò, & continua in grandævis potiſſimùm, & lacertoſis Mulieribus conſpicua, vix autem in tenellis, & gracilioribus ad imum Vaginæ latus deducuntur, & membranarum modo disjecta, & explicata eidem firmiùs illigantur. Neque mirandum eſt, tanto conſilio, tantaque ſolertia fuiſſe earum partium firmitati proviſum, quum minori tutatę munimine è ſedibus in frequenti, graviorique partus niſu divellerentur. *Vaginæ ligamenti deſcriptio & uſus.*

§. IX. Etiamſi vix quicquam eſt, quod circà Uterum, ejuſque Cervicem perinde, ac novum, vel magni alicujus momenti, noſtra ſit ſedulitate in Anatomen invehendum, quædam tamen habemus animadvertenda, quibus, quantùm noſtræ cum alienis conveniant obſervationes, palàm fiet. Porrò globoſa ea corpora, quæ in cervice, ejuſque oſculo interdum penitùs demerſa, interdum conſpicua multùm, & extantia, ſæpè inæqualis ordinis, ac magnitudinis, ac nonnunquam, in aptioribus licet Cadaveribus inquiſita, nulla apparent, neque hydatides eſſe, ſive ab expreſſo ex iis muco, ſive ab eorumdem uſu; neque novas aut fœminei ſeminis ſcatebras, aut novum muliebri cervici datum ovarium, ſi quis ſedulò, ac ſæpè Puerperarum potiſſimùm diſſectiones inſtituat, ſatis intelliget. Ne verò id prætercam, quod ab Clariſ. Morgagno harum partium, ut & cæterarum Scrutatori accuratiſſimo adnotatum fuit: vix unquam quidquam vitii in iiſdem me deprehen- *De globoſis cervicis corporibus ſeu mucoſis glandulis.*

prehendiſſe, licèt putidiſſima Scorta cæteris alioqui partibus corrupta diſſecuiſſem. Ad Puerperarum autem repetitas diſſectiones, quod attinet, incredibili penè numero mucoſas eas veſiculas, per ampliſſimam tum temporis uterinæ cervicis cavitatem disjectas comperi, ut vel harum numerum prægnationis tempore augeri, vel quod magis conſonum eſt, earum-

*Mucoſæ Veſiculæ in cervice Puerperarũ cumulatiſſimæ.*

dem vix viſibilia corpuſcula uſque adeò adoleſcere dicendum, quò extillante humore, tum ſenſim earum membranarum laxentur fibræ, tum præter aliud fortaſſe quodpiam prægnationis commodum, faciliùs illac pertranſeunti fœtui via ſternatur. Igitur non negaverim, & aliis fortaſſe uſibus eas veſiculas miniſtrare, & ad ſtatum hoc potiſſimùm tempus eas fuiſſe comparatas ex eo maximè colligere licet, quod in diſſecta muliere obſervandum contigit. Proba igitur mulier lacer-

*Gravidæ mulieris diſſectio.*

toſi habitus 40. annos nata, quindecim feliciter ennixa fuerat filios; gravida iterum facta ex utero extillantem humorem dilutiorem modò, modò ſaturatiorem, ac ferè cruentum per multum temporis pati. Jam inſtante partu de doloribus circà Pubem conqueri, nec ullum fœtus motum percipere. Hinc thoro ſeſe addixit languens, & querula, ac poſt irritos totius diei niſus obiit. In hujus Abdominis cavo modicam cruenti ſeri copiam invenimus; Uteri craſſities digito auriculari major, propè uteri cornua noſtrum non tenuem indicem ſinus facilè admittebant: Tuba utraque, earumque præſertim laciniata extrema; ac bina Ovaria tumentia nimiùm, ac penè nigrore infecta intenta ac lacertoſa erant, quæ teretia Uteri Ligamenta dicuntur. Placenta priori uteri parti adhęrebat; Fętus probè compoſitus per caput egreſſum parabat in vertice ob Uterinæ Cervicis anguſtiam faſtigiatum. Pubis oſſa paulùm diducta; Uteri verò cervix aſpera, durior, renitens minimèque in diſtractionem prona, nullo oblinita muco, cuique nullæ, quæ aliàs confertiſſimę eſſe conſuevere, mucoſæ veſiculæ inerant. Hęc præter cętera, quę hujus loci non ſunt, in hac muliere obſervata, penè evincere videntur, eam Mulierem propterea parere non potuiſſe, quia minùs diduci extrema cervicis pars, ſeu oſculum potuit: quod profecto ab veſicularum, atque adeò ab extillantis muci defectu repetendum cenſeo. Quum is etenim ante id temporis aſſiduè ac multò

copio-

copioſiùs fluxerit, cervicem deinde, inſtante partu, aruiſſe minimè mirum eſt, quod luculenter tum ejuſdem partis ſiccitas, tum nullus veſicularum, & muci conſpectus ſignificabant. Hinc jure eſſe colligendum videtur: neque fortuitas eas hydatides, neque novum aliquod aut ſeminis, aut ovorum promptuarium eſſe, quando prò partus opportunitate, harum, & numerum, & molem mirificè augeri videmus. Rugas autem ſeu mavis ejuſdem loci Valvulas, & in laxiſſimis puerperarum cervicibus ſupereſſe adhuc, nec prorſum deleri, quin imò planiores licèt, latiores tamen effici, obſervavimus: nec deleto, explicatove medio, unde velut prodiere, ſtipite. Verùm ea eſt, cum in ſingulis partibus, tum maximè in harum cervicis rugarum diſpoſitione Naturæ varietas, ut eam potiùs eſſe quadantenùs indicandam, quàm complectendam nobis ſperandum ſit. Modò enim bini ſecundùm longitudinem producti lacerti ſunt, quos inter tranſverſæ mediant extantes, ac conſpicuæ rugæ ſeu Valvulæ; modò plures ſunt ac inordinatè poſiti, ut quem ii locum teneant, certè indicari non poſſit. Hos quinque exiſtere aliquando reperi, ac eos ipſos in quemdam rugarum modum diſpoſitos obſervavi ſeu in totidem lacertulos transverſim diviſos; inter horum tamen ſpatiola, quæ quidem exigua erant, vix conſpicuæ creberrimę ſanè, ac minutiſſimę interſeruntur membranulæ, quas ſeu Valvularum, ſeu Rugarum, etſi vicem exhibere videntur, quoniam intimiùs multo repoſitæ ſunt, vix ei muneri pares eſſe exiſtimo. Quæ ut ſingula nitidè detegantur, purgata priùs, vel æquà maceratione, vel crebra abſterſione, ea parte, ſi limpidæ deindè aquæ indatur, & ſuccutiatur leniter, elegans profectò opus ſpectabitur. Non ſemel autem ſic eas compoſitas deprehendimus, quales, prout tum occaſio ſeſe obtulit, delineari curavimus, ut quamdam arborem eleganter diſpoſitam repræſentarent, cui interſitæ frequentes mucoſæ veſiculæ dependentium inde velut baccarum imaginem perbellè reddebant. Eæ tamen membranulæ, quarum pleræque omnes inferiùs converſæ ſunt, ac quodammodo Valvularum quoque officium tum obeuntes, ut prælaudatus obſervavit Morgagnus, non ita tamen omnes unde dependent, ſic omninò adhærent, ut crebrò utrinque præter extrema ſolutæ, lacertulorum potiùs, & vinculorum, quàm

*De cervicis rugis.*

Tab 2. fig. 3. lit. B

Ad. An. 1. 6.

Val-

*Tranſverſi lacertuli.* Valvularum modo locarentur: ita fortaſſe firmitatis ergo quędam veluti tranſverſa ligamenta, datas eſſe, ſuſpicandi locus eſt, quorum nullo non tempore aptus eſſe uſus poteſt. Poſtremò, quod circa imam cervicem adnotandum habemus, cujus ſępiſſimè indicium in puerperarum cadaveribus oblatum eſt, ductus quidam ſunt, qui etiamſi non ita crebrò, nec pari amplitudine donati reperiuntur, quum frequenter tamen eos viderim, non eſſe ſilentio comprimendos exiſtimo. *Ibidem.* Igitur circùm cervicis oſculum, quà id rubet, & prominet bina in poſteriore ejuſdem parte ductuum oſcula occurrunt aliquando. *De ductibus oſculi cervicis.* Hæc ſic ampla interdum vidimus, ut craſſiorem ſtylum facilè admitterent, qui non altiùs adigebatur, ut tres lineas ſuperaret, ex quo mucoſi humoris quidpiam exprimere difficile non fuit. Quoniam tamen eos aliàs deeſſe, aliàs reperiri multùm eam infrà amplitudinem adnotavi, quam vel in menſtruatis, vel in puerperis mulieribus obſervare frequentiùs obtigit, in his etenim pronum quandoque fuit altiſſimè, vel ſtylum, vel ſetam promovere; idcirco ea non perinde ac perpetuò mihi obſervata propoſui.

*Nullus cervicis muſculus.* §. X. Novum verò circa cervicis oſculum præfici muſculum, cujus Iconiſmum poſtrema Verheyenii editio exhibet, ab reliquis cervicis fibris diſcretum vidimus nunquam. Vidimus quidem unum tantummodo, eumque cavum muſculum Uterum eſſe, cujus in Puerperis potiſſimùm non lacertuli internoſcuntur modò, ſed eorumdem poſitus, atque contextus luculentiſſimè deprehenditur. Quà quidem tantum abeſt, ut novus quidam ei loci orbicularis muſculus circumdatus ſit, ut illic attenſæ fibræ non omnes in orbem, ſed complures ſupernè ab utero demittantur. Quemadmodum perſpicuè obducentis illius membranæ diſcrimen habetur, qua ſive cervicis, ſive Uteri cavitas præcingitur: *De interiori Uteri ſuperficie.* quoniam ea, quæ in Utero eſt, rubella, quæ autem in cervice, pallidior paulò, ſivè ab illius membranæ habitudine, ſive ab ſubjectis partibus perpetuò mihi apparuit; ita non eadem certitudine quo pacto earumdem ſit conformata facies aſſerere auſim; tametſi armato oculo mihi, attentiſſimè inſpectanti, villoſam penè plurimis diſcurrentibus vaſculis perfuſam, & præſertim circà cornua exiguis glandulis, ſeu mucoſis veſiculis ornatam videre viſus ſum.

Quo-

Quorum etſi in Utero exiſtere ratio præterea ſuadet, non ob id tamen utrumque ineſſe oportere cenſendum eſt, quamvis de glandulis, ſeu mucoſis veſiculis nullus poſt repetitas luculentiſſimas obſervationes videatur eſſe dubitandi locus. Villos autem quod ſpectat, licet commodiùs nobis videretur, aut pendentibus iis vaſculorum extremis, quæ nos ut Villos concipimus, extimam placentæ faciem illigari, aut quod perpetim humoris ab iis partibus extillat, ab glandularum folliculis omnem eſſe derivandum. Quum horum alterum perpetuò, alterum verò aliquando ſine iſtiuſmodi artificio Naturam præſtitiſſe noverim; Tametſi id haberi poſſe puto, non tamen, ſecus id fieri non poſſe, conſtituendum eſt. Quicumque enim vel primò ad Animantium diſſectionem manum admoverit, cujuſque viſceris extimam faciem non lęvem modò, ſed humore oblinitam certè repererit, quem tamen ab exteriùs conſitis folliculis derivandum aſſerere, multi cavent Anatomici: quum è viſcerum vaſorumque perſpiratu ſatis commodè deducere valeant. Si quid verò in iiſdem viſceribus fortè adauctum occurrerit, ut alienos fines occupare neceſſum fuerit, haud verò obſervatu contigit, diſcretas omnino ſolutaſque partes, ita tum cohęreſcere, ut haud validiùs Placenta vtero copuletur, quod adeò frequenter in noſtris diſſectionibus evenit, quàm quod maximè. Ex his unum præter cætera memorabo quò in eam molem utraque Ovaria excreviſſe comperi, quæ decuplò, atque etiam, major utero eſſet, ut tenujum inteſtinorum fines occuparent, iiſque ita copularentur, quò in commune commodum mutuis utraque vaſculis alerentur; Quamquam in neutris ſuperficie ſoluta vaſorum extrema eſſe nemo adhuc commentus eſt. Iccircò non ab re foret opinari, ſi in Abdominis cavum ovulum fortè deciderit, ibi & glutinari primùm, ac etiam adoleſcere, atque ad nonnullam poſſe maturitatem perduci.

*De Ovariorum magnitudine, & nexu*

§. XI. Neque illud prætermittendum cenſeo, quod non modò ad Vaſorum Uteri reptatum, ſed ad ea fortaſſe illuſtranda, quæ ab iiſdem pendent, plurimùm conferre videtur. In interiore itaque uteri facie, quæ aliquibus retiformi vaſorum plexu ornata (nobis autem, ut nuper poſuimus, villoſa quadantenùs viſa eſt) poſt longam macerationem, ſive contento

*De inceſſu vaſculorum, quæ in cavo uteri ſunt.*

aere diducta, ſive macerante fluido turgidula, ſic conſpeximus, ut levi digito ea deorſum premendo, jucundo ſanè ſpectaculo, è quibusdam parallelo ordine compoſitis, deorſumque converſis Syphunculis unà cum contento humore aeris bullulas in cavum uteri erumpere obſervaverim, quæ quum iterum intenta acie repetierim, eadem omnino obſervare viſus ſum. Quamquam autem non una ſemper methodo, eodemque Natura utatur artificio, quò ſive certos, ſive ſtatis temporibus, ſive ſalubres aliquandò meditetur ſanguinis fluxus; id tamen, ſi prout nobis viſum eſt, ita & verum, & conſtans foret, multò fortaſſe faciliùs, quæ ab utero ſanguinis eruptiones contingunt, poſſent explicari. Ab horum itaque diductis oſculis, quæ neque Arteriarum, neque Venarum eſſe neceſſe eſt, primùm ſanguinem ad placentam apponi, tum ubi major vis inſit, & compelli, deinde ad foetus uſque penetralia deduci, quo per alterum vaſorum genus, Arterias ſcilicet, remeante, per eorum aliquot nondum occupatos, præ tenui fortaſſe affluentis tum ſanguinis copia, & inferendo foetui ſanguini non addictos, refluum ad matrem contendere pronum eſt, ut fateatur. Cæterùm hiſce uteri Syphunculis non ſic continua ſunt tenuja placentæ vaſcula, ut ex utroque unum continuatumque efficiatur; verùm exterior ſeu convexa Placentæ facies, quum tenui quadam membranula præcingatur,
Theſ. An. I. quam, & animadvertit Accuratiſſimus Ruyſchius, quamque nos exteriorem Chorii lamellam eſſe deprehendimus, ita iis Syphunculis iungitur, ut veluti per ſaccum, ſeu colum viciſſim alibilis latex ille transducatur. Membranam autem Chorion dictam in geminas facilè, in plures fortaſſe vel membranulas, vel lamellas eſſe diviſibilem norunt ſanè Anatomici;

*De Chorii lamellis earũque conformatione.*

Cujus non inelegans exterioris faciei ſtructura eſt; quoniam ea ex pluribus compingi videtur lamellis, latis oſculis pertuſis, quæ nullo tamen ordine locata, ſibique impoſita ac reſpondentia interiùs tenuantur, adeò ut ex quadam potiùs lacertorum ſpecie, qui membranæ imagine diſpoſiti ſunt, quos inter creberrimæ, ac ferè circulares areæ ſint interjectæ, conſtitui appareat. Quorum etſi ratio nobis incerta eſt, & in Naturæ majeſtate abdita, non iccircò abſonum cogitare cenſeo, ſive ne arctiùs nimis, & intimiùs illa utero adhæreat, ſive ut excluſo

ſo jam foetu, ſeſeque contrahente utero, quadam velut muſculari vi ab eo diduci, ac divelli quadantenus valeat, eam hoc fuiſſe modo compoſitam.

§. XII. Peculiaria tum Pudendo tum Vaginæ, ſive quæ noſtra ſunt, ſive quæ cæterorum ligamenta ſuprà propoſuimus, nunc quæ ſunt Uteri, ac Cervicis vincula ſubjiciemus. Latum ligamentum uteri perperam illud vocari, quod alis veſpertilionum ſimile inter tubas, & ovaria interſitum vel ab Pręſtantiſſimi Morgagni diligentia licet cognoſcere: quamquam fortaſſe quinam ſint Lati fines, quod quidem in foetibus potiſſimùm luculenter percipitur, vix credo pauci etiam num intelligant. Hoc namque non uteri tantùm, & cervicis; verùm etiam vaginæ latera firmari quadantenùs, & laxè necti pro comperto habemus. Quod tamen, quoniam nemo à Principibus Anatomes Viris hoc Ligamentum appellari ſuccenſet, tametſi id ex tenui duplicato Peritonæo compingatur: non video, cur potiori jure aliud mihi Ligamentum dicendum non ſit, quod ſuo validiùs perfungi munere, animum oculumque ſedulò advertenti conſtabit. Utrinque ab Recti inteſtini latere, ac priore ejuſdem facie reflexum, contractumque Peritonęum paulùm protenditur, & in imum cervicis illatum ſic ſtrenuè inſeritur, ut neque inelegantem, neque inutilem ligamenti ſpeciem præſeferat. Circa latera namque teretem quodammodo figuram nanciſcitur, ac multò validiſſimùm, quàm in reliquis quibuſcumque nexibus, nec ligamenti nomine, nec munere illud eſſe meritò dedignandum, ſum arbitratus. Per id etenim vel ne nimiùm provehatur cervix, vel prolatetur caveri poteſt. Atque cum ſuperiori vteri parti conſultum ſit, & inferiori quadantenùs proſpiciatur, quò ſcilicet à partu cervix hac ope adjuta in promptiorem veniat contractionem.

*Ad. Anot. 4. An. 27.*

*De Cervicis uteri Ligamentis.*

§. XIII. Summis autem Uteri lateribus, ſive ne is in alterutrum latus dimoveatur, quod tamen ſine ullo vitio nos, vidimus aliquando, ſive quò à partu depletum in priſtinum locum, & magnitudinem ſeſe contrahat, teretia data fuiſſe ligamenta plerique omnes autumant Anatomici: quos tamen minùs mihi fore adverſaturos putabò, ſi ea aliter quàm ligamenta, eſſe nominanda cenſebo. Non me latet per locata in eorum interiore parte, cavum enim nominare non auſim, ul-

*De iis, quæ dicuntur rotunda uteri Ligamenta.*

trò citroque diſcurrentia vaſcula ſanguinem meare; at non huic dumtaxat muneri ea fuiſſe comparata judico, quum præter exterius Peritonęi involucrum, atque incluſas, productaſque vaſorum propagines, conſpicuas valentesque lacertoſas fibras reperiri certò certiùs ipſi viderimus, noſtriſque ſæpiſſimè commonſtraverimus exercitatis Alumnis. Quod etſi nemine pręmonſtrante deteximus, idipſum poſtmodum prolatum animadvertimus ab Veterum nonnullis Anatomicis, ac diſertè à Præſtantiſſimo Veſalio, quod ſub hiſce verbis propoſitum fuit. „ Anterior enim, poſteriorque & ſuperior fundi Uteri „ regiones nullis, quas contingunt partibus adnaſcuntur, latera verò connaſcuntur Membranis vaſa utero deducentibus, & uterum Peritonæo validè colligantibus, exteriorem que uteri tunicam producentibus, ac demum carneis „ illis fibris intertextis, quæ duos efformant muſculos, quorum beneficio uterus voluntario motu nonnihil ſurſum, „ dum mulieres Ilia trahunt, & quaſi colligunt, allicitur, „ quique adeò obliquè prorepunt, & quà uterum accedunt, „ adeò craſſeſcunt, ut perperam uteri cornua illos muſculos „ eſſe aliquandò arbitratus fuerim „. Quamquam non univerſa, quæ ipſe ediſſerit, nobis probare liceat, muſculos tamen potiùs, quàm ligamenta appellare in animo eſt. Neque horum quis lacertulos, aut in Virginibus, aut in utero non gerentibus exquirat, quoniam quò ſatis ſibi faciat, minùs ex iis fortaſse comperiet. Id enim in Puerperis, aut Prægnantibus inquirendum eſt, in quibus nobis id intueri ac demonſtrare facillimum fuit. Quum in Puerperis potiſſimùm ob graviores hæmorrhagias denatis, depleta frequentiſſimè ſanguifera vaſa reperiantur; nihilo tamen ſeciùs eorumdem propè uterum & craſſities, & pleniores lacertuli adeò ſeſe conſpicuos dedere, ut quid concludens Peritonæum, quæ excurrentia vaſcula, quæ demum inter utraque conſertæ forent muſculares fibræ, facilè fuerit internoſcere. Has autem non adeò conſpicuas apparere in non Pręgnantibus minimè mirandum eſt; ſiquidem nec in earum utero ulli tum temporis conſpicui lacerti ſunt; ubi is enim à partu contrahitur eos potiùs aliquandò extitiſſe divinandum eſt. Non tamen divinatoria hac arte in Puerperis opus eſt, in quibus non ſolùm diſciſſo Peritonęi involucro, mani-

De Hum. Corp. Fab. l. 5. c. 15.

*Horum lacerti non in Virginibus ſed in Gravidis vel Puerperis quærendi.*

*De Uteri lacertis.*

manifeſtò deteguntur, verùm eorumdem inceſſus, & ductus facilè perſequi licet. Horum enim conſpicuæ fibræ per cornuum latera uſque ad fundi ſummum perreptant, quà in Zonam explicatæ ad quamdam fundæ imaginem, cujus tenuja extrema Pubim, latior pars uteri fundum teneat, ita eumdem complectuntur; ut, vel ne nimiùm turgente fœtu in ſuperiora liberiùs trudatur, vel ne diutiùs vaſorum oſcula hient, quam occiſſimè inſequente fœtum Placenta, uterus deducatur deorſum, atque adeò ſeſe contrahàt. Quum tantum inter ligamenta, & muſculos diſcriminis interſit, ut iners perindè ligamentorum, muſculorum autem, quorum aſſiduus eſt in contractionem niſus, maximè efficax opera ſit. Porrò horum muſculorum gracilia extrema tendinea penè ſunt, quæ non in Clitoridem, ſeu in circumfuſam Pubi pinguedinem, verùm inter Obliqui deſcendentis, & aſcendentis muſculorum tendines in editam oſſium Pubis partem disjectis fibris inſeruntur.

*Uſu,*

*Et Inſertione.*

§. XIV. Quiſque ex diligentioribus hujus potiſſimùm ævi Anatomicis, ubi ad Ovaria ventum eſt, tanta ſedulitate partem hanc ſcrutari conſuevit, ut vix ampliùs quidquam ſupereſſe adjiciendum videatur. Horum autem Nuperrimus Spartam hanc præclariſſimè ornavit Solertiſſimus, ac Celeberrimus Antonius Valliſnerius, cujus plurimis è quacumque ſpecie petitis accuratiſſimis obſervationibus, noſtras ab humana dumtaxat, utpotè præcellenti depromptas ſubnectere, minimè eum eſſe improbaturum, cenſeo. Quamquam nunc temporis conſentiunt Anatomici Saniores omnes ex ovis ſingula progigni animalia; non tamen apud eos facilè conſtat (ne de iis dicam, quæ vix per Anatomen innoteſcunt) quid ovum dicendum ſit, ex quibus id partibus compingatur, quo ad maturitatem producatur tempore; quove pacto tubas ſubiturum ex ovario emergat? Nos non quæ potiſſimùm opinamur, id enim propoſito noſtro repugnat, ſed quæ maximè obſervavimus, ſumus prolaturi. Primùm grande ſatis inter vetularum, ac juniorum Fęmellarum Ovaria diſcrimen eſſe, quod quidem neminem latere puto, proponimus. Juniorum quippe lævia, mollia, globoſa quadantenùs, ſeu oblongo depreſſa ſunt, duarum circiter dracmarum pondere; Dum contrà vetularum exi-

Iſloria della Gener. dell' vomo.

*De Mulierum Ovariis.*

exigua, ſcabra, duriora, ac vix pondere decem granorum, ut ex noſtris diſquiſitionibus habuimus. In juniorum autem ovariis cumulatas reperiri veſiculas (quas deindè poſtremis temporibus, ſive Graafius, ſive Van-Horne, ſive Stenonius primus ova dixerit, hic diſceptandum non eſt) & Veterum quidam cognovere Anatomici. Quæ utrum meritò ova nominandæ ſint, ſatis huc uſque ſuperque tum à Malpighio Celeberrimo, & Immortali, tùm à plurimis hujuſce aſſeclis, tùm maximè à prælaudato Vallisnerio diſceptatum eſt, qui cum Anteſignano Detectore non in Veſiculis, ſed in glandiformi quodam corpore Luteo dicto quæritandum eſſe jure contendunt. Quoniam enim in Connubio maturis, ubi eorum corpora procreationi apta ſunt, in Pregnantibus, aut Puerperis id perpetuò reperitur, non autem in tenerioribus, aut malè corpore-conſtitutis, ſive nimiò ætate provectioribus quidpiam hujus inveniri datum eſt. Quum paſſim in plurimis ſaltem memoratæ veſiculæ non deſint, liquidò conſtare videtur, id plurimùm ad procreationem conferre, quapropter ex illius ſinu, non autem è veſiculis ovum eſſe depromendum. Quid proinde corpus hoc luteum ſit, nec nos quidquam ampliùs, quàm quod poſt Malpighium cæteri Proſectores Accuratiſſimi poſuere, detegere valuimus, quum tenuibus productis inteſtinulis lutei coloris, circum mediam peluim congeſtis, ad unum omnes compingi obſervaverint. Si quid autem iis adjiciendum ſit, minùs mihi Graafii ſententiæ aſſentiendum eſſe videtur, qui „ glandularum conglomeratarum ad inſtar ex multis par„ ticulis à centro ad circumferentiam, recto quaſi ductu ten„ dentibus id conflari „ autumavit: quum in ſolidiſſimæ compagis luteo corpore non eo modo illius partes locari; ſed ferè inteſtinulorum in modum, ſeu Cerebri corticis ſimilitudine componi luculentiſſimè obſervaverim. An verò cęteræ ovarii veſiculæ promptuarii dumtaxat officio fungantur, ex quibus univerſis deducatur is liquor, qui ad corporis lutei formationem inſumitur, de aliena potiùs, quàm de noſtra Sententia proponimus. Hanc autem opinionem ex eo maximè pronatam arbitror, vel quòd potiorem ovarii partem corpus illud luteum tenere viſum ſit, vel eæ tum temporis multò, quàm aliàs, vel numero, vel mole minores veſiculæ conſpectæ fuerint;

Epiſt. ad Spon.

*Num ova ſint in corpore luteo quærenda.*

*De Luteo corpore.*

De Mulier. Organ c. 2.

*De cæteris ovarii veſiculis.*

rint; quod etſi utrumque verum foret ( nobis tamen aliter obſervantibus ) non propterea ex iis dumtaxat derivandum humorem aſſererem : quin potiùs pro re nata ex ſingulis veſiculis ſingula excitari lutea corpora arbitrarer. Si noſtri inſtituti foret, declarare qualiter id contingat, non deeſſet forſitan, unde rationem ſumeremus.

*Num ex ſingulis veſiculis excitetur corpus luteum.*

§. XV. Sed quod circa lutea corpora obſervaverim, præſtat proponere. Quamquam ea, quæ Graafius nullo quidem niſi globulorum donata nomine, revera tamen lutea corpora cognovit, poſt coitum dumtaxat, antea nunquam ſibi viſa dicit. Graafio aſſentiri potiùs Verheyenii ſententia, quàm habitæ ab eodem obſervationes videntur. Nos ea tamen in intemeratis Virginibus plurimis ſæpe commonſtrata luculenter vidimus; atque adeò neque ex Virili initu tum primùm excitari, neque ad maturitatem perduci, ſed in iiſdem concluſum ovulum ſolummodò fęcundari dicendum eſt. Eadem autem, tùm in Prægnantium cadaverum, tùm Puerperarum Anatome, & dilutioris coloris, & diſparis magnitudinis comperimus: quod non à vario corporis habitu, ſeu à duplicis fętus germine, verùm à peculiari cujuſque conſtitutione, prout paucis deinceps attingam, pendere puto. Id demum reſtat, ut qua ova prodeant via, ſeu quo oſculo ex prævalida Ovarii membrana proſiliant juxta noſtras obſervationes dicam. Mitto hìc loci in eam diſquirere Sententiam, quam nonnulli minùs proculdubio exercitati commenti ſunt, non ex Cicatricula, ſeu hiatu luteo corpori reſpondente, ſive per diductam eam, quam papillam nominant; ſed per lateralem quamdam, quæ nuſquam eſt, Ovarii rimam ovum tubas ſubiturum emergere: quum hi facilè ab Anatome condemnentur. Sed ut, id quod propoſui, ordine perſequar, primùm in Virginibus, tum in mulieribus, & Puerperis, quæ adnotaverim, dicam. Lęvia Virginum ovaria, quibus etiam maturum luteum corpus inerat, nullo pertusà oſculo albà validà circumſepta membranà vidimus. Vidimus aliquando, & noſtris copiam fecimus in matura, intemerataque modici habitus Virgine diris imi Ventris cruciatibus brevi perempta, non ſic ſe alterum ex Ovariis habere; quod quum molle, ac totum foret ſucculentum, in altero tamen extremo luteum corpus minoris ceraſi ferè magni-

*Ibidem.*

*Quando conſpicua ſunt lutea corpora.*

*Quà ex Ovariis ova emergant.*

magnitudine paululùm prominens exhibebat, quod non mole dumtaxat, ſed & habitu, & colore ſeſe conſpiciendum dabat: Nam ea, qua obtegi ſuperiùs ſolet membrana diducta prorſus & diſciſſa erat, tenui altera pellucidaque per quam penitùs ſubjectum corpus interviſeretur, remanente; quam etiamſi leniter contrectatam, ſic facile difringere fuit, ut vix ſuis illud ſedibus conſiſteret, quò publicè commonſtraretur. Id ego non adeò tantùm commemoratum volui, ut quiſque evidenter cognoſceret, non tanta eam circumpoſitam membranam firmitate eſſe, quam vel ſuis porulis hiare plurimùm, vel etiam, ubi id requiratur, dehiſcere atque diduci pro re nata, poſſit: ſed & ab enormi aliquando hujuſce diſtractione propter concluſum tumenſque modò unum, modò geminum, ſive in Virginibus, ſive in Mulieribus luteum corpus, tanta illa excitari Symptomata, quæ & grave Clinicis, & multò gravius laborantibus negotium creant. Hinc fortaſſe repetendum eſt, quod noſtræ ſequioris ſexus, quibus vel laudabiliter per decus, vel piè, ſanctèque per religionem Viros adeundi adempta facultas eſt, Brutorum Fęmellis exceptis, tot ſint obnoxiæ morbis, quos nedum elidere, ſed nec probè dignoſcere Medicus valeat. Igitur vel ob minùs diſtractilem, ac plùs æquo prementem circum Ovarium membranam, vel ob diſtractam nimiùm, ac penè diſciſſam, ex iis partibus miſellis mulieribus morborum Iliades progigni nullus dubito. Nam in quibus firma nimiùm præſepiens membrana eſt, quò minùs tumenti luteo corpori locum cedat, id morborum genus exoriri cenſeo, quod cuidam humorum inertiæ Medici tribuere ſolent: quibus verò valida ea eſt, ac tanta tamen concluſi, ac adoleſcentis lutei corporis virtus ſit, ut vel incommodè eam explicare, vel graviùs difringere queat, eæ inde progerminant diſtenſiones, quibus miris, multiſque modis miſeræ ſive nulli, ſive malè copulatæ Viro, cruciantur. Nec nobis id ſemel obſervaſſe contigit, ſed quum neque hujus loci ſit, neque temporis ea recenſere, quæ ad aliquod fortaſſe Opus diſtulimus, hęc ſit interea memoraſſe ſatis. Ad ea nunc deſcendendum eſt, quæ ſive in utero adhuc gerentibus, ſive in Puerperis, ſive etiam ab utroque hoc tempore diſſitis obſervavimus. Non protinus à partu luteum illud corpus evaneſcit, ſed ultrà biennium

*Num ex tumente luteo corpore morbi in Fęminis.*

nium

nium ſaltem contractius licet, & pallidius conſiſtit, id potiſſimùm manifeſta etiam tum deſignante cicatricula ſæpiſſimè deprehendimus. In Prægnantibus autem, & Puerperis id multùm conſpicuum eſt, à quo parum, ſive ratione temporis, ſeu præ vaſculis illic viciniæ turgeſcentibus adhuc tum molis, tum coloris deceſſit, contractior licet aliquandò ſit quæ anteà Ovulum concluſerat, Cyſtis. Non æquè tamen in omnibus ſeſe conſpectui dat cicatricula, quoniam in nonnullis Puerperarum vix puncto major, in plurimis tamen longè maxima apparet, ex cujus vel eminùs intuitu non modò luteum corpus noviſſimè effoetum internovimus ipſi, ſed & aliis certè indicavimus. Pro hac verò conſpicua cicatricula non ita intelligendum velim, perinde ac ea diductæ membranæ pars ſic coaluerit, ut velut conglutinati vulneris veram cicatricem repręſentet: Sed is concipiendus eſt lacertoſæ illius membranæ hiatus, qui tum ſubditum corpus luteum commodè conſpiciendum exhibet, tum multum poſt temporis perdurat, ut & poſt alterum editum foetum eas inviſere cuidam peroptanti facillimum mihi fuerit non commonſtrare modò, verùm etiam per tenuem alteram ſubjectam membranulam levi opera humoris guttulam expromere. Neque incongruum fortaſſe exiſtimo, præter alias tamen complures cauſas, quas ſubeſſe non negaverim, ex hoc plurimùm diducto, ac ſæpiùs incommodo præſepientis membranæ hiatu ea, quæ Prægnantium aliquot per certa quandoque tempora comitantur, diducere Symptomata, maximè cum per nonnullas ex noſtris obſervationibus non leviter ad id ſuſpicandum inducamur.

*De Cicatrice Ovarii.*

*Modo magis modo minus conſpicua.*

§. XVI. Qua verò ratione Ovulum Luteorum corporum ſinu contineatur, prout nobis aſſequi licuit, ac conjicere proclive eſt, facilè intelligetur; ubi priùs ſi non novam, raram certè fętus in Falloppiana tuba incluſi hiſtoriam propoſuero: Proba honeſtaque mulier, Angella Padella nomine, tres ſuprà triginta annos nata, ſex filiorum mater, boni alioquì habitus cum propter capitis quosdam affectus, unde & ſurda evaſerat, medicæ curationi diutiùs obſequeretur, quod antea ei contigerat nunquam, vario licet remediorum genere exagitatæ, ſupreſſa ſibi menſtrua animadvertit. Quinque adeò menſibus in eo fuit, ut quum fruſtra expectaret ab utero con-

*De Fętu intrà Falloppianam tubam reperto.*

Ff ſuetum

ſuetum fluorem, quidvis potiùs in cauſam ejus rei, quàm prægnationem adduceret. Extremo hoc tempore, ex improviſo, ſeſe animo deſtitui ſentiens, opem advocat, lectoque impoſita, ubi paululùm reſtituta eſt, ſeſe mox morituram ob diros circà Pubem, & Femora potiſſimùm cruciatus, quos priùs nunquam paſſa fuerat, prædixit. Jam tum ſubitus virium languor, faciei pallor, frequens, ſed tenuis vomitio, largus frigidus ſudor, & poſt novem circiter horas, cruento modico humore ex Naturalibus expreſſo, mors occupat. Poſtquam nos imum hujus ventrem diſſecuimus, mortis cauſam exploraturi, effuſi plurimum ſanguinis in eo invenimus. Ibi tum uti facere conſuevimus, ad ſcrutandum locum, unde is effuſus eſſet, animum applicuimus, eductoque, qui viſui officeret, ſanguine, ſiniſtram uteri tubam in magnum tumorem circa medium diſtentam comperimus. Statim in eo loco vel Aneuriſma contigiſſe, vel quod jamdiù quæſiveram, foetum conditum eſſe ſuſpicatus ſum: atque idcircò uterum, adſitaſque partes excidi, commodiùs, quidquid illud foret, apud me domi ſpectaturus. Quum igitur tubæ poſteriorem faciem ſedulò, attentèque diſquirerem primò deprehendi oſculum vix Panici grano majus; unde illa ſanguinis copia lentè effluxerat. Per hunc igitur hiatum ad penitiora pergo, diductiſque tubæ nonnihil ulteriùs lateribus, quæ ibi multò tenujora erant, invenio ſub iiſdem quidpiam Placentæ ſimile. Amoveo hæc, videoque membranas pellucido humore plenas: & tandem iiſdem partibus inclinatis, noſtris, & ſpectantium oculis Foetus ſeſe optatò exhibuit. Quemadmodum ego autem hæc ſingula cum voluptate ſpectaveram: ita omnium Iconem dare volui, tum ut ſiquid adhuc circà hujuſmodi hiſtorias, hiſque innixas ſententias dubii reſtat, penitùs euellatur, tum ut quædam apponantur, quæ vel in ejuſmodi Iconibus, vel in cæteris Anatomicorum Tabulis, non parum rei Anatomicæ inſervientia, prorsùs deſiderantur. Moneo autem, partes naturali magnitudine, qua ſeſe habebant, inciſas fuiſſe, ſciant, ut omnes intelligant, quæ inde cognitio deſumi poſſit. Hæc de figura: nunc obſervationes noſtras proſequemur. Evidens hìc maximè fuit luteum corpus, quod plusquam in cæteris fieri ſolet, in hac intumuerat, neque ex

Tab. 2. fig. 2. l. N

maxi-

*Corpus luteum multò majus quam alias eſſe conſuevit.*

maxima parte ovarium tenebat ( quod multò minùs in cæteris fit, ubi tantæ non eſt magnitudinis ) nec potiorem, ut Solertiſſimi quidam arbitrati ſunt, ejuſdem Ovarii partem occupat. Cicatricula evidens fuerat in centro, vix puncto major, quamquam eam ſępiſſime aliàs multò maximam inveni. Ex interiore autem hujus parte ovi Cyſtis, ſeu Calix inerat minimè contractus compreſſuſque, qualem edito jam Ovulo obſervare conſuevimus. Is quum plenus ac luteo ferè humore turgens eſſet, ſic commodè luſtrandam obtulit cavitatem, ut ſi quid in ea animadvertendum erat, obſervare potuerim. Hac igitur, quà cicatriculæ reſpondebat, diducta, grande cavum reperi, multò naturali ampliùs firma, validaque undequaque alba membrana terminatum, ex cujus interiore parte potiſſimùm circa fundum ſoluti quidem extremis tantummodo illigati ejuſdem ſubſtantiæ lacertuli protendebantur, quos inter unus erat altera ſolutus parte, inhærens altera, petioli inſtar, unde fructus dependet. Hæc tamen non ita accipi velim, perinde ac ſi ea mihi comperta ſint, neque quidquam prætereà diſquirendum reſtet, ut jure conſtituere poſſim, quòd ille ipſe petiolus foret, quà ovulo per alterum velut umbilicalem funiculum ab luteo corpore, velut ab altera Placenta alimentum deveheretur, ac transverſi ii lacertuli ad ejuſdem excluſionem maximam impenderent operam; quæ tametſi à veriſimili vehementer non abhorrent, pluribus tamen indicare opus non erat.

*Lutei corporis Cyſtis cavitas deſcripta.*

§. XVII. Ad Tubam verò quod attinet, quum præter id quod oculis obvium eſt, foetum ſcilicet propriis involucris concluſum, nihil peculiari animadverſione dignum adſcribendum occurrat, alia quædam vel minùs obſervata vel perperam intellecta perſequar. Quamquam in hoc ſubjecto contractiores, ac breviores Tubarum laciniæ extitere; nos tamen ſæpiùs longiores multò fuſiſque maximè extremis eas comperimus, atque ſic diductas, ut ex toto eo inſuper ſpatio, quod inter extremum Tubæ, & Ovarium intercedit eæ aliquando exoriantur: quod minùs forſitan negotii crearet iis Anatomicis ægrè ſibi perſuadentibus, lacinias tubarum ab Ovario ſic diſſitas, eidem tam promptè, tam facilè accedere, tamque diù, & arctè hærere. Pro quo tametſi plu-

*De Tubarum Laciniis.*

ra ab ſolertioribus viris propoſita ſunt, ut id clariùs in notitiam veniat, hujuſce nihilominùs rationem incompertam adhuc eſſe puto. Quæ nos allaturi ſumus, utrum aliquid luminis præſeferant, Anatomicorum judicium facimus. Hoc igitur ut magis eluceſcat: notanda ſunt ea, quæ compingentes Tubæ partes ſpectant, ſive, quæ circa ipſam Tubam locantur. Quod ad Tubæ partes ſpectat: non eſt facile quacumque inſtituta diſquiſitione vel fibrarum inceſſus, ordines, ac ſeries internoſcere, quemadmodum facilè proferri ab nonnullis conſuevit: Nam hoc poſt ambiguas ſæpe repetitas obſer-

*De Tubis Uteri.*

vationes comperiſſe viſi ſumus. Profectò quum vix minimarum earum partium diſpoſitionem, ubi eæ naturaliter ſe habent, quacumque etiam ope Anatomici aſſequi ſoleant, id fortè obtinent aliquandò, ſi partem eam vitio quopiam correptam, adauctamque repererint. Id ipſum planè in ſcorti uteri Tuba nos ſumus conſequuti: quæ quum tantæ molis eſſet, ut ſingulæ illius partes fuerint mirificè adauctæ, facillimum in ea fuit ſingula omninò perſpicere. Interior igitur rugoſa multùm illius membrana quædam nobis laciniarum continuatio viſa eſt, cujus manifeſtè in longitudinem fibræ protendebantur. Exterior verò multòque validior, ac prorsùs lacertoſa membrana clarè nobis ( ſive in Orbis, ſive in Spiræ modum certè dignoſcere non valui ) circumductis fibris compingebatur. Hæ tantæ erant validitatis, adeòque conſpicuæ, atque in faſciculos ferè diſcretæ, ut iis, quæ in Inteſtinis ſunt,

*De Sanguiferorum vaſorum ductu.*

non minùs dignoſcerentur. Porrò vaſorum ductus, qui tum per interjectam Tubam inter, & Ovarium membranam alæ veſpertilionum aſſimilatam, quà ſuper eamdem, non is eſt, qui nihil ad earumdem Tubarum motum, atque ad Ovarium acceſſum conferat: ſed tali diſpoſitione locatus, quem plurimùm ad id rei facere ex eo arbitror; quod quum ab Ovario Arteriæ omnes decedant, ac ad eumdem locum propagines Venarum remeent, quumque vaſorum utrumque genus, prope Tubam arcus in modum compoſitum ſit, rectà autem potiſſimùm ad lacinias protendatur, non poſſunt, quin in vehementiori ſanguinis appulſu, quem circà congreſſus tempora contingere neceſſe eſt, turgentibus decurtatiſque vaſis eæ partes ſuis in ſedibus ſibi mutuò incumbentes adducantur. Quod

quum

quum meditaremur per experimentum opportunè inſtitutum nobis quadantenus conſtitit. In Puerperæ igitur Tubę vaſa ſatis ampla, quæ tum pręſtò una cum adjunctis partibus aderant, aerem inſpiravimus, ac per ſingulos appulſus non modò Tubæ corpus quadantenùs ciebatur, ſed introrſum versùs Ovarium quaſi converti videbatur. Hujus tamen ſive converſionis, ſive adductionis cauſam non ab eo dumtaxat vaſorum modo repetendam eſſe duco, verùm etiam à miro ejusdem partis plexu, quem vel non planè cognitum, vel ne antehac quidem obſervatum animadverto. Plurimos Nervorum ſurculos per latam eam Membranam Tubam Ovario nectentem, interque ea corpora interjectam, & Graafius jamdiù diſcurrere obſervavit, & adnotavit. Num ea autem Tabula ſive ob eorum numerum, poſitum, aut magnitudinem, minimè tamen à SWammerdamio, qui vehementer eſt cum eodem conflictatus, ſeu verbis redarguta, ſeu altero Icone correcta, cum Anatome congruat, non eſt cur ad id demonſtrandum laborem. Illius ſiquidem ſive cum noſtra, ſive cum quocumque muliebri ſubjecto comparatio inſtituatur, luculentiſſimum ſanè diſcrimen patebit. Plexus is igitur nerveus, cujus Iconem, tùm in ampliſſimis CoWperi, tùm in Theatri Anatomici, cæterorumque hactenus cognitis Tabulis deſideramus, neque ejuſdem ubique magnitudinis eſt, neque ita collectus, ac in nodum ferè diſpoſitus, ſed pro ſubjectorum varietate, & ſtatu contractior aliquando, aliquando disjectus reperitur: nunquam tamen vario, ac inordinato implexu, ſed perpetuo, conſtantique ordine & poſitu ſeſe habet. Hujus etenim fibræ juxtà exterius Ovarii latus disjectæ ac diremptæ versùs Tubarum lacinias producuntur, atque ex eo loco ad interiora converſæ, ſurſumque productæ id potiſſimùm efficiunt, quamobrem plexus nominetur. In eo ſiquidem loco ita arctè complicantur, ut minùs dirimi valeant: & ab eo iterum implexu in interiora magis deducuntur, ac disjectæ rurſum vel ſingulæ, vel ex iis plurimæ quaſi reflexæ ad eamdem penè Ovarii partem converſæ remigrant. Quoniam igitur ab ſingulis nervorum plexibus hujuſce diſtributio diverſa prorſus eſt, peculiaris cujuſdam conſilii hunc indicem eſſe pro certo habeo. Quumque nervorum propagines, quò

*De nerveo plexu in aliis veſpertilionum.*

De Mulier. Organ. Tab. 7. lit. GG

porrò

porrò pergunt, in exiguas magis tenuitates dirimi conſueſcant, quod hic fieri non animadvertimus, non ſenſui modò, verùm etiam motui potiſſimùm illas datas eſſe arbitramur. Per hunc igitur plexum, cujus mira, nec imprudens diſtributio, & poſitus eſt, id Naturam moliri autumo, quòd quum adſitæ utero partes ab ſeminali aura irrorentur, ita nervoſæ maximè cieantur, ut vehementiùs concitatæ & tumeſcere, & contrahi neceſſe habeant. Quæ ſi vera ſunt, quoniam is eſt illius plexus poſitus, ut eo tumente contractoque non poſſint Tubarum extrema, quin ad Ovarium accedant, palàm eſt, earum quoque partium motum legem habere non ignotam, etiamſi omnibus adhuc non perſpectam. Quum ea fortaſſe vis non ſic evanida ſit, ut protinus difluat; neminem iturum inficias puto, earum partium applicationem in plures dies perdurare poſſe, quouſque illud opus peractum ſit: quandoquidem in nonnullis Mulieribus ab odoro quopiam afflatu excitatæ nervorum diſtentiones, ut jam vulgò conſtat, tamdiù pertinaciſſimè perſeverant.

*Num viri's Semen intra Tubas deferatur.*

§. XVIII. Num autem intra Tubas ac ad Ovarium uſque evidens quædam ac conſpicua ſeminis pars perducatur, quamquam ab Celeberrimis Viris propè jam conſtitutum videatur; non eſt tamen, cur ita facilè aſſentiar, quandoquidem ex repetitis obſervationibus adversùs horum ſententias mihi penè oppoſitum conſtare videatur. In Puerperarum enim plurimis eumdem prorſus, & nos humorem comperimus ſæpe, quem ſemini, ut ajunt ſimillimum ſe aliquando inveniſſe in Mulieribus, ſeu ſubitò poſt coitum mortuis, ſive interemptis, Clariſſimi Proſectores profitentur. Quum eum item humorem album viſcidulum, ac quaſi ſpumeum non in Puerperis dumtaxat, ſed & in aliis compererim, ac præſertim in quadam honeſtiſſima Muliere, quæ ob diros Inteſtinorum cruciatus diſrupto tertia die intra eadem Aneuriſmate deceſſit: in cujus utraque tuba tantum illius laticis repertum eſt, quantum quiſque fortaſſe illius ſententiæ Fautor ceu ſpermaticum humorem traduxiſſet (quam tamen in illa cruciatuum ſævitia conſueviſſe cum Viro abſonum eſt ſuſpicari) ab ea re perquam diverſum laticem illum fuiſſe dicendum reſtat. Nec profectò à veritate alienum cenſeo colle-

ctum

ctum repertumque eo loci humorem non à virili ſpermate eſſe derivandum; quandoquidem non deſunt exiguæ licet, plurimæ tamen glandulæ, unde & in Virginibus humor ille deſtillat. Si qua verò major ejuſdem copia in memoratis Mulierum Cadaveribus ſuppetat, quæ vel de repente, vel vehementi Puerperarum morbo, vel cruciatibus, vel ferro confectæ deceſſere, id ſubito partium motui, valideque earum potiſſimùm contractioni tribuendum puto.

*De concluſi fœtus parvitate.*

§. XIX. Quamquam non ultra latum pollicem longum fœtum tantæ ætatis eſſe, quinque ſcilicet menſium, non veri quidem ſimile videri poterat; ſi tamen vel ad illius loci anguſtiam, qua per totos eos menſes incluſum fuit, ad æquum ſuppeditandum alimentum longè imparem, vel ad eam præ cæteris à Riolano relatam hiſtoriam, qua ſeptimeſtrem fœtum non pollice propoſuit longiorem, reſpiciatur, facilè quiſque puto erit aſſenſurus. Si quis autem, quamobrem illic Ovum reſtiterit, à me fortè percontetur, non ità planè reſponſum is ſibi habebit, quo peculiarem, certamque hujuſce rei cauſam conſtituere valeam. Nam id & ob magnitudinem ovi, & ob Tubarum vitium, earumque aut inertem, aut nimiam contractionem, vel uberiorem muci copiam præter cætera evenire potuerat. Non enim improbabile eſt ex adaucto eo luteo corpore & grandiuſculum ovum erupiſſe, cujus iter, quà anguſtior Tuba fit, ac maximè flexuoſa, fuerit interceptum. Cæterum quum nemo non videat, ſive ab aggeſto copioſiore, ac viſcidiore latice, de quo ſupra retulimus, intra frequentes tubæ rugas hęrente plus æquo Ovulum poſſe detineri; vel ab Tubæ fibrarum laxitate, vel diſtenſione, quò minùs expeditè Uterum ſubeat, facilè perceptu eſt; vel id in itinere ſic augeri, vel Tubæ lateribus per moram ſic adhæreſcere, ut ſive hac, ſive illa de cauſa ulteriùs progredi non valuerit. Ei igitur ceu novo Utero per placentæ radiculas copulatum tamdiù in loco detinetur, quouſque citra lacerationem Tuba explicari poteſt. Si quis intereà loci ſciſcitaretur, qualiter ſive Tubarum ſive Uteri diductio eveniat à contento diſtendente fœtu, an ſponte ab ipſomet concludente Utero? Hanc fortaſſe vel inutilem quæſtionem, vel per ſe omnino manifeſtam poteſt quiſpiam judicare,

Antrop. lib. 2. cap. 35.

*Num Uterus per ſe diducatur, vel à fœtu.*

dicare, ſtirpium in primis validiſſimo exemplo permotus; quorum ſemina, ſive ab aere intra murorum rimas delata, ſeu datà operà illuc conjecta, ubi ſuccreſcere incæperunt, ſic eas ſenſim diducunt, ut illos penè difringere, ac niſi opportunè evellantur, certam eorum ruinam portendere videantur. Non hanc ego quæſtionem excitavi ignarus, quantum virium tenellum etiam corpuſculum ſenſim contra Uterum exerere valeat, ſed ut maximè intelligatur, non id omne tantummodo à Fœtu effici, quum ut hìc cernere eſt, nullo concluſo fœtu multò ampliorem, quàm par eſt Uteri cavitatem eſſe, quam idcircò curavi exhibitam, ut id præ cæteris potiſſimùm ſignificaretur: quod non aliunde petendum autumo, quam à peculiari ejuſdem partis ſtructura, quæ ob pleniorem illuc viciniæ ſanguinis affluxum, explicatis magis ſanguiferis vaſis, ac uberiùs perfuſis muſcularibus lacertulis diduci non potuit, atque adeò ejuſdem cavitas explicari, ex quo demum ſanguineus ille humor ante obitum Mulieris, ut in Hiſtoria traditum eſt, laxatis vaſorum oſculis effluxit.

Tab. 2. fig. 2. lit. A

# FINIS.

# INDEX
## RERUM NOTABILIUM,

*In quo prior numerus Capita, inſequens autem §. indicat.*

### A


ABdominis muſculorum noſtræ Obſervationes cum Veſalio ferè conſentiunt. IX. I
Obliquus deſcendens ſuperior muſculus non oritur à vertebris Lumborum. Ibidem.
Obliquus inferior à ſpinis, & ab oſſe Sacro prodit adverſus Covvperum. ibid.
Transverſi origo ab lumborum proceſſibus transverſis. ibid.
Cremaſter muſculus ab Transverſo. ibidem.
Continuatio Diaphragmatis cum Tráſverſo, Covvpero minùs nota. ibid.
Ubi deſunt Pyramidales, carnea Rectorum ſubſtantia ad os pectinis producitur. ibid.
Qui in Gravidis, & Hydropicis deducantur. ibid.
Perperam deſignatus locus pro hydropicis pertundendis. ibid.
Recti duplùm ferè ampliantur. ibid.
De Abdominis muſculorum artificio IX. 3
Singulæ Latorum muſculorum fibræ ultra lineam albam in adverſum latus producuntur. ibid.
De horum fibrarum inceſſu, productione, & termino. ibid.
De miro Rectorum tecæ implexu. ibid.
Singillatim de fibrarum inceſſu. IX. 4
Alba linea ſupra umbilicum latior, infra tenujor eſt. ibid.
Præter albam lineam plurima decuſſatio. ibid.
Acceleratores Urethræ muſculi num gemini ſint. X. 7
Æthiopum nigredinis ſedes. I. I
Anatomici non conſentiunt circa ſedem nigredinis Æthiopum. ibid.
Corpus reticulare cuticula nigrius. ibid.
Cuticula nigra poſt maceratioñe. ibid.
Cutis omnino alba. ibid.
ad Anatomen bene gerendam Proſectoris requiritur diligentia, diſſecandi ratio, cadaverum copia. X. I
Interdiu, vel præclariſſima utatur luce. ibid.
Partes ſuis in ſedibus diſquirantur. ibid.
Ani muſculi Latiores Levatores dicuntur. ibid.
Contractior, & Inferior Sphincter. ibid.
Levatores ab oſſibus Pubis, Ilei, & Iſchii prodeunt. X. 2
Levatorum varius fibrarum inceſſus. ibid.
Quæ partes ab Levatoribus complectantur. ibid.
Levatorum officium. ibid.
Num anulares ſint Sphincteris fibræ? X. 3
Sphincteris fibrarum varietas, inceſſus, origo. ibid.
Pars prior inferior in Penis membranam. ibid.
Superior in muſculos Acceleratores, quæ pro muſculo Triangularis Littii habetur. ibid.
Lacertorum Sphincteris officia. ibid.
Ani Sphincter muliebris diverſus à virili, ipſe quidem aliquando varius eſt. XI. I.
de Arachnoide Ridley ſententia improbatur. III. 5
Arachnoides tantum fuſa eſt, quantum dura mater. ibid.
Ary Arytænoides muſculus vid. Larynx.
Auris Anatomen plurimi illuſtrarunt Anatomici. II. I.
Auriculæ inciſuræ à Vernejo detectæ. II. 8
Non præcinguntur membrana, ut placuit Vernejo, & Valſalvæ. ibid.
Sed muſculo proprio noſtro. ibid.
Qoid de harum uſu à Valſalva propoſito? ibid.
Auriculæ muſculi adverſus Schelhammerũ. II. I
Muſculum ſuperiorem Caſſerius propoſuit longiorem; Valſalva æquo breviorem, & ſtrictiorem. II. 2

Is non modò in ſuperiorem Scaphæ partem inſeritur, ut Euſtachii, Caſſerii, Vernei, & Valſalvæ iconiſmi deſignant; verùm etiam in priorem omnem illius partem. ibid.

Hunc eumdem Covvperus non ſatis emendavit. ibid.

Auriculæ muſculus poſterior non detectus primò à Caſſerio II. 10

Muſculorum Falloppiana deſcriptio. ibid.

De qua noſtra animadverſio. ibid.

Verheyenii, & Th. Bartholini lapſus. ibid.

Conchæ muſculus proprius noſter. II.4

Hanc deducendo in priora quid præſtet? ibid.

Diverſus eſt ab Anteriore Valſalvæ. ibid.

Transverſæ ac poſtice fibræ muſculares. II. 9

Helicis muſculi,& proceſſus. Vid. Helix.

B

Bianchi Io. Baptiſta Prof. Taurin. I. 8 x. I. 9. 10

Bilis magis vel minus atra in cyſti reperitur pro gradu regii morbi. I. 2

In chloroſi pallet. ibid.

Picea in Nobili Muliere, cujus veſicæ oſculum faſtigiato calculo obſtructum erat. IX. II

Boerhaavius Hermannus Profeſſ. Batav. VII. II. 12. X. 12.

Brovvnius Joannes. I. 5. 6. 17. X. 7.

Buccinator muſculus buccis contrahendis datus. I. 35

Num oriatur à proceſſu condyloide? ib.

Novum alterum ejuſdem principium. ibid.

Hujus termini quì deprehendantur? ib.

C

Calvariæ gallea tendinea quibus muſculis efficiatur. I. 3

an Carotidum arteriarum icones à Vvillifio propoſiti optimi ſint ut placuit Ridleyo? III. 26

Carotidum ramus in poſteriora ductus modò in Cervicalis truncum, ſæpius in ejuſdem ramos inſeritur. ibid.

Carotides, cum emergunt ex oſſeo Specu, non adhærent duræ matri; nec dura mater oſſi ibid.

Cur hoc comparatum, in veſtigatur. ibid.

Caſſerius Julius Placentinus. I. 5. 9. 10. 14. 15. II. 12. 10. III. 11. VI. 6. II. 16.

Cerebri functionum diſquiſitio difficillima. III. 6.

Foveæ humore repletæ in Sene fatuo. ibid.

Num ſub interitu eæ fuerint excitatæ? ibid.

Subſtantia huius multò firmior erat. ib.

Quæ pars rationalis facultatis ſedes credi poſſit. III. 6

Septi lucidi ſitus, poſitus. ibid.

Nulla hujus rima, niſi vel manu facta vel vitio, in qua ſi quid aquæ eſt, non in tertium Ventriculum ſecundum Vieuſſenium elabi poteſt. ibid.

Choroidæo plexui pauci glandulas negant. III. 9

De his diſerta Varolii Sententia. ibid.

Maximam ex his comperimus. ibid.

Corporum Striatorũ medullares tractus non omnes ab regione centri Ovalis. III. 7

Crura medullæ oblongatæ conſpicua obducuntur membrana ex nerveis intexta fibris. ibid.

Hanc mirum non vidiſſe Ridleyum. III. 7

Hæc tenujora ſunt ubi è protuberancia anulari emerſere. III. 16.

Pinealem glandulam non ſecernendæ Lymphæ datam putamus. III. 8

Hujus ſubſtantia Cerebro ſimilis, cujus priorem partem medullarem vidimus. ibid.

Ab hac bini prodeunt medullares tractus, quos Ridleyus inficiatur. ibid.

Qua ratione hi tractus fundantur ibid.

Bina Sæpe Lacunaria in tertio Ventriculo. III. 10

Cordæ VVilliſii progreſſionis inveſtigandi ratio. ibid.

Albicantes prominentias ex Veteribus Euſtachius pinxit; denominavit Caſſerius. III. 11

Harum cortex medullaris; nucleus cinereus. ibid.

Medullares penitus putat Vieuſſenius. ibid.

Ex his Crura Fornicis priora. ibid.

Alter præterea ex his tractus prodit. ib.


Num

Num tractus ii ex his verè oriantur. ibi.
Fornicis Bulbi poſſent nominari. ibid.
Chylifera vaſcula nulla à ventriculo, ſummo Duodeno, Ileo, nedum Colo prodire comperimus. IX. 10
In ſenis ex aneuriſmate defuncti cadavere non radiculis, ſed è globulis prodibant. ibid.
Horum inceſſus per Meſenterium. ib.
Principium ductus Thoracici ellipticum. ibid.
Calami ſcriptorii non latius. ibid.
In ductum hunc tranſverſim vaſa Lymphatica inter dorſum, & Aortam coniiciuntur. ibid.
Clitoridi præputio, & Nymphis communis continuataque cutis eſt. XI. 6
Unde olida illa materia, quę circa Clitoridis glandem eſt, derivanda. ibid.
Num ab Urethræ cryptis ſurſum rapiatur? X. 12
Clitoridis Thalamus matri, & foetui commodus. XI. 8
Columbus Realdus. I. 3. 17. II. 10
Conſtrictor pinarum muſculus Covvperi nobis duplex. I. 18
Hunc graciliorem pinxit Euſtachius. ibid.
Cordis Vaſorum, Auricularum, Ventriculorum dimenſiones. VIII. 3
Æqua Ventriculorum, & dexteræ Auriculæ capacitas. ibid.
Proportio Auricularum inter ſe. ibid.
Singulorũ cordis vaſorum rationes ibid.
de Coronariarum arteriarum poſitu, & contractionis tempore. VIII. 6
Num Valvulæ Sigmoides adducantur à Sanguine, an per ſe? ibid.
Explicata Aorta, contracto Corde premuntur coronariæ. ibid.
Corrugatio quot modis, & quibus muſculis fiat. I. 10
Corrugator oris muſculus quis dici poſſit. I. 31
Corrugator muſculus ſuperciliorum qualis. I. 6
Hujus actio an diverſa ſit ab actione Frontalis? ibid.
Hujus fibræ ab reliquis diſcretæ, ut quæ ſint melius detegantur. ibid.
Noſtri imago ab cæteris valde differt præſertim ab ea, quam propoſuit Brovvnius. ibid.
Corrugatorem muſculum Covvperus inficiatur. ibid.
Corrugatores poſtici v. Occipitales minores Covvperus Guilel. I. 5. 6. 17. 18. 19. 29. 31. 32. 33. 35. 37. II. 2. VI. 2. IX. 3. XI. 3. 5.
Cuticula maceratione facilè detrahitur. I. I
Æthiopis nigra. ibid.
Mulli piſcis rubra eſt. I. 2.

D

Depreſſor labrorum communis vid. Triangularis.
Depreſſor labri inferioris proprius vid. Labri infer. dep.
Depreſſor Urethræ muliebris vid. Ureth.
Diaphragmatis num ulla Tab. adamuſſim depicta? VIII. 7.
Figura Elliptica ſed paulò longior. ibid.
Prior pars brevior, & tenujor eſſe debet. ibid.
Cava prior pars Xyphoidi alligata. ib.
Tendo in anguli modum conformatus. ibid.
Vel utraque facies exhibenda, vel quæ ea ſit declaranda. ibid.
Nervi intercoſtales quà traiiciantur. ibid.
De poſitu, figura, & magnitudine foraminum. ibid.
Diaphragma digaſtricus muſculus vel unus, vel triplex. VIII. 8
De Fibrarum inceſſu. ibid.
Quid de nonnullis figuris dicendum? ib.
De Fibrarum continuatione in Transverſum. VIII. 9.
De motu Diaphragmatis. VIII. 10.
Contractione Diaphgragmatis Thoracis anguſtia, & elongatio intenditur. ib.
Circumſitæ potentiæ eam anguſtiam tollunt. ibid.
Digaſtrici maxillæ muſculi tendinem ſemel, iterumque extra Styloidem traductum vidimus. I. 37
Drakius dubitat de muſculis Tragi, & Antitragi Valſalvæ; Quid de noſtris? II. 9.
Drakius. ibid. I. 5. VI. 6.

E

Elevator muſculus labri inferioris Covvperi I. 29
Elevator labri ſuperioris communis ſeu Caninus. I. 24

A Veſalio non diſcretus ſed cognitus. ibid.
A Falloppio non rectè deſcriptus. ibid.
Elevator labri ſuperioris proprius ſeu Inciſorius. I. 22
Unus aliquando videtur cum pyramidali. ibid.
Epiglottis. Vide Larynx.
Euſtachius Bartholamæus. I. 3. 5. 10. 11. 18. 23. 28. 32. 33. II. 2. III. II. 18. VI. 12. 16. VII. 15. VIII. I. 7. IX. I. X. 2. 3. XI. 3.

F

Fabricius ab Aquapendente. II. I. VII. II. 16
Falciformis proceſsus. Vid. Menix
Falloppius Gabriel. I. 3. 12. II. I 2. 10. VI. I. VII. 7.
Fantonus Joannes Anat. Prof. Taur. I. I
Follius Cæcilius Proto Medicus Venet. II. I
Frontalium muſculorum figuræ inter ſe diſcrepantes ab Anatomicis exhibentur. I. 5
Ab ſingulis noſtræ diſſentiunt. ibid.
Horum imæ partis ab Euſtachio figuræ variæ proponuntur. ibid.
Quarũ nulla cum Anatome cõgruit. ib.
Frontaliũ fibræ non continuantur cum Occipitalibus, ut placuit Covvpero. ibi.
Latitudo non tenet utrumque oculi canthum. ibid.
Non adhærent immediatè cuti. I. 33

G

Glandulæ inter Cranium, & duram matrem. III. 4
Glandulæ circa latera ſinus Longitudinalis. III. 3
Glandulæ circa truncos vaſorum inter duram matrem, & arachnoidem. III. 4
Glandulæ Narium. Vid. Naſi membranam.
Glandula Pinealis. Vid. Cerebrum.
Glandula lacrymalis. Vid Ocul.
Glandula Pituitaria leviter preſſa lacteum humorem eructat aliquando. III. 23
Infundibuli inceſſus. ibid.
Nulla hujus communicatio cum glandula majore pituitaria, ſed cũ appẽdice. ib.
Num pituitaria glandula ſuſpendatur? III. 24.
Glandulæ Pericardii non conſpicuæ. VIII. 4
Baſis Cordis nullæ. ibid.
Glandula Thyroides. Vide Larinx.
Glandulæ Veſicæ felleæ disjectæ. IX. II
Glaucoma. Vid. Ocul.
Graafius. X. 7. XI. 3. 4. 5. 14.

H

Heiſterus Laurentius Anat. Chir. ac Theor. Med. Prof. Alt. I. 6. 35. V. 6. XI. 3.
Helicis proceſſus cartilagineus num ob ligamentum datus? II. 5
Nullum hujuſmodi ligamentum nobis eſt. ibid.
Muſculus novus noſter. ibid.
Proceſſus huic muſculo potiſſimùm datus. 
Planæ faciei muſculares fibræ. II. 6
Homo qua ratione vires ſuas intendat. III. 30.
Homine non expirante quid circa Crebrum contingat. ibid.

I

Inciſorius muſculus ſeu Elevator proprius labri ſuperioris. I. 22
Inciſure cartilagineæ muſculus noſter. II. 8
Inteſtini Duodeni poſitus, & nexus. IX. 7
Nomen à flexu potius, & nexu quàm à duodena digitorum menſura deſumendum. ibid.
Cur nexus hujus firmior; cęterorum laxior? ibid.
Poſitus, & nexus ratio nonnũlla indicatur. ibid.
Plenior hujus tubus cæteris tenuibus eſt. ibid.
Adhortatio ut Clinici hujus nexum cum circumſitis partibus aliquando attendant. ibid.
An flatui, ut ajunt, plura ex iis ſint referenda quæ circa hoc inteſtinum contingunt. ibid.
Kerkringii conniventes valvulæ nullæ ſunt in ſummo Duodeno, latiores, & conſertiores infra primum flexum. IX. 8
In Duodeni principio Brunneri glandulæ frequentiſſimæ. ibid.
Membranoſum Duodeni Rete. ibid.
De communi hepatici, & pancreatici ductus oſculo. ibid.
De ejuſdem Ligamento, & uſu. ibid.
Vermiformis Appendicula tribus compingitur Coli ligamentis, quorum terminus

nus eſt. IX. 9.
Cumulatis intus referta glandulis. ibid.
Deeſſe aliquando, vel occluſa protſus reperta à nobis eſt. ibid.
Incertus hujus poſitus eſt. ibid.
Sępe fœcibus alvinis turget. ibid.
Lumbrici in ea reperti; Cur? ibid.

L

LAbri inferioris muſculus Elevator Covvperi. I. 29
Num rectè fuerit ab eo propoſitus? ibid.
Productores muſculi Noſtri. I. 30
Labrum inferius compingentes fibræ non in orbem, ſed arcus more compoſitæ ſunt. I. 27 31.
Ratio nominis, & muneris explicatur. I. 31
Labri inferioris depreſſor proprius qua ratione luculenter inſpiciendus ſit. I. 32
A Covvperi Tabula non rectè exhibetur. ibid.
Unde prodeat & quo ſe conjiciat. ib.
Labrum ſuperius quatuor fibrarum ordines compingunt. I. 27
Singuli ordines recenſentur. ibid.
In quibus noſtræ diſſentiant obſervationes ab deſcriptione Covvperiana muſculi depreſſoris? I. 19
Labrum utrumq; circumeuntes fibræ Sphinćterem efficere creduntur. I. 36
Harum plurimæ decuſſatæ unde prodeant? ibid.
Laryngis Cartilaginum numerum Falloppius auxit. VI. I
Arytænoidum ſingulas duplici conſtare Cartilagine, nos primi obſervavimus. ib.
Arytęnoidum capitulum variè Arytænoidum vertici membraneo vinculo copulatur. ibid.
Arytænoidum Brutorum diverſa forma. VI. 2
Nulla muſcularis fibra ad noſtra capitula. ibid.
Quæ horum uſus ratio eſſe poſſit? ibid.
Arytænoidum bina ligamenta nova. VI. 3
De Arytænoidum muſculis. VI. 2 12 13
Thyroidis triplex ligamentum novum. ibid.
Ratio ea detegendi, & uſus.
Thyroidis depreſſio circa latęra vix fieri poteſt, quin Cricoides ac totus Larynx deprimatur. VI. 5
Thyroidis non unus motus eſt. VI. 6
Thyroides Cricoide mobilior eſt. ibid.
Thyroidis motus qualis coſtarum inclinationis eſt. ibid.
Thyroidem ab Cricothyroide muſculo explicari non dubitat Drakius. ibid.
Lacertus ſæpe obſervatus in interiore Thyroidis facie utroque immobili extremo. VI. 8
Thyroarytænoidē muſculum in triplicem partiri poſſe. VI. 9
Horum Obſervationes, & Icones ex optimis cadaveribus depromptæ. ibid.
De ſeptima Laryngis Cartilagine Epiglottide. VI. 10
Hujus figuræ, poſitus, nexus, motuum, ligamentorum, uſus deſcriptio. ibid.
De hujus muſculis quid aliis viſum ſit. VI. 11
Ary-epiglottidæi muſculi novi perpetui ſunt. VI. 13
Par muſculorum novum Thyro-epiglottidæum Majus. VI. 14
Deprimendæ Epiglottidi & arćtandis ventriculis ibid.
Ventriculi longiſſimi in homine acutæ vocis. ibid.
Thyro-epiglottidæum par novum Minus. VI. 15
Epiglottidis Retractor muſculus ab Euſtachii Tabulis videtur exhibitus. ibid.
De Thyroidis glandula, compreſſione, & ductu. VI. 17
Utrum Sterno-hyoides muſculi à clavicula, an ab ſterno oriantur? VI. 18
Lateralis Naſi muſculus novus deſcriptus. I. 13
Ligamentum novum ab cocyge in cutem demiſſum. X. 3
Ligamentum Oſſis Sacri non terminatur in proceſſum acutum Iſchii, ſed in hujus tuber. X. 2
Ligamentum Proſtatæ novum deſcriptum. X. 17
Ligamentum novum Styloidis latum deſcriptum. VI. 20
Ligamentum Cervicis Uteri, & Vaginę. Vide Uterus.
Ligamenta Laryngis. Vide Larynx.
Littrius Academ. Paris. I. I X. 3
Ejus experimentum circa Æthiopum cutim. I. I

Lum-

Lumbrici tenuiſſimi in Appendicula vermiformi. IX. 9

M

MAlpighius Marcellus. XI. 14
Manus Noſtratium in æreo vaſe decocta ex aqua marina Æthiopum colorem refert; ex puteali non item. I. 2
Mariotte Acad. Pariſ. experimentum circa Oculum. V. 12
Maſſeteris muſculi fibræ non decuſſantur. I. 37
Meninx dura arctè ubique cranio adhæret. III. 1
Adminiſtratio Anatomica, qua id demonſtratur. ibid.
Contractionis neceſſitas improbatur. ibid.
Falciformis proceſſus contrahi poteſt. ibid.
Num datus Calloſo corpori ſuſpendendo? ibid.
Sinus longitudinalis unde exordiatur. III. 2
In hunc vaſa ſanguifera confluunt. ibi.
Nullæ in hoc cæcæ caveæ. ibid.
Tranſverſi lacerti quà ſiti, quid præſtent. ibid.
Sinus novi laterales Occipitales inferiores. III. 3
Glandulæ quæ intra ſinum longitudinalem ſunt, non videntur conglobatæ. III. 4
Ex his extra ſinum intra duram matrem & Arachnoidem ſitas nos reperire conſueſcimus. ibid.
Bini harum acervi occurrunt ſub oſſe Frontis, in quem uſum dati. ibid.
Glandulæ novæ ſimiles circa truncos vaſorum inter duram matrem, & Arachnoidem ſitæ. ibid.
Michelottus Petrus Antonius Med. Venet. I. 14
Morgagnus Jo: Baptiſta Prof. Prim. Patav. I. 12. 23. III. 3. 10. 15. 19. V. 10. VI. 2. 3. 5. 10. VII. 7. 16. VIII. 6. IX. 1. 9. XI. 2. 7. 10. 12. 13. XI. 7. 9. 12.
Mulli piſcis cuticula rubra, hepar rubrum. I. 2
Muſculorum, quos noſtræ ſpectant Obſertiones, nomina.
Muſculi Acceleratores Urethræ. X. 7
Antitragi Valſalvæ. II. 9
Ariarytænoides. VI. 2
Auriculæ poſterior. II. 10
Superior. II. 23
Azygos ſeu ſolitarius pharyngis. VII. 2
Azygos Uvulæ Morgagni. VII. 16
Buccinatores. I. 35
Conchæ proprius noſter. II. 4
Conſtrictor pinnarum Covvperi. I. 18
Coſto Hyoidæus. VI. 17
Corrugator oris. I. 31
Corrugator ſuperciliorum Noſter. I. 6
Cremaſteres. IX. 1
Cricopharyngæus. VII. 10
Cricothyroideus. VI. 6
Depreſſor labri inferioris proprius. I. 32
Depreſſor Urethræ muliebris Novus. XI. 4
Diaphragma. VIII. 7
Digaſtricus maxillæ. I. 37
Elevator labri inferioris Covvperi. I. 29
Elevator labri ſuperioris communis. I. 24
Elevator labri ſuperioris proprius. I. 22
Elevator Urethræ ſeu Ejaculator Noſter. X. 8
Frontales. I. 5
Gloſſopharyngæus. VII. 5
Gloſſoſtaphylinus ſeu palatinus. VII. 14
Helicis Novus. II. 5
Hyopharyngæus. VII. 8
Hyothyroidæus. VI. 7
Hyperopharyngæus Noſter. VII. 13
Inciſuræ Cartilagineæ Novus. II. 8
Laterales Naſi Novi. I. 13.
Laterales Urethræ Novi. X. 3
Levatores Ani. X. 12
Levatores Coccygis. X. 2
Levator proſtatæ ſeu adductor Noſter X. 5
Maſſeteres. I. 37
Mylohyoides. VI. 19
Mylopharyngæus Noſter. VII. 5
Myrtiformis ſeu narium dilatator. I. 14
Obliquus aſcendens. IX. 1
Obliquus deſcendens. IX. 1
Occipitales majores. I. 3
Occipitales minores Noſtri. I. 4
Orbiculares orbitæ oculi. I. 6
Orbiculares Palpebrarum. ibid.
Orbiculi Naſi Novi. I. 15
Pharyngo-ſtaphylinus. VII. 12

Pro-

Proceri Naſi Novi. I. 10
Projectores Urethræ Novi. X. 4
Productores labri inferioris noſtri. I. 30
Pterygopharyngæi. VII. 3
Pterygoidæus exterior. I. 37
Pterygoidæus interior. ibid.
Pyramidales Falloppii. IX. I
Pyramidales Naſi. I. 9
Socii. ibid.
Quadratus Colli ſeu platiſma myodes. I. 33
Recti Abdominis. IX. I
Retractor epiglottidis Novus. VI. 16
Rhomboidæus faciei Novus. I. 25
Riſorius novus. I. 34
Salpingopharyngæus Noſter. VII. 4
Salpingoſtaphylinus ſeu palatinus. VII. 15
Sphincter Ani. X. 2
Sphincter Vaginæ. XI 3
Sterno Coſtales. VIII. 10
Sternohyoides. VI. 18
Sternothyroides. VI. 5
Stylopharyngæus. VII. 7
Stylohyoides. VI. 20
Temporales. I. 37
Thyroarytænoides. VI. 9
Thyroaritænoides obliqui novi. VI. 12
Thyroepiglottidæi majores Noſtri. VI. 14
Minores Noſtri. VI. 15
Thyropharyngæus. VII. 9
Thyropalatinus Novus. VII. 12
Tragi Valſalvæ. II. 7
Tranſverſus Abdominis. X. 6
Tranſverſus Menti. I. 28
Transverſus Naſi Novus. I. 11
Tranſverſales virorum. X. 6
Tranſverſales mulierum Novi. XI. 2
Triangulares labri inferioris. I. 28
Triangularis Littrii. X. 3
Tubæ novus Valſalvæ. II. 11
Zygomaticus Major. I. 23
Minor. ibid.

N

NAſi Cartilaginum diſquiſitio. V. I
Numerus diverſus ac propoſitus hactenus fuit. ibid.
Summæ Cartilagines Triangulares non ſunt geminæ. ibid.
Quamobrem duplices habitæ ſunt. ibi.
Cartilaginum poſitus ab Ruyſchio deſignatus num congruat cum Anatome? V. 2
An Figura earum conveniat? V. 3
Nec Verheyenio aſſentimur. V. 4
Cartilagines Seſamoides a nobis dictæ quà potiſſimum locatæ ſint. V. 4
Ex his quidpiam videtur Verehyenius vidiſſe. ibid.
Cartilagines binæ utrinque novæ. V. 5
Inventu difficiles oppido ſunt. ibid.
Undecim minimum ſunt Cartilagines. ibid.
Naſi muſculorum Veteres minimum cognovere. I. 9
Octo paria a nobis recenſentur. ibid.
Pyramidalis muſculi deſcriptio. ibid.
Socius ſive pars inferior. ibid.
Circa pyramidalem Caſſerii hallucinatio. ibid.
Proceri muſculi. Vide Proceri.
Tranſverſus. Vide Tranſverſus Naſi.
Laterales muſculi. Vide Laterales.
Myrtiformis ſeu Nariū dilatator. I. 14
Orbiculi muſculus. Vide Orbiculi.
Sphincter muſculus legitimus nullus.
Narium membrana interior glandulis refertiſſima. V. 10
Qua ratione glandulæ ſint detegendæ. ibid.
Glandulæ alterius generis. ibid.
Excretoria oſcula quà maximè occurrant. ibid.
Sub his nullæ glandulæ apparent. ibid.
Facies interior membranæ villoſa eſt. V. 11
Varia interioris membranæ ſubſtantia. ibid.
Villoſa membrana ob ſenſum data. V. 12
Ductus à narium cavitate per palati priora humores in os deducunt. V. 13
Horum Stenonis deſcriptio. ibid.
Per hos ſetam publicè trajecimus. ibid.
Idipſum in quolibet ſubjecto efficitur. ibid.
ad Naſum Oſſa undecim pertinent. V. 6
Vomer Ethmoidis oſſis productio eſt. ib.
Oſſa Turbinata inferiora cujus ditionis ſint. V. 7.
Oſſa Turbinata ſuperiora partes ſunt Ethmoidis. V. 8
Sinus intra hæc inſculptus novus. ibid.
Oſſa Turbinata minora quæ ſint. V. 9
Sinus Ethmoidei nec certo ſunt numero, nec figura. ibid.

De

De reliquorum ſinuum exitu. ibid.
Nervos ex altera parte oriri, ex altera procedere præter Valſalvam diſertè animadverterat Hildanus. III. 12
Horum decuſſatio apta prius maceratione triplici in loco conſpicua. ibid.
Olfactoriorum nervorum exortus & extrema ſubſtantia. III. 13
Qui Cerebro prementi ſubjiciantur. ibid.
Opticorum origo diſquiritur. ibid.
Num quà ii coeunt, decuſſentur. III. 14
Contra evincitur Anatomica obſervatione. ibid.
Opticus paralyſi affectus, gracilior & obſcurior. ibid.
Paris Tertii origo, quod ſupra Carotides traiicitur. III. 15
Quarti paris principium. ibib.
Quinti paris ſedula inveſtigatio. III. 16
Quot propaginibus, & unde primo oriatur. ibid.
Par Sextum duplo craſſius, atque propoſuit Ridleyus. III. 17
Num ab ima tantum crepidine annullaris protuberantiæ oriatur? ibid.
Huic pari arteriæ cervicalis ramus modo ſubjicitur modo imponitur. ibid.
Intercoſtalis Nervi principium. III. 18
Septimæ durioris portionis germana origo. III. 19
Mollis fibras non aliquot ſed omnes à quarto ventriculo. ibid.
Octavi nonnullas fibras infra auditorium à quarto ventriculo. III. 20
Acceſſorii nervi origo non infra quintam Spinalem conjugationem adverſus Ridleyum. ibid.
Nec a prioribus, ſed a poſterioribus ducitur. ibid.
Noni paris fibra nulla à ſummitate pyramidalium corporum. III. 21
Num corpora pyramidalia, aut Olivaria plura ſint quam gemina? ibid.
Decimum par an ſit Cerebro accenſendum. III. 22
De hujus ortu, & egreſſu. ibid.

O

Occipitales muſculi an primùm à Fallopio detecti. I. 3
Ab Realdo Colũbo prius typis editi. ib.
Horum Figura ab Euſtachio propoſita noſtris non convenit obſervationibus. ib.
Deſcriptio noſtra Falloppianę non congruit. ibid.
Occipitales muſculi minores noſtri ſeu Corrugatores poſtici. I. 14
Oculi Anatome illuſtrata à Briggio, Nukio, Ruyſchio Hovio. IV. 2
Ductus glandulæ lacrymales detectu difficiles. IV. 1
Hi diſquiſiti in maximo capite tenui ſtylo. ibid.
Ductus aquoſi Nukii in cæci oculo deſcripti. IV. 3
Id Vitulo marino evidentiſſimi. ibid.
Horum figura, poſitus, & contentus humor. ibid.
Humor in homine decolor, in vitulo rubellus. ibid.
Sclerotis Thinni piſcis omnino oſſea. IV. 2
De duplici cryſtallini humoris vitio. II. 4
Ex Glaucomate cæcitatis curationis hiſtoria. IV. 5
Orbicularium muſculorum Orbitæ fibræ alię Frontales muſculos ſcandunt, aliæ iis ſubjiciuntur. I. 6
Horum pars in orbitæ crepidinem pars interiorem angulum terminatur. ibid.
Tabulæ Frontales dumtaxat ſcandentes fibras exhibere ſolent. ibid.
Orbiculi Narium par novum muſculorum. I. 15
In quibus ſubiectis ſit inquirendum. ib.
Prorſus diverſum ab eo de quo Caſſerius. ibid.
Oris Sphincter legitimus nullus. I. 27. 36
ad Oris angulum ſeptem muſculi pertingunt. I. 35
Oſſa pubis in puerperis aliquando deducta obſervavimus. XI. 4
Per Syneuroſim non per Synchondroſim committuntur. ibid.
In feminis arcus ferè modo diſpoſita. XI. 8
In viris in acutum angulum conformata. ibid.

P

Palati convexitas in viris major in feminis minor obſervari plurimùm ſolet. VII. 17
Palpebræ inferioris in infante monſtroſi capitis

pitis

pitis motus cōſpicuus, ſuperioris nullus. .8
Palpebrarum muſculus geminus, cuique ſuus. ibid.
Ab Orbiculari Orbitæ diſtinguitur.
Fibrarum terminus ad angulum exteriorem ad decuſſim eſt. ibid.
Tendineus utrinque terminus eſt. ibid.
Panniculus carnoſus in Brutis quidem, in Homine nullus. 1.33
Papillæ nerveæ ſeu villi in membrana Nariū. v. 12.
Valde conſpicuæ in glande penis, vagina, interioribus palpebris. ibid.
Num his Retina Oculi conſtet. ibid.
Patarol Laurentius. VIII.6
Pauli Jo: Guilel. Anat., & Chir. Prof. 1.37
Penis lateralia Ligamenta num ſint? x. 11
Ligamentum ſuſpenſorium. ibid.
Thalamus novus deſcriptus, & uſus indicatus. ibid.
Et mulieribus datus pro Clitoride, & Partu. ibid.
Penis glandem quę partes compingant. x. 13.
Corporum nerveoſpongioſorum extrema ſub ligamenti forma in glandis ſubſtantiam diſiiciuntur. ibid.
De venis per dorſum illius excurrentibus. ibid.
Communicatio inter venas Penis. ibid.
De ductibus novis circa cervicem. x.12
Quo pacto primùm detecti fuerint. ib.
Partem inter præputium, & glandem locatam cervicem placuit appellare. ibid.
Ductuum numerus, poſitus, magnitudo. ibid.
Ratio eos inquirendi per macerationem. ibid.
Boerhaavii ſententia de aggeſtis ſub præputio. ibid.
Penis venarum valvulæ duplicis generis. x. 14
Poſitus earum diverſus ac exhiberi ſolet. ibid.
Diverſus itidem uſus proponitur. ibid.
Venarum dorſi numerus, & modus. ibid.
Earum ſub oſſa pubis corrivatio ſeu Labyrinthus. ibid.
Interius venarum diſſepimentum cur datum. ibid.
Singularis ab Labyrintho vaſorum diſtributio. ibid.
Prodeuntia ex eo vaſcula Sinus dicimus. ibid.
Per quæ Sinus ab venis differant. ibid.
Retiformis Sinuum interior facies. ibid.
Pericardii nullæ conſpicuæ glandulæ, ſed Oſcula. VIII. I
de Peritonæi Lamellis, fibrarum inceſſu, & validitate. IX.9
Fibræ Lamellæ exterioris ſecundum longitudinem protenſæ ſunt. ibid.
Intimioris verò & firmiores & candidiores, ut pene lacertuli videantur, tranſverſim feruntur. ibid.
Pharyngis figura, poſitus, nexus deſcribitur. VII. I
Cur inęquali ſit amplitudine. ibid.
Cur muſculorum vis diverſa. ibid.
Anatomen illuſtravit Valſalva. VII. 2
Summa pars à tuberibus tubæ fulcitur. ibid.
Muſculus ſolitarius non perpetuus. ib.
Pterygopharyngæum par muſculorum, de quo varii variis nominibus. VII.3
Salpingopharyngæum par omnino novum. VII.4
Duplex illius inquirēdi ratio, & uſus. ib.
Mylopharyngæum par novum noſtrū. VII. 5
Gloſſopharyngęum par tantùm non eſt, quantum à Valſalva proponitur. ibid.
Preter id alii fibrarum faſces à Lingua ad pharyngem pertingunt. VII.6
Stylopharyngæū par muſculorū. VII.7
Pars hujus altera in pharyngem, altera in ſuperam & lateralem thyroidis oram implantatur. ibid.
Par Hyopharyngæum num fuerit rectè deſcriptum? VII.8
Num duplex vel unum ſit? ibid.
Gloſſopharyngæum vel triplex, vel triplici diſcreto compingitur faſciculo. ibid.
De media poſtica pharyngis linea. ibid.
Thyropharyngęum non modo à Thyroide, ſed etiam à Cricopharyngęi membrana oritur. VII.9
De fibrarum, quæ in pharynge ſunt, decuſſatione. VII.10
De Cricopharyngæi diverſo fibrarum inceſſu. ibid.
Quę pars verè Columella dicēda. VII.11
Ab Pharynge non excidenda. ibid.
Figura, nexus, magnitudo, glandulæ. ibid.
Pharyngoſtaphylini Valſalvæ deſcriptio non convenit omnino noſtris obſervationibus. VII. 12

Hh Ha-

Hujus exortus eſt ab imo Thyroidis latere. ibid.
In duplicem partiri poteſt. VII. 15
Alterum Thyropalatinum, alterum Hyperopharyngæum nominamus. ibid.
Gloſſoſtaphylinus ſeu Palatinus. VII. 14
Salpingoſtaphylinus Valſalvæ in triplicem faſciculum dirimitur. VII. 15
Hujus fibræ in adverſum latus continuantur. ibid.
Amplitudo, diviſio, inſertio in Icone Valſalvæ deſideratur. ibid.
Azygon muſculum detexit Morgagnus. VII. 16
Et ſummi pharyngis muſculi ad vocem conferunt. VII. 17
De pharyngis Fornice. ibid.
De Oeſophagi principio & fibrarum inceſſu. VII. 18
Cricopharyngæus muſculus triplici fibrarum ordine conſtat, quorum duos propoſuit Valſalva. ibid.
Oeſophagi fibræ in ſpiræ modum ducuntur. ibid.
Quod evidentiſſimum in Vitulo marino. ibid.
Harum inceſſus in ſummo Oeſophago inſpicendus, quod in homine lacertoſo nulla arte deprehenditur. VII. 19
Rectæ Oeſophagi fibræ unde ortæ. VII. 20
Platiſma Myodes. Vide Quadratus Colli.
Procerus muſculus Naſi novus. I. 10
Diverſè interdum terminatur. ibid.
In cauſa hallucinationis Euſtachii, Caſſerii, Bartholini, & Verheyenii. ibid.
Cutis Naſi corrugationi datus. ibid.
Productores labri inferioris muſculi novi. I. 20
Proſtatæ Levator muſculus ſeu Adductor novus. X. 5
Deſcriptio, inquirendi ratio, uſus. ibid.
Proſtatæ Ligamentũ novũ deſcriptum. X. 17
Lacertoſa Capſula deſcripta. X. 18
Ligamentum & in feminis adeſt. XI. 5
Pterygoidæus muſculus exterior. I. 37
Interior digaſtricum non efficit cum Maſſeterio. I. 37
Pulmonum loborum diviſio quibus nota. VIII. 1
Dexter lobus rectà promittitur, ſiniſter obliquè flectitur; Ratio diſcriminis. ibid.
Num ſanguis intra pulmones denſior fiat? VIII. 2
Hæc ſententia Nuperrimi Auctoris perpenditur, à vaſorum dimenſione petita ſolutio eſt. VIII. 4
Ratio cordis cavitatum, vaſorumque inæqualis capacitatis ab reſpiratione deſumpta. VIII. 5
Non quovis reſpirationis tempore ſanguinem æqua fluere velocitate. ibid.
Inſpiratio, expiratio, & mora, tria ſunt reſpirationis tempora. ibid.
Inæqualis ſanguinis per pulmones motus duplex cauſa. ibid.
In arteria pulmonari ſanguis paulùm reſtitat, eoque major vena eſt. ibid.
Ratio potiſſima inæqualitatis cavitatũ cordis & auricularum. ibid.
Pyramidalis Naſi muſculus. I. 9

## Q

QVadratus Colli muſculus cuti immediatè non ſubjicitur. I. 33
Hunc inter & cutim adeps eſt. ibid.
Non ſoboles eſt panniculi carnoſi. ibi.
Hujus fibræ ſupra Thyroidem decuſſantur. ibid.

## R

REceptacula à Vieuſſenio præcipuè propoſita, à Ridleyo negata. III. 25
Nulla aliquando nobis viſa ſunt. ibid.
Intra Receptacula venæ ab Ridleyo aſſertæ nullæ nobis ſunt. III. 27
Sed ductus à nobis Emiſſaria dicti. ibid.
Tria Receptaculorum Emiſſaria. ibid.
Singula deſcribuntur. ibid.
Oſſeus canalis per quem tertium Emiſſarium trajicitur ab nemine notatus. III. 29
Locus quò Emiſſaria cõfluunt. III. 30
Ridleyus. III. 5. 7. 16. 18. 20. 21. 24. 25. 26
Rhomboidęus Faciei muſculus totus oſſi adhæret. I. 25
Riſorius muſculus novus perpetuus. I. 34
Figura incerta, poſitus varius. ibid.
A Quadrato Colli non procedit. ibid.
Ruyſchius Fredericus Prof. Amſtel. III. 9. 21. IV. 2. V. 12. 3. 4. VIII. 1. IX. 6. X. 12 13. XI. 11

## S

SInus Circularis Ridley perpetuus. III. 24
Sinus Novi Labyrinthi ea vaſcula nobis dicun-

dicuntur, quæ ex hoc prodeunt. x. 14
Per quæ Sinus ab Venis diferant. ibid.
Retiformis interior Sinuum facies. ibi.
Sinuum deſcriptio difficillima. x. 15
Sinuum triplex ordo. ibid.
Sinuum ima Emiſſaria ceteris partibus anguſtiora. ibid.
Tranſverſæ Anaſtomoſes, per quas ſanguis velut in orbem ferri poteſt. ibid.
Sinus inter Proſtatæ capſulam conjecti. x. 20
Minimum hi ad Penis erectionem ſpectant. x. 19
Inceſſus horum, & uſus. ibid.
Adſunt in Feminis tenuiores. xi. 5
Sinus Pituitarius Oſſis Turbinati ſuperioris. v. 8
Sinus reliqui Pituitarii. Vid. Naſum.
Sinus novi Laterales inferiores. Vid. Meninx.
Sinus ſuperior Falciformis. Vid. Meninx.
Sphincter Narium legitimus nullus i. 17
De quo Veſalius, Verheyenius, Brovvnius. ibid.
Sternothyroides muſculus deſcriptus. vi. 5

T

Temporalis muſculi fibræ poſteriores quaſi per trochleam ad maxillæ proceſſum perducuntur. i. 37
Num is cū Covvpero, & ab Oſſe Zygomatico oriatur? ibid.
Thoracis binæ cavitates inæqualiter diſcretæ. viii. 1
Thyroarytænoideus muſculus num unus revera ſit? vi. 9
Tragi muſculi Valſalvæ figura diverſa. ii. 7
Commoda actio explicatur. ibid.
Tragi ſuperior facies convexa eſt. ibid.
Transverſus menti muſculus non perpetuus. i. 28
Transverſus Naſi muſculus novus. i. 11
Hujus pars inferior ad Naſi dorſum fibras non producit. i. 12
Viſa fuit ab Euſtachio, & Falloppio. ib.
Transverſi Abdominis muſculi. ix. 1
Transverſales virorum muſculi non perpetui. x. 6
Non certus ortus, poſitus, numerus, inſertio. ibid.
Transverſales hi & in feminis adſunt. xi. 2
Triangulares menti muſculi deſcripti. i. 28.
Continuatio ab Euſtachio notata. ibid.
Fibræ plurimæ horum in Caninum producuntur. ibid.
Tuba Euſtachiana melius à Valſalva deſcripta, quàm delineata. ii. 10
Tubæ muſculus novus à Valſalva deſcriptus. ibid.
Nō cōvenit noſt is obſervationibus. ib.

V

Vaginæ Sphincterem ab Ani fibris deducunt Euſtachius & Riolanus. xi. 3
Nullum aſſignant principium Graafius Covvperus, Verheyenius, Heiſterus. ibid.
Qua is oriatur, quò deſinat, quid præſtet. ibid.
Vallisnerius Antonius Prof. Prim. Patav. xi. 14
Valſalva Antonius Maria. ii. 1. 2. 3. 5. 7. 8. 9. iii. 12. vii. 2. 5. 11. 12. 13. 15. 18.
Ventriculi maxima contractio in jejunis, inde fortaſſe famis ratio petenda. ix. 6
Non æqua orificiorum altitudo, ſeu poſitus. ibid.
Pylori Syphunculi in homine voraciſſimo primùm obſervati.
Glandulæ humani ventriculi non uſque adeo conſpicuæ.
Villi qua ratione detegendi ſint. v. 11
Fibræ quæ transverſæ dicuntur, in ſpiræ modum circumeunt. ix. 6
Verheyenius Philippus. i. 5. 10. 17. ii. 10 v. 4. viii. 7. x. 1. 3
Vernejus Joſeph Acad. Paris. ii. 1. 2. 8
Veſalius. i. 5. 17. 33. vi. 6. viii. 7. ix. 1. x. 1. 3. 4. xi. 13
Veſlingius Joannes. i. 5. vi. 6
Veſicæ Urinæ muſculi à Jo: Baptiſta Bianchi propoſiti nulli nobis ſunt. x. 10
Nullo præter notos fibrarum ordines muſculari plano veſica contegitur. ibid.
Ureterum hiatus in Veſicam tantus non eſt. ibid.
Fines non in anteriore parte. ibid.
Eminens Oſculum Veſicæ vitioſum. ibid.
Veſica muſculus cavus. ibid.
Fibrarum inceſſus detegendi ratio. ibi.
Quā ſit ſingularum principium. ibid.
Num ſit veſicæ Sphincter, & qui conformatus? x. 21
Diſſenſus noſter à Falloppio circa Veſicam. ibid.

Glandulæ conſpicuæ latè fuſæ circa oſculum. ibid.
De Veſicæ muliebris poſitu ſupra Vaginam. xi 4
Unde in his Urinæ incontinentia. ibid.
Vieuſſenius Acad. Paris. iii. 3. 6. 7. 11. 18. 25.
Urethræ fibrarum faces laterales. x. 3
Projectores muſculi novi. Uſus. x. 4
Urethra brevior & anguſtior fieri poteſt. ibi.
Hujus Ejaculatores ſeu Elevatores. x. 8
Uſus exploratur ex urinæ itineris poſitu. ibid.
Num hi Ejaculatores, vel à Terraneo, vel à Bianchi fuerint præoccupati? x. 9
Terranei deſcriptio cum noſtra non convenit. ibid.
Nec Bianchi Icon congruit. ibid.
Urethræ muliebris Depreſſor muſculus novus. xi. 4
In Scortis tendineus viſus eſt. ibid.
Graafius quidpiam ex eo attigit. ibid.
Non ducitur circum Urethram. ibid.
Urethræ & Vaginæ inſervit. ibid.
Vaginæ rugarum diſpoſitio duplex. xi. 7
In rugis papillæ cumulatiſſimæ. ibid.
Vaginæ ligamentum partus commodo datum. xi. 8
Uteri cervicis mucoſæ veſiculæ numero & magnitudine variæ. xi. 9
Num Seminis fontes ſint, an Ovarium?
In puerperis & gravidis confertiſſimæ. ibid.
In his vitium nullum in ſcortis. ibid.
Harum vitium in gravida muliere. ibi.
Hydrops ſanioſus. ix. 5
Uteri craſſitudo Gravidarum. xi. 9
Sinuum amplitudo, teretium ligamentorum craſſities. ibid.
Cervix gravidæ aſpera, durior. ibid.
Rugæ cervicis in puerperis conſpicuæ. ibid.
Mira rugarum cervicis varietas. ibid.
Ad Os cervicis bina oſcula occurrunt. ibid.
Facies interior Uteri diverſa à cervice. xi. 0
Cervicis ligamentum ab Recto inteſtino. xi. 12
De tenui membrana placentæ inducta. xi. 11
De placentæ lamellarum conformatione. ibid.
Uteri latorum ligamentorum fines. xi. 12
De Alis Veſpertilionum. ibid.
Rotunda Ligamenta num lacerti ſint? xi. 13
Quà horum diſquiſitio inſtituenda. ibid.
Cur data ſint; quòve inſerantur. ibid.
Uteri lacerti in puerperis conſpicui. ibid.
Mulierum Ovaria. xi. 14
De Ovariorum vitioſa magnitudine. xi. 10
De horum pondere pro ætatibus. xi. 14
De corpore Luteo.
Num ex univerſis veſiculis humor deducatur ad formandũ corpus luteum? ibi.
An ex ſingulis illud excitetur? ibid.
Corpus luteum poſt coitum non excitatur, vel conſpicuum fit. xi. 15
Quando id conſpici incipiat. ibid.
Qua via ex Ovariis fecundata Ova emergant. ibid.
Lutea corpora in Virginibus conſpicua. ibid.
Num ex gliſcente luteo corpore morbi in feminis oriantur? ibid.
Unde Symptomatum diverſitas. ibid.
Corpus luteum ultra biennium à partu durat. ibid.
De Cicatricula, magnitudine, & duratione. ibid.
De Fœtu in Tuba Falloppiana à nobis reperto & diſſectionis Hiſtoria. xi. 16

X

XYphoidis Cartilaginis uſus. viii. 10
Tria muſculorum paria ad eam terminantur. ibid.
Horum nexus, uſus, & ratio. ibid.

Z

ZEndrinus Bernardinus Sereniſs. Venet. Reip. Math. v. 8
Zygomaticus muſculus non uno ſemper terminatur faſciculo. i. 26
Zygomaticus muſculus minor deſcriptus. i. 23

TABU-

# TABULARUM EXPLICATIO

## Tabula I. exhibet Muſculos Faciei.

A *Muſculus Frontalis, cujus fibrę ſupra jugum Naſi rectæ ſunt, & breviores; laterales autem longiores, & inclinatæ, totam oculi Orbitam non tenent.*

B *Muſculus temporalis, cujus nullæ fibræ à proceſſu Zygomatico ſunt.*

C *Pars muſculi orbitæ oculi Orbicularis dicti, quæ, ut perperam creditum fuit, Frontalem ſcandit, ſed eidem ſubiicitur, & in Corrugatorem abit.*

D *Pars altera inferior ſcilicet ejuſdem Orbicularis Frontali impoſita, & in majorem canthum terminata.*

E *Pars interior Orbicularis dicto; at omnino diverſa: Hujus quippe fibrę non in orbem, ſed in ſemicirculi modum ductæ ſuperiorem palpebram operiunt.*

F *Pars altera, qua inferior palpebra obducitur, eodem inceſſu prolata, ad exteriorem angulum cum ſocia ad decuſſim ducitur.*

G *Sutura inter Primum, & Quartum Os Malæ.*

H *Proceſſus in poſteriora productus primi oſſis malæ Zygomaticus.*

I *Fibræ ſummæ partis Orbicularis, quem eo loci Superciliorum Corrugatorem dicimus, ab reliquis diſcretæ, non quia ea ſic ſe habeant, ſed ut luculentiùs ab cæteris dignoſcantur, hæ prope principium tument plurimum, quò validiores ſunt.*

L *Pars reflexa Orbicularis, qui lato tendineo termino tum ad orbitæ crepidinem, tum ad majorem angulum terminatur.*

* *Terminus tendineus Orbicularium ac proximum ciliare ligamentum indicat.*

o *Perpetuus lacertulus ab imo Orbicularis cum Inciſorio deductus.*

M *Muſculus Manſor ſeu Maſſeterius.*

NN *Buccinator muſculus, cujus principium ab utraque maxilla, à baſi præterea, & corniculo Pterygoidis, terminus ultra Oris angulum productus.*

O *Muſculus Elevator Labrorum communis, ſeu Caninus extra oris rictum terminatus.*

P *Zygomaticus muſculus, nobis major, utrique labro communis pluribus ſæpe diſcretis faſciculis inſeritur.*

Q *Zygomaticus alter, minor perpetuus, ab Zygomate ortus in labrum ſuperius ſub Pyramidali fuſis fibris terminatur.*

R *Elevator proprius labri ſuperioris, ſeu Inciſorius muſculus ab Orbitæ oculi crepidine ortus ad inciſores dentes in labrum terminatus.*

S *Muſculus Pyramidalis cujus tenuis tendineus exortus eſt ab interiore oculi angulo, demiſſuſque converſis interiùs fibris disjectiſque in ſuperum labrum finitur.*

T *Sive Pyramidalis ſocius, ſive ejuſdem particula inferiùs ab Pyramidali diducta, & in angulum pinnarum Naſi inſerta.*

a a a *Muſculus Tranſverſus dictus novus, cujus ima extrema in ſuperum labrum inſeruntur, ſumma pars producta tranſverſa ſeu compari continuata dorſo Naſi cohæret, & muſculum unum conſtituit in tranſverſum locatum.*

*Pars hujus inferior dorſum Naſi non attingit, arctandis aliquando Naribus data proponitur.*

b b *Muſculus utrinque Procerus Novus, qui ſæpe cum Tranſverſo in labrum ſuperius*

 *termi-*

*terminatur, interdum Pyramidalis ſocio aliquot fibris copulatus in angulum pinnarum ſuperne inſeritur, & cuti Naſi corrugandæ datus eſt.*

c c c *Par novum muſculorum pinnis dilatandis, idcirco pinnarum Dilatator proprius dicitur, cujus exortus omnino carneus ab oſſe quarto Malæ circa Narium latera eſt, terminus pene tendineus prope imum pinnarum.*

d *Muſculus Lateralis Narium elevandæ interiori membranæ datus Narium cavitatibus deducendis utroque extremo immobilio, tum magnæ reſpirationi, tum pleniori odoratui.*

† *Membrana reflexa, qua Transverſus Naſi muſculus à ſubjectis dirimitur.*

e e *Par itidem muſculorum novum Orbiculi, cujus lata pars immobilis, acuta mobilis eſt, & pinnas diducit.*

f *Muſculus Rhomboidæus totus oſſi cohærens, cujus extrema tendinea, venter carneus, tenuis valde incerti uſus.*

g *Fibræ diſiectæ muſculi Pyramidalis cæterorumque eidem aſſociatorum transverſis labri ſuperioris fibris ſuper impoſitæ.*

h *Secundus fibrarum ordo, ex quatuor qui ſuperius labrum compingunt ( Primus namque efficitur à muſculo Covvperiano labri ſuperioris Depreſſore proprio, & Conſtrictore Alarum Naſi communi ) Hæ ab Oſſe quarto ortæ ſurſum productæ ad Oris angulum reflectuntur.*

i i *Tertius Fibrarum ordo labri ſuperioris, quarum ſimilis alter ordo, ſed tenujor, interior eſt: In tuberculum majorum Naſi cartilaginum hæ fibræ decuſſatæ inſeruntur, & quadantenus Nares arctant.*

K *Quartus Ordo Fibrarum pro labrorum Sphinctere hactenus habitus. Harum inceſſus arciformis, terminus ſeu decuſsatio ad utrumque oris angulum eſt.*

l *Fibræ labri inferioris eo plane modo ductæ ac noviſſimæ K deſignatæ.*

V *Fibræ quæ in extima Menti facie ſunt in reticuli modum diſpoſitæ, quarum etſi triplex ordo, eſt duplex duntaxat conſpici poteſt, eæ nempe quæ ab angulo ad angulum arcus imagine protenduntur, quas labri corrugationi datas credimus, & eæ quæ ab litera*

Y *Indicantur, & propriæ fibræ ſunt muſculi labri inferioris Depreſsoris proprii inter binos arciformes ſeu Labri Corrugatoris ordines conjectæ, & in labrum terminatæ.*

m *Fibræ Corrugatoris prope oris angulum coactæ, quà earum nonnullæ quæ Depreſsoris labri inferioris proprii ſunt, ſubeunt.*

X *Triangularis, ſeu labrorum Depreſsor communis ab menti latere natus, cujus vertex aliquantò gracilior à Scalptore exhibitus eſt, quam plurimùm eſse conſueſcat. Hujus baſis fibræ aliquando continuantur in adverſum latus.*

n *Muſculus novus, nobis Riſorius, incertæ figuræ, perpetuus tamen, duplex interdum ac triplex, ſummo Triangulari copulatur, & riſui inſervire putatur.*

p *Pars Colli Quadrati muſculi in Faciem terminata, ex qua Labri inferioris Depreſsorem proprium progigni credimus.*

q *Muſculus Elevator Labri inferioris à Covvpero, cujus nos originem paulò diverſam ſuſpicamur.*

r *Decuſsatio fibrarum muſculi Elevatoris ab Covvpero non animadverſa, & earumdem productio.*

ſ *Muſculus novus, utrinque alter, noſter Productor Labri inferioris nominatus, cujus origo prope exortum Elevatoris labri; ejuſdem productio, & terminus in Orbicularem dicto labro conſtringendo, & producendo datus.*

t *Fibræ in interiore labri parte conſtitutæ, quæ Sphincteris ſeu Orbicularis Oris dictæ ſunt, tametſi revera in orbem non ferantur: Atque hæ tertium ordinem conficiunt, qui in*

infe-

*inferiore labro occurit, & reſpondent inceſsu, & poſitu arciformibus V ſupra deſignatis, quas labro corrugando datas diximus, quas inter medię ſeſe conjiciunt Depreſsoris Y notatę.*

x *Summa pars Triangularis, & Riſorii copulata, quà indicatur eorumdem fibrarum continuatio in majorem Zygomaticum.*

z *Parotidis glandulę ductus medium Buccinatorem muſculum pervadens.*

1 *Glandula ſępe occurrens, Parotidis ductui incumbens.*

2 *Glandula Parotis.*

3 *Glandula conglobata Parotidi inſidens.*

4 *Muſculus Auriculę Superior, qui ob eam paulùm data opera diductã, magis conſpicitur.*

5 *Muſculus novus noſter Helicis dictus ab proceſsu cartilagineo Helicis prodiens.*

6 *Proceſsus Helicis cartilagineus ob muſculum potiſſimùm datus.*

7 *Fibrę muſculares faciei Helicis hęrentes, in idoneis cadaveribus perpetuę.*

8 *Muſculus Tragi, cujus figura nobis trigona eſt.*

9 *Muſculus novus noſter cartilaginoſæ Inciſuræ, cujus figura hìc arciformis eſt; quę aliquando diversè eſt conformata.*

---

# TABULA SECUNDA

## FIGURA I. Oſtendit Virginis 16. annos natæ Naturalia ſuis in ſedibus hærentia, ipſorum muſculos, eos quoque qui Ano dati ſunt, Sphincterem ſcilicet & Levatores.

A *Mons Veneris.*

BB *Diducta pudendi muliebris labia.*

CC *Ima pars oſſium Iſchii Tubera dicta.*

D *Siniſtrum cornu ſuperius oſſium Pubis.*

a *Clitoridis ſumma pars, quæ glans dicitur, cui ſupereminet ejuſdem velut præputium, in multas rugas compoſitum.*

b *Nympha utrinque altera, quarum ſumma pars in acutum angulum conformata in Clitoridem terminatur.*

c *Meatus Urethræ inter Nymphas, atque adeo infra Clitoridem.*

d *Vaginæ cavea.*

e *Hymen ſeu clauſtrum virginale.*

f *Altera ex binis glandulis, quæ imæ Vaginæ extrinſecus aſtant, Caſp. Bartholini Proſtatæ dictæ.*

E *Alter Clitoridis muſculus, cujus ad tuber Iſchii exortus eſt, & ſuperiori pubis cornui attenſus.*

FF *Muſculi Novi, ſeu Muſculus unus muliebris urethræ Depreſſor, qui ab uno ad altud latus continuatus producitur.*

G *Vaginæ Sphincter paulùm deductus quo meliùs conſpici queat, cujus laterales ſeu exteriores fibræ cum Transverſali producuntur, interiores autem, oſculo ſcilicet viciniores, tendineæ ab eadem vagina procedunt.*

gg *Tranſverſales muſculi Novi prope muſculorum Clitoridis principium nati, qui quum in adverſum latus continuati producantur, unum efficere dumtaxat muſculum videntur.*

HH *Bini validiſſimi Sphincteris lacerti, qui utrinque ab Iſchio enati in imum ani applicantur, quem poſterius velut continuata Zona circumeunt, ei in priora adducendo, atque adeo conſtringendo dati: Validiores ſunt quam in Viris.*

I *Sphincteris pars prior producta in imam poſterioremque Vaginæ partem, quà frænulum eſt inſerta.*

K *Poſterior ima Sphincteris pars, ſeu fibræ quæ cutaneæ dicuntur, breviores, & pauciores, quam in viris.*

LL *Pars poſtica Recto circumducta Lacertorum* HH *qui vel poſticam, vel validiorem Sphincteris partem formant.*

MM *Ima, & poſterior Levatorum pars.*

N *Locus quà Levatorum fibræ in tendinem abeunt, & decuſſantur.*

O *Cocygis Oſſis extremum.*

FIGURA II. Repræſentat partem eorum, quæ imam Pelvim efficiunt, Oſſa ſcilicet Pubis, Ilei, Iſchii, Cocygis, tum ea quæ in ipſa continentur: Muſculos Levatores Ani, Inteſtinum Rectum, Seminales Capſulas, Vaſa Deferentia, imum Veſicæ Urinæ, Proſtatam, hujus Ligamentum, Labyrinthum, & Sinus.

A *Interior facies oſſium Pubis, quà committuntur.*

BB *Superiora pubis crura ſeu cornua.*

CC *Pars oſſis Ileii unde demettitur internus Obturator muſculus; Supra hunc tendinea ea pars Levatoris oritur, quæ ab Oſſe Ileum proficiſcitur.*

DD *Facies edita interior acuti Iſchii proceſſus, unde poſtrema Levatoris ani pars prodit.*

E *Pars exciſa Cocygis elevata multùm ac ſuſpenſa, ut poſtica Levatorum pars in conſpectum detur, alias non apparitura.*

F *Imum Recti inteſtini in podicem abeuntis.*

GG *Veſiculæ ſeu Capſulæ Seminales.*

HH *Deferentium Vaſorum pone Veſiculas ſeminales, flexuoſa origo, in quorum ſiniſtro quantum ſit ejus orificium ſeu cavitas eo loci, indicatur.*

I *Veſicæ urinæ oſculum, cui prominulum corpus præfigitur, quod in affectis veſicis ſic prominet aliquando, ut urinæ iter prorſus intercludat.*

KK *Hiatus Ureterum in Veſicam, atque eorum corporum origo, quæ ſenſim inclinata in* I *producuntur.*

LL *Glandulæ Proſtatæ dictæ moles, cui exterius aſſident vaſa novi generis ſanguinea à nobis Sinus nuncupata, quorum fontes inter Proſtatam, & Os Pectinis ſitos*

M *Indicat: Triplices hi ſæpe occurrunt, ex quibus varia ratione ſinus laterales diducuntur, atque eo loci ea flexuoſa cavitas eſt, quam Labyrinthum dicimus.*

NN *Ligamentum Proſtatæ Novum, quo tum prior Proſtatæ pars, tum Levatorum muſculorum priora latera adducta inferiori pubis oſſis faciei validè colligatur.*

O *Tendo pone Rectum inteſtinum Levatorum muſculorum.*

PP *Fi-*

PP *Fibræ Levatorum quæ ab Iſchii acuto proceſſu prodeunt.*

QQ *Eorumdem Levatorum fibræ fere horizontales, quæ cæteris longiores ſunt, ab interiore faciẹ oſſium pubis natæ, ſecundum latera Proſtatæ ſeminalium veſicularum, & Vaſorum Deferentium pone Rectum inteſtinum contendunt.*

R R *Fibræ ejuſdem muſculi, quarum aliæ ab lateribus oſſis pubis, aliæ ab Ileo ſupra Obturatorem internum ortæ ad eumdem Recti terminum properant.*

S S *Prior & imus Levatorum exortus.*

FIGURA III. Demonſtrat Uteri cavitatem, ac cæteras ſiniſtras partes in dexterum latus revolutas generationi datas, ea prorſus magnitudine, qua nobis viſæ ſunt, ac præſertim in Falloppiana Tuba concluſum fœtum.

A *Uteri conſpectus poſterior ſecundum longitudinem diſſecti, in quo tum parietum craſſitiei diſcrimen, tum cavitas apparet multò major, quam occurrere ſoleat, ubi vel nullum in eo vitium, vel nullum contentum corpus ſit, in quo paſſim nigri cantia ſigna locum indicant, unde ſanguis ſub interitu fluxerat.*

B *Cervix uteri, in qua varia veſicularum moles, tum ſingularis rugarum, ſeu valvularum diſpoſitio eſt, quæ ut in hoc ſubiecto ita nobis apparuere, non ſic tamen conformatæ ſæpe offenduntur, quin imo earum poſitus inordinatus plurimum eſt.*

* *Alterum ex binis oſculis, quæ in poſticæ cervicis oſculo aliquando occurrunt.*

C C *Tenuia ſed conſpicua oſcula Tubarum Uteri.*

D *Pars Tubæ Uteri gracilior ſecundum naturam conſtituta.*

E *Tuba eadem plurimum diducta, in cujus cavo continebatur*

F *Fœtus quinque menſium circiter, in quo punctorum ſeries indicat funiculum umbilicalem.*

G *Pars membranarum, quæ proximè fœtui circumducebantur, plurimumque humorem continebant, quibus exterius uterina placenta valde fuſa adhærebat.*

H *Pars ima, & extrema Tubæ Uteri diſſecta, & diducta, in qua frequentiſſimæ rugæ ſæpe muco oblinitæ ſunt.*

I I *Ligamentum Ala veſpertilionis dictum colligans tum Uteri Tubam, tum Ovarium, & vaſa primum inter ſe, eaque deinde utero copulat.*

K *Plexus Nerveus minùs hactenus animadverſus, cujus eadem fere ſemper figura eſt.*

L *Vaſa ſanguifera ad Ovarium, Tubam, atque Uterum perducta.*

M *Ovarii pars poſtica ſeu inferior.*

N *Deſignat corpus globoſum prominens eaqua erat magnitudine, quod corpus Luteum continebat, majus tamen, quàm uſuvenit id reperire, cujus medium fere punctum tenuem cicatriculẹ hiatum denotat, quo ſæpiſſimè multo latiores demonſtravimus.*

O *Vas perperam ab veteribus deferens habitum, rectius teres ligamentum ovarium utero copulans.*

P *Pars alterius Ligamenti Teretis dicti, quod nos uteri muſculorum Depreſſorum munere fungi arbitramur, quippe cui firmiſſimẹ ac lacertoſẹ fibrẹ datẹ ſunt.*

Q *Pars alterius ligamenti quod latum dicitur.*

C *Si-*

# TABULA TERTIA

## FIGURA I. Exhibet præter ſumma Aſperæ Arteriæ totam poſticam Laryngis faciem, cujus plurima potiſſimum muſculorum pars explicatur.

A A *Facies interior cartilaginis Scutiformis, ſeu Thyroidis.*
B. *Pars ima poſterior ac latior cartilaginis Annularis, ſeu Cricoidis.*
C *Sinus utrinque alter in Cricoide inſculptus, unde muſculi Cricoarytenoides poſtici prodeunt.*
D *Facies interior cartilaginis Epiglottidis paulùm elevatæ plurimis pertuſæ foraminulis cujus ima pars acuta ſonis magnopere confert.*
E *Muſculi Cricothyroidis pars interior lateralis.*
F *Muſculus Cricothyroides Poſticus.*
G *Pars lævis poſtica Aſperæ Arteriæ transverſis muſcularibus fibris donata.*
a a *Summa pars cartilaginum Arytænoidum ſeu noſtra Capitula nova earumdem Arytænoidum.*
b b *Glandulæ Arytænoides. Cl: Morgagni.*
c *Crus cartilaginis Arytænoidis quo Cricoidi committitur.*
* * *Ligamenta lateralia inferiora Epiglottidis.*
d *Eorum muſculorum decuſſatas fibras indicat, quarum aliæ in adverſa latera ductæ proferuntur, & ad Epiglottidis latera tenuatæ contendunt, quasque Aryepiglottidæos muſculos nominamus.*
l *Aliæ vero, (quæ in dextero dumtaxat latere ſignatæ ſunt, ne in ſiniſtro cæteris fibris demonſtrandis confuſionem facerent) circa lateralem Arytænoidis angulum incurvatæ cum Thyroarytænoidæo in ipſammet Thyroidem inſeruntur. Has placuit Thyroarytænoidæos obliquos muſculos appellare.*
e e *Muſculi Aryarytænoidis fibræ transverſæ ab latere ad latus Arytænoidum protenſæ.*
f *Muſculus Thyroepiglottidæus major.*
g *Muſculus Thyroarytænoidæus ſuperior.*
h *Muſculus Teres, qui quandoque occurrit, utroque tenui tendineo extremo in Thyroidem inſerto.*
i *Ligamentum novum, Thyroidis validum, quod imam ac interiorem inferioris proceſſus Thyroidis partem* K *Cricoidi committit.*

## FIGURA II. Demonſtrat latus Laryngis, diducta Cartilagine Thyroide.

A *Epiglottidis facies interior crebris ſignata forminulis.*
B *Thyroidis facies interior.*
C *Proceſſus ejuſdem inferior, & brevior.*
D *Latus cartilaginis Cricoidis, quæ quo in priora fertur, eò magis extenuatur.*
E *Locus, cui inferior Thyroidis proceſſus committitur.*
F *Pars muſculi Aryepiglottidæi.*
G *Pars ſumma muſculi Cricothyroidæi poſtici imo Arytænoidis inſerti.*

H *Pars*

H *Pars Lateralis muſculi Aryarytænoidis.*
I *Muſculus Cricoarytęnoides lateralis.*
K *Muſculus Thyroarytænoides inferior, ſeu inferior pars muſculi Thyroarytænoidis.*
L *Muſculus Thyroarytænoides medius, ſeu media pars muſculi Thyroarytænoidis.*
M *Muſculus Teres utroque extremo Thyroidis commiſſo.*
N *Muſculus Thyroepiglottidæus major.*
O *Muſculus Thyroarytænoides ſuperior, ſeu ſuperior pars muſculi Thyroarytænoidis, quem tametſi frequenter, non perpetuò tamen ſic poſitum reperimus.*
P *Muſculus Thyroepiglottidęus minor.*
Q *Fibræ ab Aryepiglottidæo in Thyroidem reflexæ ſeu Thyroarytęnoideus Obliquus.*

## FIGURA III. Siniſtram cartilaginem Arytænoidem repræheſentat, una cum novo Capitulo eidem copulato.

a *Arytęnoidis Capitulum Noſtrum omnino ab Arytænoide diſcretum, eique membraneo ligamento laxè commiſſum.*
b *Facies exterior convexa, cujus exteriori lateri univerſæ Arytænoidis muſculi fibræ inſeruntur.*
c *Sinus in Arytænoidis crure inſculptus, quo lævi Cricoidis capitulo articulatur.*
d *Crus alterum acutum, cui potiſſimum tum interius Glottidis ligamentum, tum muſculus Thyroarytænoides inferior committitur.*

## FIGURA IV. Oſtendit potiſſimum pleroſque Auriculæ muſculos.

A *Auriculę cavitas major Concha nominata.*
B *Muſculi ſuperioris majoris dicti poſitus, & figura, qui Auriculam attollit, & in priora vellit.*
a *Proceſſus Helicis cartilaginoſus.*
b *Muſculus Noſter Helicis dictus ab eodem proceſſu eductus.*
c *Fibrę Novę muſculares imę Helicis parti inferiori applicitę.*
d *Muſculus Novus conchę proprius, quam in priora deducit, & medium ejus quaſi aggerem deprimere poſſe videtur.*
e *Muſculus Novus Noſter cartilaginearum interruptionum, qui quandoque hoc modo, quandoque ut in Tab. 1. Sig. 9. conformatus eſt.*
f *Muſculus Cl. Valſalvę Tragi dictus.*
g *Muſculus Antitragi ejuſdem Auctoris.*
h *Extremæ poſticę Helicis cartilaginoſa lacinia.*

## FIGURA V. Exhibet circa Penis cervicem Novos Ductus, ac muſculos præſertim omnes Penis, Urethræ, Proſtatæ, & Ani.

A *Glans Penis preputio nudata.*
B *Exigua Oſcula non jampridem à nobis detecta circa penis cervicem, e quibus quod ſub preputio aggeri ſolet, excerni putamus.*
C *Penis preputium revolutum.*

D *Ure-*

D *Vretbrę bulbus, cui Acceleratores muſculi ſunt circumducti.*

** *Crura Oſſium Pubis ad Iſchii tubera producta.*

EE *Bini Muſculi Penis Erectores in interiore Iſchii tuberis facie nati.*

F *Muſculus alter Vrethræ lateralis, ſeu faſcis fibrarum muſcularium ab ima crurum pubis parte prodiens, ac ſecundum latera Acceleratorum ſupra Transverſales in poſticam Ani partem ductus.*

G *Imę Levatoris muſculi fibrę quę ab extremo infero pubis crure prodeunt, iis tenujores, quę in feminis ſunt* HH *notatę.*

HH *Muſculi Ejaculatores, ſeu Elevatores Novi inter bulbum, & Vrethram conjecti, qui ejuſdem Vretbrę imę canalis parti inſeruntur, tum Vrethræ Elevandę qua in priora quadantenus adducendę dati.*

II *Transverſales muſculi, ſeu unus Transverſalis muſculus qui in hoc ſubjecto (tametſi ſępe ſecus de hoc contingit) ab uno ad aliud Iſchii tuber funis more protenſus producitur.*

K *Pars maxima Ani Levatoris muſculi.*

L *Tendo qui ab concurrentibus, ac decuſſatis Levatorum fibris pone inteſtinum Rectum efficitur.*

M *Fibrę Levatorum, quę immutatę in ima Recti parte in oppoſitum latus migrant, & medio inter Levatoris, & Sphincteris officio funguntur.*

N *Extremum Oſſis Cocygis quò ſummę Levatorum fibrę terminantur.*

O *Ligamentum Novum ab Cocyge deductum, quod principio teres eſt, deinde explicatur, & in cutem ſupra podicem inſeritur validiſſimè.*

P *Imę ac poſticę fibrę Sphincteris, quę rectà anum amplectentes in priora ducuntur.*

Q *Anus fibris utrinque rectis comprehenſus.*

R *Fibrę eędem quę lit.* P *poſterius indicatę ſunt, in priori parte ſub urethra in Penis membranam inſertę, & in anguli modum conformatę.*

S *Pars prior earum fibrarum Sphincteris Ani, quę in acutum productę in imam poſticamque Acceleratorum partem inſertę ab Litrio pro Triangulari muſculo ſunt habitę.*

T *Fibrarum Lacertus Recto inteſtino circumductus à poſterioribus partibus profectus in priora, qui aliquando vel tenujor, vel eo loci nullus; atque tum locatus eſt inter eos binos lacertos, quorum alter in urethram, alter in penis membranam inſeritur.*

V *Novus muſculus Zonę in modum inferiùs ac poſterius proſtatę circumductus ejuſdem Levator ſeu Adductor dictus.*

X *Muſculi Vretbrę Novi Projectores nominati in extremo infero Pubis crure nati ac in imam Proſtatę partem inſerti, minus tamen exactè à ſcalptore deſignati.*

Z *Membranę penis proprię pars, cui priores Sphincteris fibrę inſeruntur.*

# F I N I S.


A
B
C
D
E
E
F
H
H
I
L
M
M
N
N
O
O
P
Q
R
S
T
K
V
X




TAB. C
Fig. i
Fig. ii
Fig. iii
Marcu Gallici
Carolus Orsolini Sculp.

TAB. 8.



